

14984

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO



SERMONES TRICESIMALES

DE

FELICISSIMO,
EX HAC VITA TRANSITV, GLORIOSISSIMA IN COELOS

*Tab 36
No 371*

Assumptione, & Susceptione, Regia inauguratione, & Coronatione, Patrocinio, Cultu, atque Devotione, Augustissima Hominum & Angelorum Reginae, Deiparae Virginis MARIÆ, totius vniuersi Dominae, & Imperatricis Cœli & Terræ,

HABITI OLIM BAMBERGÆ, IN ECCLESIA PARO-

chiali, DEO sub eiusdem Sacratissime Virginis, Nomine & Honore dicata.

Dum Virginis in Cœlos Assumptæ, Trigintadiarum Landes, & Encomia, pro Veteri Bambergensium pietate, celebrarentur.

Ca. Libris Congregationis Oratorii Studii huiusmodi

FRIDERICO FORNERO

Episcopo Hebronensi, Suffraganeo
Bambergensi, SS. Theologiæ Doctore &c.

Cum gratia & Privilegio Sacre Cæsareæ Maiestatis ad decennium.

INGOLSTADII,

Typis WILHELMI EDERI.

Anno M. DC. XXVII.

14984a



PER QVAM REVERENDO IN CHRIS-
TO PATRI AC DOMINO, DOMINO

ERASMO BEHEM

ABBATI LANCKHEMENSI, DOMI-

no meo plurimum obseruando, & tanquam

Fratri summè dilecto, salutem & omnem à

Deo, tam huius, quàm alterius vitæ

felicitem.



V M omnium Religiosarum, tum
verò potissimum sacri Cistercien-
sium Ordinis Virginem Deipa-
ram, insignem, fidamque Patro-
nam egisse semper, tam est in confesso, vt ne-
mini, prisca, Ecclesiasticæ historiæ, monumen-
ta euoluenti, sit obscurum. Nec id magno pe-
rè admirandum: Nam *primus* eius Fundator,
Sanctus Robertus, etiam antequam in hanc
lucem nasceretur, peculiari Virginis Cultui
atque Deuotioni destinatus videtur: Sanctissi-
ma quippe Dei Mater, Virgo MARIA, Roberti
Matri, vterum gestanti, aureum ostentans an-
nulum, apparuit, hisce verbis eam alloquen-

*1. Fundator
Cisterciensis
Ordinis Bma.
Virginis pecu-
liariter addit.
1. Ioan. Bonifa-
cius lib. 4. histo-
ria Virginalis
cap. 14.*

do: *Engardis* (id enim mulieri nomen erat,)
Filium quem geris, hoc mihi annulo, desponderi
volo. Cum igitur expectata, rem gaudens no-
tasset, iterum deinde, ad eam confirmandam,
eadem iteratò ac tertio obiecta est visio; cuius
veritatem exitus comprobavit: Nam despon-
satio illa, per Religionis ingressum completa
fuit; Annulus peculiarem Virginis amorem de-
notabat. *Alter* eiusdem ordinis Patriarcha
& Propagator, *Sanctissimus Bernardus*, si quis
alius vnquam, cultui atque deuotioni Dei Ma-
tris, apprimè addictus erat, vt non solum om-
nis eius vita contestatum reliquit, sed & libri
cælesti quadam dulcedine, quam ex vberibus
eius, vnà cum Virginali lacte, coràm eius Ima-
gine, precibus intentus, suxisse creditur, quo-
tiescunque Sacri Nominis eius mentio & me-
moriam recurrit, affluentissimè redundantes, id-
ipsum euidentissimè probant atque demon-
strant: *Filioli*, inquebat, fratres suos procon-
satione compellans, *hac Dei & Saluatoris nostri*
Mater, Peccatorum scala; hac mea maxima fi-
ducia est; hac tota ratio Spei meæ. Nec pro se
solum, sed & pro alijs, eam inuocare solebat:
hinc eius attestatio publicè, & pro cathedra,
euul-

Serm. de Aqua
dulci.

DEDICATORIA.

euulgata : *Quoties mihi necesse est, Fratres,* Serm. 2. Dom. 1. post Epiphaniam.
post lachrymosas querimonias vestras exorare
 MATREM MISERICORDIÆ, *ut suggerat suo benig-*
niſſimo Filio, quoniam vinum non habeat is, &
ipsa, dico vobis chariſſimi, si piè à nobis pulsata
fuert, non deerit necessitati vestra, quoniam mi-
ſericors est, & Mater Misericordie. Quin et-
 iam innumerabiliter sæpè, ad implorandam
 assiduè Virginis opem, auditores suos exhorta-
 tur: *In periculis, inquit, in angustijs, in rebus* Hom. 2. super Missis est.
dubijs, MARIAM cogita, MARIAM inuoca: Non
recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impe-
tres eius orationis suffragium, non deserat con-
uersationis exemplum. Et alibi rursum: *Totis*
medullis cordium, totis precordiorum affectibus
& votis omnibus, MARIAM veneremur, quia Serm. de qua ductu.
sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit
per MARIAM; Quidquid illud est, quod offerre
paras, MARIÆ commendare memento, ut eodem
alueo, ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo
influxit.

Sed quid immoror huiuscemodi Elogijs
 Marianis, quibus omnia Diui Bernardi opera
 & sermones copiosissimè perſcatent, & abun-
 dant? Fatebitur ipsemet vir sanctus, in omni

EPISTOLA

Vita S. Ber-
nardilib. I.
cap. 22.

necessitate sua, Virginis patrocinium, & interuentum apud Filium, nullo vnquam tempore, sibi defuisse. Exemplum è quàm plurimis duntaxat vnum, quod Guilielmus Abbas S. Theodorici, Sancto Bernardo admodum familiaris, in eius vita, quam ipso adhuc in viuis agente, coepit conscribere, in præsentì placuit delibare. Cum aliquando Bernardus agrotaret ad mortem, & magnis doloribus vehementius vrgeretur, misit vnum ex Fratribus, ad orandum, ad tria, quæ in Templo erant, Altaria, quorum vnum, in honorem erat Dei Genitricis; alterum S. Laurentij, tertium S. Benedicti. Eadem hora adfuit viro Dei, prædicta B^{ma} Virgo, duobus istis stipata ministris, B. scilicet Laurentio, & B. Benedicto. Aderant autem in ea suavitate, & serenitate, quæ eos decebant, & tam manifestè, vt ex ipso introitu cellula, personas discerneret, singulorum; imponentesq; ei manus, & loca doloris actu pyssimo lenientes, omnem protinus agritudinem depulerunt: siccatus enim illicò phlegmatis riuus, & dolor omnis abscesit. hæc ex ore & calamo Guilielmi Abbatis, quibus facilè quis persuadeatur, Sanctissimum Virum, cuiusmodi Cœlorum Reginae

DEDICATORIA.

ginæ visitationibus, persæpè recreatum existi-
tisse.

Illud porrò indubitatum est, S. Bernardum ¶ I. Cisterciensis
Ordinem suum Cisterciensem, Gloriosissimæ Ordo à Beatissi-
Virginis tutelæ ac patrocínio totum, iam à ma Virgine in
primis eius incunabilis, nuncupasse, & eius persecutionibus
protectioni potentissimæ, summo cum Do-
minij Iure, gubernandum consignasse; Vnde
quoties ab æmulis antiquitus impugnabatur,
toties à Tutelari diua sua defendebatur. Cuius Lib. 7. cap. 6.
rei, memorabilis historia recensetur, à Cæsa-
rio, in hæc verba : *Tempore illo, quo Balde-*
vvinus Comes Flandria, cum Cruce signatis,
Constantinopolim expugnavit, Dominus Papa
Innocentius, Ordini, literis suis mandauerat,
ut quadragesimam partem, omnium rerum sua-
rum mobilium, in succursum terre sanctæ trans-
mitteret. Ordo verò priuilegijs, sibi ab eius An-
tecessoribus indultis innitens, ne libertatem con-
cessam, vertere videretur, in seruitutem, tam
grandi exactioni subiacere, non acquieuit. Vn-
de Innocentius furens, in tantum ordini indi-
gnabatur, ut dignitatibus secularibus indulge-
re proponeret, quatenus possessiones Ordinis sibi
vsurparent. In proximo autem generali Capi-
tulo,

EPISTOLA

tulo, Abbates, qui confluerant, spem suam, in
 Beatissima Dei Genitrice MARIA, qua Ordinis
 Patrona est, & Aduocata, ponentes, scientes
 sententiam male conceptam, eius precibus, &
 meritis, facile posse reuocari, speciales, usque ad
 proximum Capitulum, orationes iniunxerunt;
 hoc etiam adijcetes, ut à capite quadragesime,
 nudis pedibus, de capitulo exeuntes, septem psal-
 mos, cum Litania cantarent, quod & fecimus.
 Interim Beatissima Dei Genitrix, Virgo MARIA,
 cuidam Religioso, nomine Reinerio, iam dicti
 Papæ Innocenti Confessori apparens, in hac
 verba mandauit: Vade & dic Pontifici, Tu Or-
 dinem Cisterciensem, cuius Aduocata sum ego,
 destruere conaris, sed non proualebis; Et nisi ci-
 tius de tuo malo proposito resipiscas, ego te, &
 omnem tuam potestatem conteram. Huiusmo-
 di nuntio, Dominus Innocentius audito, sciens
 Reinerum esse virum sanctum, ac veracem, ti-
 mit, in tantum de concepto peccato pœnitens,
 ut ordinis priuilegia, de nouo roboraret, hoc
 adijcens, ut primo omnium, negotia ordinis in
 Curia expedirentur: Quam Indulgentiam, cum
 tam sua Bulla, quam omnium Cardinalium
 subscriptionibus confirmaret, & unus tantum,

nigræ

DEDICATORIA.

nigri ordinis Cardinalis, contradiceret, ita in illum exarsit, ut statim eum amouere minaretur. Cumq; hæc in proximo Capitulo, Patribus nostris innotuissent, Christum, eiusq; Genitricem Virginem MARIAM, de tam inopinata mutatione glorificantes, orationes iniunctas, cum gratiarum actione, dimiserunt. hæc ad longum Cæsarius.

Nolo isthic ex eodem scriptore prolixius recensere, quomodo Schismate, inter Alexandrum & Callistum gliscente, sub Friderico Imperatore, qui eiusdem Schismatis fomentator erat, & Defensor, & Imperiali Diplomate, Callisto, quem ipse Papam creauerat, omnes obedientiam iurare compellebat, dum pleraq; ordinis Monasteria, ab Ecclesiæ vnitare recedere detrectarent, ideoque solum vertere cogerentur: Cisterciensis Ordo à propugnatrice sua, fuerit subleuatus, protectus atque defensus: Cum enim vnanimi voto, Fratres ad opem diuinam, & interuentum Virginis, confugerent, flexus pius Dominus, Virginis interpellatu, Cor Imperatori ita mutauit, ut cassato exilij decreto, totam Cisterciensem familiam in tutelam suam, protinus reciperet, & in posterum

2.
Lib. 2. cap. 19.

(b)

pro-

propensiori Clementia præ alijs Religiosorū
congregationibus foueret.

2.

Lib. 7. cap. 60.

Huc pertinet solatio plena Visio, cuiusdam
Sanctissimi Cultoris Deiparæ Virginis, ex ordi-
ne Cisterciensi: *Qui, vt Cæsarij verbis vtar,*
Dominam nostram plurimum diligens, ante
paucos annos, mente excedens, ad contemplatio-
nem gloriae caelestis deductus est, vbi cum diuer-
fos Ecclesie Triumphantis ordines videret, An-
gelorum videlicet, Patriarcharum, Prophe-
tarum, Apostolorum, Martyrum, Confesso-
rum, Virginum, & eosdem certis characteribus
distinctos, Canonicos item Regulares, Præmon-
stratenses, Cluniacenses, & alios, de suo ordine
solicitus, cum staret ac circumspiceret, nec ali-
quam de illo personam, in illa gloria reperiret, ad
Beatissimam Dei Genitricem, cum gemitu respi-
ciens ait: Quid est sanctissima Domina, quod de
ordine Cisterciensi, neminem hic video! Quare
famulitui, tibi tam deuotè seruentes, à consor-
tio tanta beatitudinis excluduntur? Videns eum
turbatum, Regina cœli, respondit: Ita mihi dilecti
ac familiares sunt, hi, qui de ordine Cisterciensi
sunt, vt eos etiam sub vlnis meis foueam, aperi-
ensq; pallium suum, quo amicta videbatur, quod

mira

DEDICATORIA.

mira latitudinis erat, innumerabilem multitudinem Monachorum conuersorum, & Sanctimonialium illi ostendit; Qui nimis exultans, & gratias referens, ad corpus redijt, & quid viderit, quidue audierit, Abbati suo, & alijs narrauit, ad ampliorem Dei Genitricis amorem omnes accendens, hucusque Cæsarij stylus & verba.

Ecquis prohibebit, Perquam Reuerende in Christo Pater, si superpondij atq; Coronidis loco, Virginis Matris, in Religiosissimum ordinem tuum, adeò procliuem beneficentiam, alio adhuc, sed breuius contracto exemplo, longè illustriorem reddo? Cum ad Henricum Imperatorem Friderici Filium, eodem Casario memorante, Cistertienses Primarij Patres, de rebus, ad eandem familiam, maxime pertinentibus, Oratores à suis missi, Spiram, peruenissent, in his Petrus, cognomento Cocles, vir magna sanctitatis, qui Clarauallese Cænobium, Diui Bernardi monumentis nobile, gubernabat, haud erat postremus. Urbem igitur ingressi, ad Templum maximum, Beatissima Virgini sacrum (cuius ante quingentos circiter annos Diuus Otto, sanctissimus Bambergensium Præsul, Pomeranorum Apostolus, idemq; Lanckhemësis Monasterij,

*III. Virginis
favor erga Ci-
stertienses Re-
ligiosos.
Casar. lib. 7.
cap. 11.
Ioann. Trith.
libro de scri-
ptoribus Ecclē-
siasticis.*

*Thimo Presb.
in eius vita.*

EPISTOLA

Tuæ curæ commissi, primarius Fundator, sancti Bernardi coæuus, & intimus amicus, Imperatoris Heinrici, iussu, dum eius Capellanum ageret, Architectus fuisse scribitur) honorificè deducuntur, tametsi Patrona loci, eos lateret. Hic, ubi suas Deo immortalis preces obtulissent, ponderosamq; legationem, rerum omnium Parenti, ac Domino, suppliciter commendassent, ceteris ab oratione surgentibus, ac Templi sumptuosam molem, elegantissimamq; structuram spectantibus, singulasque, tam eximia fabricæ partes dimensionesq; mirantibus, Petrus orare ac precari perseuerat. Oranti porro, quod ipse obedientia deinde coactus, enarrauit, Dei Mater assistens, illam ipsam deprecationem, quam Cistercienses, suis Monachis de via reuersis, solemni ritu pronunciant, amantissimè recitauit: Omnipotens sempiternæ Deus, miserere huic Famula tuo, & quidquid illi in via subripuit, visus aut auditus male rei, aut sermonis ociosi, ineffabili pietate, propitius indulge, per Christum Dominum nostrum. Intellexit itaque Petrus, Spirensis illius Magnificentissimi templi, Virginem esse Patronam, non aliundè, quam ex sermone diuinæ Matris, quæ Cisterciensem Hospitem, notis verbis

salu-

DEDICATORIA.

salutasset. Mille alios Virginis Matris fauores & gratias, Cisterciensis familię Clientibus, sexcenties exhibitos. qui volet, ex eiusdem Ordinis annualibus, & de Illustribus eius viris, atque ex toto septimo Cæsarij Dialogorum libro, excerpit, legat, & consideratius expendat.

Quorsum isthęc omnia, & ab ouo, vt ita dicam, atque à longè deducta, & isthuc deriuata? quem nam in scopum collimant? paucis mentem meam aperio. Patronum quærito, sermonibus hiscè, quos de felicissimo Transitu, Assumptione, Coronatione & Patrocinio, Beatissimę Virginis MARIÆ, *Augustissimę* *Hominum & Angelorum Regina*, in eius Tricesimalibus ferijs tum temporis potissimum, ante triginta propemodum annos statis diebus ad populum habui, cum nunquam satis laudando, Ill^{mi} & Reu^{mi} Bambergensis Ecclesię Præsulis, *Neythardi à Thüngen*, Zelo, & immensi laboris opera, Hæresis, è Ciuitate, ac tota fermè Diocesi Bambergensi, esset profligata: Non Ignorabam etenim, si populus repente conuersus, & ad Ecclesię gremium reuocatus auitæ sed hactenus propemodum extinctæ Maiorum, pietati, Tricesimalibus præconijs, Assump-

EPISTOLA

ptam in cœlos Virginem, deuotè concelebrandi, denuò assuesceret, eius deuotione interueniente, ad alia Catholicæ pietatis exercitia facillimè iri adductū. Nec spem labor; nec laborem fefellit fructus, exinde consecutus, qui etiamnum Dei gratia, & virginis ductu perennat. Eius igitur suauitate allectus, iam tandem, post tot annorum decursus, dictos sermones ad eorum præcipuè utilitatem, qui Virginem impensius colunt, & obseruant, vsui publico euulgatum eo. Verum inter alios occurrentes quibus inscribi possent ac deberent, *Te* potissimum elegi, *Admodum Reuerende Pater*, qui eius familiæ Prælatus, non solum legitimè, omnium Fratrum tuorum, calculis, non ita pridem electus sed & solenni ritu, Virtutum Tuarum merito, inauguratus es, quæ Virgini Matri, peculiari seruitutis voto, ac homagio, est obstricta. Nec desunt rationes quam plurimæ, quibus impellor: Taceo cæteras, tam publicas, quam priuatas; vnā allego, quæ animū meū, tui amore, iam pridem tenacissimè imbutum, penitus impleuit, solidissimeque occupauit: Vidi partim oculis meis, partim aliorum relatu comperi, quanta pietatè, ac deuotione, Virgi-

DEDICATORIA.

nis Deiparæ Tricesimales laudes, vnà cum numeroſo, Patrum ac Fratrum, Conuentus Tui, Grege, Matutinis iam de more finitis, non ſolum in eius Aſſumptionis Feſto, inchoaueris, verùm etiam, vſq; ad Natalis eius octauã diem, quotidie continuaueris, adeoq; perpetuis deinceps temporibus, annuatim religioſiſſimè celebrare decreueris & ſanciueris; quo ipſo pietatis obſequio, *Tibi, Tuisq; Clientibus*, non ſolum mille fauores & gratias, virginis Glorioſiſſimæ opitulatu & interuentu, haud dubiè conciliabis, verum etiam, alios ordinis Tui Prælatos, ac Præſules, ad idem, Deuotionis Virginalis opus, haud dubiè quàm efficaciſſimè accendes, & inflammabis. Pernoui inſuper, quanta dexteritate, quantoq; cum Zelo & feruore, tibi diuinitus conceſſum, verbum Dei prædicandi & concionandi, donum atq; Talentum, in ouiculis olim curæ Tuæ, *in Iſlacenſi Parochia*, concreditis, ad eundem, erga Deiparam Virginem, amoris affectũ, flectendis & permouendis expendere conſueueris, ad quem cultus Parthenij ſenſum & affectum inter Tuos, vberiori cum fructu, latius propagandum, Sermones iſti Tricesimales, forſan aliquantulum inſeruire poſſunt;

EPISTOLA DEDICATORIA.

possunt; vnde nemini alteri, quàm Tibi eos inscribere volui ac nuncupare. Boni ergò consule Munusculū librarium, non equidem Dei Matris, Cœli Reginæ, cuius laudes complectitur, Altissimæ dignitati, & supereminenti Excellentiæ ac Maiestati, correspondens: Sed Tuæ in me benevolentia, mutuæque amicitia ac necessitudini Nostræ, gratæ mentis significationem exhibens, ac repræsentans: Cogita igitur, quod Græcus ille Poëta, qui dicebat:

Ξενίων δὲ τὸ θυμὸς ἄριστος.

*munerum
simus optimus.*

Vale sospes, & in Nestoreos annos, pro bono Ordinis, ac Monasterij Tui superstes viue, post fata in cœlo perennaturus; hoc ex corde voveo, & intimo animi affectu comprecor & opto. Bambergæ Calend. Octobris, Anno Virginei partus. M.DC. XXVI.

*Tibi in Christo fidelissimè tanquam
Fratri addictus.*

FRIDERICVS FORNERVS
Suffraganeus Bambergensis SS. Th. D. &c.



SERMONVM TRICESIMALIVM DE ASSVMPTIONE,
CVLTV AC PATROCINIO GLORIOSISSIMÆ Virginis, Dei Genitricis Mariæ,
SYNOPTICVS INDEX,
S E R M O I.

Beatissimæ Dei Genitricis desiderium
moriendi.

*Thema: Desiderium habeo dissolui & esse cum Christo. Phil. i.
Ecce enim ex hoc nunc, Beatam me dicent omnes generationes.
Lucæ i.*

Contenta.

EXordium, Ex ore S. Bernardi, asserentis, signum quod aliquis sit habendus è numero Electorum, esse Virginis Deuotionem.
2. Origo Tricesimi Virginis. 3. Quomodo is celebrandus. 4. Ad eiusdem frequentationem Exhortatio. I. Virginis desiderium ex hoc mundo transeundi, cur tam diu protelatum, & annis quindecim prorogatum? Cum præsertim Mors hominì Virtuoso minimè pertimescenda? I. Tres causæ ex S. Anselmo. II. Annis quindecim elapsis creuit Virginis desiderium ad filium transeundi. III. Mors Virgini dulcis nou pertimescenda. 1. Quia ad eam benè, in omni vita parata. 2. Quia in Deo moritura. 3. Quia certa de felicitate. 4. Quia à tota cælesti curia expectabatur. 5. Ex S. Ioanne Chrysofomo, de multis laborantibus, qui laboris expectant finem. 6. S. Gregorij Nazianzeni dictum de morte appetenda. II. Virgo de obitu suo per Archangelum Gabrielem certificatur. I. Testimonia, Simeonis Metaphrastis, Cedreni, Nicephori. II. Palmæ Ramusei ab Angelo defertur. 1. In signum Victoriæ Mortis. 2. Vt de Morte certificetur. III. Cur palma ei Cælitus missa, & non potius Rosa vel lilium? 1. Ob triplicam Victoriã. 2. Quia Palma erat futura in domo domini. 3. Vt Martyrum Reginæ.
(c) IV. Ex-

I N D E X

IV. Exempla palmigerorum sanctorum, Ex vita sanctorum Mariani & Iacobi. Epilogus. Obsecratio ad Virginem, vt & nobis diem obitus nostri præsignificare dignetur.

S E R M O II.

Virginis Deiparæ singularis consolatio ante obitum; Ex Apostolorum præsentia, & Mirabili congregatione,

Ingredieris in abundantia sepulchrum sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Iob. 5.

Contenta.

EXordium. Si aliorum sanctorum Mors, Multo magis Bmæ Virginis transitus, somno erat assimilandum. I. Apostolorum præsentia confirmatur à S. Patribus. 1. A S. Dionysio Arcopagita. 2. A S. Iuuenali. 3. Andrea Cretensi. 4. Michaele Syngelo. 5. A S. Gregorio Turonensi, S. Illefonso, S. Damasceno. II. S. Apostolorum, S. Dionysij & aliorum, Hierosolymam, tempore obitus Virginis per aërem, facta, transuectio, Deo non impossibilis. II. Gloriosissima Virgo quomodo se disposuerit ad Mortem. I. Vestes suas legat pauperibus duabus virginibus. II. Docet nos vt Testamenta nostra, quoad causas pias, ipsimet Exequamur. III. Quonam casu, vna ex vestibus Bmæ Virginis Constantinopolim fuerit translata? III. Causæ, cur Christus Dominus Apostolos ad sacratissimam Matrem morituram Congregarit? I. Nostrum Exemplum. II. Vt singulari lætitia moriens recrearetur. III. Aliæ congruentiæ complures. IV. Bmæ Virginis vltimum vale, Apostolis, & alijs Christianis dictum. 2. Affectio caelestium ciuium erga Virginem, iamiam morituram. 3. Sanctorum, in Ecclesia Militante adhuc degentium, suspiria ad Virginem, iamiam in Coelos assumendam. 4. Virgo sacrosancta benedicit Apostolis & alijs sanctis, Epilogus. Vt nobis quoque Bmæ Virgo in transitu nostro benedicat.

I N D E X.

S E R M O III.

Dei Filius è Cœlo, occurrit Matri, ex hac
vita decedenti; eamque ad cœlestem
coronam inuitat.

*Veni de Libano soror mea sponsa; veni de Libano; veni Co-
ronaberis. Cant. 4.*

Contenta.

EXordium. Filius audiens Charissimam Matrem breui morituram,
relictis haud dubiè omnibus, eam inuisit nec hac in parte Christus
Dominus, defuit sacratissimæ Virgini Matri. I. Veritas & æquitas huius
visitationis ex parte Filij Dei, e multis scripturis & Patribus. II. Voca-
tio Christi Matrem compellantis. 1. Euocatio ad cœlestem Coronam.
2. Meritum cœlestis coronæ, quo cum Virgo à vita mortali recessit III.
Dulcedo animæ Virginis sub hac Inuitatione, ES Brigittæ Reuelatione
Explicatur. IV. Præsèntia cœlestis Exercitus è Sophronij S. Illeonsi
Bernardi & aliorum Testimonijs comprobatur. V. Imploratio Patro-
cinij Virginis, vt & nos feliciter hinc transeamus, exemplo S. Andrea
de Chio, qui Martyrij coronam, Bmæ Virginis ope, felicissime est asse-
cutus. Epilogus. Fiducia ad Virginem, & nos sub eius Patrocinio, fe-
liciter ex hac vita emigraturos.

S E R M O IV.

Beatissimæ Virginis obitus à doloribus Mor-
tis & ab Infestatione Dæmonum, omnino
immunis.

*Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acer-
uus tritici, in tempore suo. Iob. 5.*

Contenta.

EXordium. Rex Reginam præ alijs Gynecæi sui feminis, meritò
honorat: Ita Christus animam Virginis, hinc migrantis, præ alijs
sanctorum animabus. I. Dolores mortis Bmæ Virgo non sensit. Et pro-
batur. 1. A nobilissima eius complexione. 2. A filio ad cœlestia gaudia
(c) 2 eam

I N D E X

eam euocant. 3. A doloribus quos pertulit sub cruce. 4. Ab exemplo S. Ioannis Euangelistæ. 5. A testimonijs S. Dionysij & aliorum SS. Patrum. 6. Ab exemplis alijs Moysæ, Abra filia S. Hilarij &c. II. Dæmonum oppugnationibus Bma Virgo in obitu non fuit infestata. 1. Ob præsentiam SS. Angelorum. 2. Ob præsentiam sanctorum Apostolorum. 3. Ob Virginis potestatem, Dæmones coercendi. II. Nobis porro in mortis articulo metuendum à Dæmonis infestatione. 1. Constat è scripturis. 2. E sanctis Patribus. III. Hostilitas diaboli in hora mortis multis similitudinibus declarata, addito exemplo S. Martini

IV. Consilium de assumenda Bma Virgine, in partem nostram, contra Diabolum, 1. Historia de Carolo Sueuicæ duce, filio S. Brigittæ. 2. Alia de nobili adolecente. Epilogus. Oranda Bma Virgo verbis S. Ephrem, vt nobis contra Diabolum in extremis assistat.

S E R M O V.

Sacratissimum gloriosissimæ Virginis corpus, in sepulchro, nec decuit, nec potuit
in cineres resolui.

Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Psalm. 15.

Contenta.

EXord. Incorruptio Carnis Virginalis, ab eius Immaculata conceptione, dependet. I. Corporis Virginalis immunitas, à corruptione, I. Decebat Matrem Dei. II. Eius merito conueniebat. III. Materna dignitas, eam importabat; idque probatur Testimonio S. Augustini & S. Ioannis Damasceni. II. Incorruptibilitatis congruentia. I. Ex parte Dei filij; eam Matri promerentis. II. Ex parte sapientiæ diuinæ. III. Ex parte bonitatis Dei. IV. Ex parte Reliquiarum, & corporum, aliorum sanctorum, quæ tot Miraculis à Deo exornantur, & non raro diuinitus manifestantur, vt corpus S. Gerualdij & Protasij &c. V. A Miraculosis præseruationibus Ionæ, Danielis, trium puerorû &c. VI. A corporibus sanctorum, quæ integra adhuc seruantur. S. Cæcilie, S. Francisci Xauerij &c. VII. Triplex petitio nostra ad Virginem. Et Inprimis vt nobis in vltimo certamine, contra Diabolum, assistat, sicut sancto Guilielmo. Epilogus. Exhortatio ad perseuerantiam in cultu Virginali.

I N D E X.

S E R M O VI.

Sepultura B^{ma} Virginis Miraculis &
prodigijs Clara.

Et erit sepulchrum eius gloriosum. Esaiæ II.

Contenta.

EXordium. Verba ista, non solum de lapideo Christi tumulo, sed & de corporis Virginalis sepulchro accipienda. I. Honorata fuit sepultura Virginis multis miraculosis sanitatibus. 2. Sanatione prodigiōsa, Iudæi, qui sacrum corpus eius, è feretro deturbare moliebatur. 3. Angelicus concentus. II. Funeralis celebritas meritò adhibenda erat Virginis sepulturæ. Probatum plurimis scripturæ Exemplis. III. Historia de Iudæo sacrum Virginis Corpus è feretro excutere volente, manuū abscissione castigata, sed iterum sanato, plurimis Doctorum veterum testimonijs; comprobatur. II. Exempla sanctorum in exequijs suis, diuinitus honoratorum. III. Exempla sanctorum, quorum transitus & funera, Angelorum concentibus, & hymnodijs celebrata. Epilogus: Vt & corda nostra sint sepulchra, in quibus B^{ma} Virgo, per deuotionem suam gloriosè sepeliatur.

S E R M O VII.

Resuscitatio Corporis B^{ma} Dei Genitricis gloriosa.

*Surge Domine in requiem tuam tu es Arca sanctificationis
tua. Psalm. 131.*

Contenta.

EXordium à Maiestate, Virginis Dei Matris, quam decebat, gloriosa corporis resuscitatio ante generalem Mortuorum resurrectionē, ne sanctum Domini, videret corruptionem. I. Apparatus pro resuscitatione Virginis Corporis. 1. Christus Dauid cogitans de translatione Arcæ fæderis. II. Interpellatores pro gloriosa eius resuscitatione S. Angeli 2. Patriarchæ & Prophetæ. 3. Anima Virginis. 4. Corpus ipsum. 5. Spiritus Virginis. III. Processio cælestis Aulæ instituta ad sepulchrum. 2. Quam gloriosè Christus exceperit sacrum Matris corpus. II. Absen-

I N D E X.

tia S. Thomæ, cum virgo ex hac vita emigraret. 2. Referatio sepulchri, ad eius instantiam facta. 3. Corpus non amplius repertum. III. Multa testimonia Patrum de gloriosa resurrectione corporis Virginalis. II. Virginei Corporis gloria in Cælo. Epilogus. Sicut Bona Virgo, S. Arnulphum Episcopum, in die Assumptionis suæ, in Cælum transfue-
xit; ita & nos, hanc nobis, ab ipsa gratiam, Exoptamus Amen.

S E R M O VIII.

Virgo Mater, Corpore & anima, translata
in Cælum, clientum suorum salutem in
tuto potis est collocare.

*Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata
varietate. Psalm 44.*

*Exaltata es sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad
caelestia regna. S. Ecclesia.*

Contenta.

EXord. Deuotio celebrantium Tricesimum laudata. I. Virgo cum corpore & anima translata est in Cælum. I. Hæreticorum hac de re opinio. 2. B. Virgo socia secundi Adam. 3. Lignum vitæ in Paradiso. 4. Arca Noë super Montes Armenia. 5. Arca fœderis, in templo caelesti. II. Arca fœderis collocatio in templo caelesti. 2. Quæ fulgura & terræ motus sicut per hanc Arcam. 3. Domus Rahab seruata. III. B. Virgo Bersabea Mater Salomonis. IV. Prophetica Vaticinia in eius Assumptione impleta. II. Patrum Testimonia, de Corporali Virginis Assumptione. 1. S. Athanasij. 2. S. Damasceni. 3. S. Anselmi. 4. S. Bernardi. 5. Sophronij. II. Plurimarum rationum congeries, è S. Augustino. 1. Concepit sine corruptione, cur non mortua & allumpta sine corruptione? 2. Ab vnione carnis Christi, cum carne Matris. 3. Ab vnitate cum Christo per gratiam & Naturam. 4. A dignitate & præstantia Naturæ Matris. 5. A Ministris Christi. 6. A præseruatione aliorum sanctorum. III. Aliæ rationes. 1. A plenitudine gratiæ. 2. Ab immunitate à peccato Originali. 3. A perfecta liberatione viri & femina. 4. A Conuenientia loci, cum locato. 5. Virginitas à vermibus immunis. 6. A meriti eius Magnitudine. IV. A peritione sepulchri & Miraculis veritas roboratur. Epilogus. Vt nobis peccantibus gratiæ vitam recuperet, & ad scopum prædestinationis æternæ conducat.

I N D E X.

S E R M O IX.

Causæ, ob quas Dei filius Matrem suam,
cum Corpore & anima, transtulerit
in cœlum.

*Exaltata es S. Dei Genitrix, super choros Angelorum ad
caelestia regna:*

Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato &c.

Psalm. 44,

Contenta.

EXordium. A memoria B^mæ Virginis, qua teste S. Anselmo, nihil
utilius. I. Causæ exaltationis Dei Matris. 1. Ut sit propitiatorium
humani generis. 2. Ut impleat vaticinium Balam. 3. Ut sit Asylum cœ-
leste. 4. Ut sit nostra Iudith & Esther. II Testimonia SS Patrum de
causis eius exaltationis. 1. S. Augustinus & S. Bernardus. II. Variæ
Patrociniij virginalis inuocationes à S. Patribus factæ. III. Rabbi Simeon
Iudaicus Doctor, credidit virginis intercessionem apud filium Messiam,
antequam virgo nasceretur. IV. Obiectio Hæreticorū soluta & reiecta.
V. Horum omnium fundamentum: Quia est Regina, in regno filij. III.
Virginis intercessio Historijs probata. I. Succurrit Ecclesiæ Orientali.
1. Dum extinxit hæresin Pauli Samosatheni. 2. Dum Iulianum Aposta-
tam è medio tollit. 3. S. Ioannem Chrysostrum & Cyrillum recon-
ciliat. 4. Iconoclastas Constantinum Copronymum & Leonem Ar-
menium è medio tollit. II. Opem tulit Ecclesiæ Occidentali. 1. Sub
Friderico secundo, vbi visio S. Dominici recensetur. 2. Sub Henrico
4. vbi infans loquitur & intercessionem virginis pandit. 3. Moderno
tempore intestino bello tota Germania flagrante, in quo Sermo Baua-
riæ Duci Maximiliano Electori insignem Victoriam procurauit, Calui-
nianam Vnionem, in nihilum redegit, victorias innumeras Cæsari
procurauit. Anglicum & Hollandicum fœdus haud dubiè in ventos dis-
sipabit. Epilogus. Petitio vt sicut B^ma Virgo totius Ecclesiæ, ita & no-
stri curam agat.

I N D E X.

S E R M O X.

Deipara Virgo in summa est gratia apud
Deum, vt valeat pro alijs orare, & Ex-
audiri promereatur.

*Exaltata es sancta Dei Genitrix &c. Assitit Regina à dextris
tuis in vestitu deaurato. Psal. 44.*

Contenta.

EXordium ab igne, in quem si sæpius insuffletur magis accenditur: Ita Virginis deuotio, quo crebrius de ea loquimur. I. Quæstio: An B^{ma} Virgo sit in gratia apud Deum? Quod ita. I. Probatum è scripturis. 1. A sanctis veteris Testamenti qui tamen adhuc in limbi carcere detinebantur. 2. Ab honore aliorum sanctorum. 3. A magnitudine meriti Virginis. II. Patrum Testimonia. 1. S. Dionysij & S. Bernardi. 2. Salus æterna per Virginem speranda & assequenda ex alijs Patribus. III. Signa gratiæ apud Principem. 1. Mensæ communio, Largæ donationes. 3. Honor subditorum, Principis Mandato exhibitus. 4. Familiaritas cum Principe. Omnia B^{ma} Virgini applicata. IV. Historiæ. 1. De S. Agnete. 2. De Pio Papa II. 3. Alexander frater B. Mechtildis. V. Miracula ad virginis intercessionem. 1. Per totum orbem. 2. In eius Ecclesia Weyerensi. 3. Ad eius statuam vetustissimam, in Ecclesia S. Martini. Epilogus. Compellatio Virginis, ex ore S. Augustini, S. Anselmi, & S. Ephrem, vt virgo nos, ad æterna gaudia, promoueat, feliciterque conducat.

S E R M O XI.

Gloriosissima Virgo, pernouit, quid nobis
desit; audit quoque se inuocantes, eorumq;
preces verè exaudit.

*Regem in decore suo vident oculi eius, cernunt terram de
longè. Esaiæ 33.*

Contenta.

EXordium. Quo infensus Virginis Patrocinium ab hæreticis impugnatur, tantò impensius, nobis conuenit, illud defendere, ac pro-

I N D E X

propugnare. I. Patrociniij Virginalis impugnatores hæresiarchæ, Caluinus & Lutherus, refutati & veritas defensa. 1. Hostes Patrociniij Virginis. 2. Eorum Fundamentum ex Ecclesiastico Salomonis planè dissectum. 3. Cognitio Virginis probata. Ab Adami scientia, in statu Innocentiæ. 4. A cognitione Prophetarum. 5. A reuelatione præteritorum præsentium & futurorum, facta Prophetis. 6. Christus hanc scientiam sanctis exorauit. 7. Quia melior conditio Beatorum, quàm damnatorum. 8. Ab exemplo Angelorum. II. Scientia Beatorum in genere, à S. Patribus probata. 2. Vigilantiij Obiectio à S. Hieronymo confutata. III. Scientia Bmæ Virginis in particulari, ex Patribus. IV. Quæstiones duæ de hac scientia. 1. An sancti videant res terrenas, per proprias species, vel vt sunt in essentia diuina? II. Quænam sancti vident in verbo? 1. Species omnium rerum creatarum. 2. Mysteria Fidei, quæ hic obscure credimus. 3. Quæ pertinent ad statum Beatorum. 4. Orationes ad ipsos factas. 5. Alia pro luminis gloriæ quantitate & merito. 6. Apparitiones Samuelis & Hieremiæ. V. Historiæ. 1. B. Virgo apparuit S. Iacobo Apostolo. 2. S. Musæ. 3. S. Alfonso. 4. S. Arnulpho. 5. S. Heriberto. Ioanni Patrício Romano, & eius vxori. 7. Miraculosa, liberatio captiui, ex historia Deiparæ Weyerensis Epilogus. Vt Virgo, quæ scelestissimos etiam peccatores, non respuit, maternum affectum suum, in extremis nostris exhibeat & ostendat.

S E R M O XII.

Beatissima Virgo, per meritum Christi,
iam æquè, ac dum viueret, apud Deum, aliquid valet impetrare.

Pete mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam.

3. Reg. 2.

Contenta.

EXord. A Bersabæa Matre Salomonis, apud ipsum pro Adonia intercedente. I. Oratio viuentium, in hac vita, pro alijs, confirmat intercessionem Sanctorum. II. Argumentum trimembre & inuincibile, pro valore Orationis Sanctorum in Cælo. 1. Non impedit eos ignorantia rerum nostrarum quæ in terris geruntur. 11. Nec repugnat statui Beatitudinis 111. Meritum Christi æquè benè apud eos in cælis atque apud vos viuente, in terris operatur. 1v. Cura virginis pro viuentibus,

(d)

tibus,

I N D E X.

tibus. v. Fundamentum communionis sanctorum. vi. Sancti in Cœlo, cum gaudio contemplantur vulnera Christi. III. Historia. 1. De S. Dorothea. 2. De S. Potentiana. 3. Ex historia Weyerensi de Mulieris ob crimen in aquis præfocanda. 4. Calumnia hæreticorum, duabus similibus historijs absterfa. 1. De blasphemo cui lingua execta & per Bmam Virginem Lauretanam, restitute. 2. De Mulier Laudunensi in medijs flammis Illæsa. Epilogus. Obtestatio ad virginem vt nos ab Iræ diuinæ diuinitus à gehennæ flammis, custodiat & præseruet.

S E R M O XIII.

Beatissima Virgo promptissimæ voluntatis est, ad succurrendum.

Manus suas aperuit inopi & palmas suas extendit ad pauperē.

Contenta.

EXordium. Ab arida glyzyrrhiza, quæ quò diutius masticatur, eò magis palatum indulcorat. Idem cultoribus Virginis euenit, in eius laudibus aut prædicandis aut audiendis. I. Virginis promptitudo, probatur exemplis scripturæ. 1. Rebeckæ. 2. Rahab. 3. Mulieris in oppido Thebes. 4. Iudith. 5. Mulieris Thecutididis. 6. Esther. 7. Viginti quatuor seniores. 8. Ipsa Virgo in nuptijs Canæ Galileæ. II. Præconia promptitudinis Virginalis, ex sanctis Patribus. III. Efficacis Patrociniij requisita. 1. Scientia. 2. Facultas. 3. Voluntas. II. B. Virgo, Mater Misericordiæ. III. Aduocata Clemens, Dulcis, Pia. IV. Exempla Clementiæ & liberalitatis. 1. Vespasianus. 2. Cyrus Persarum Rex. 3. Ptolomæus Ægypti Rex. 4. Alexander Seuerus. 5. Constantinus Magnus. 6. Lex X. Pontifex. IV. Exempla promptitudinis Dei Matris. 1. Narses Eunuchus. 2. Heraclius. 3. Georgius Castriottus Epyri Despota. Epilogus. Petitio vt Bma Virgo, in nos quoque, liberalitatis & promptitudinis, atque Clementiæ sinum expandet.

S E R M O XIV.

Virgo Deipara Clientibus re ipsa Patrociniatur in Cœlo.

Obuiabit illi, quasi Mater honorificata. Ecclesiast. 15.

Contenta.

EXordium. Collocatis ædificij fundamentis, facilius reliqua superstruuntur: Ita positis fundamentis Patrociniij Virginalis, reliqua liqui-

I N D E X.

quidius, deducuntur. I. Virginis Patrocinium deductum ex figuris. I. Arca Noë. 2. Arcus Iridis. 3. Scala Iacob. 4. Virga percutiens Petram. 5. Abigail. 6. Signum adiutorij. 7. Patrocinij certitudo. II. Eiusdem utilitas, ex sanctis Patribus deducta. III. Patrocinij eiusdem Elogia varia, ex scripturis. 1. Aurora consurgens. 2. Luna. 3. Sol. 4. Castrorum acies Ordinata. 5. Cedrus. 6. Cypressus. 7. Palma. 8. Rosa. 9. Oliua. 10. Platanus. 11. Cinamomum & Balsamum. 12. Myrrha Electa. 13. Castellum. 14. Martha. 15. Maria. IV. Miraculosum Oleū è Sanctorum Corporibus, historia plurimæ: Et quale Oleum B^{ma} virgo in deuotos suos effundat? V. Oleum Miraculosum ex Virginis imaginibus. 1. Prope Damascum. 2. Constantinopoli. 3. Sozopoli. Præstantius Oleum B^{ma} Virgo nobis inspergit. VI. Olei proprietates, Misericordiæ Virginis attributæ. 1. Supernatat. 2. Emollit. 3. Relaxat. 4. Condit cibos. 5. Vires instaurat. 6. Ignem fouet. 7. Ferramenta à rubigine præseruat. Epilogus. Vt eadem oleo significata auxilia, nobis ex hac vita emigraturis conferat.

S E R M O XVII.

Quis fructus è pio & sedulo cultu Deiparæ
Matris hauriendus? Spes indubitata,
æternæ salutis.

*In Iacob inhabitata & in Israel hereditare & in electis meis
mitte radices. Eccl. 24.*

Contenta.

EXordium. Pro Cõpletis Tricesimalibus laudibus B^{ma} Virgo suis gratias agit. I. Signum Prædestinationis, vera deuotio Virginis. 1. Testimonium ex Ecclesiastico. In Iacob inhabitata, in electis meis mitte radices. 2. Quid radicatio Virginis in electis? 3. Quid Virginem elucidare? 4. Quomodo Virgo diligat se diligentes? 5. Quomodo Virgo in vijs Iustitiæ ambulet? 6. Fructus deuotionis, erga Dei Matrem. II. Testimonia Patrum, de hac ipsa veritate. III. Ratio firma, Euincens Scopum nostrum. 1. Virgo remouet omnia impedimenta salutis. 2. Impedit Diabolum. 3. Nullum, etiam grauissimum peccatorum, repellit. 3. Visio S. Gertrudis. 5. Reuelatio facta, S. Brigittæ, de Carolo filio suo, Sueuiæ Duce, Epilogus. Vt B^{ma} Virgo Salutem nostram in extremi ægonis certamine, sibi habeat commendatam.

I N D E X.

S E R M O XVI.

In cœlesti throno ad filij dextram, cur potissimum fuerit exaltata?

Eleuata est magnificentia tua super cœlos. Psalm. 8.

Contenta.

EXord. Sicut Angeli lætantur de Assumptione Virginis in Ecclesia Triumphante, ita conuenit vt nos ob eandem triumphemus, in Ecclesia militante. I. Varia Virginis Elogia. 2. Cur Virgo ad filij dextram assistat in cœlo? 3. Impletio Vaticinij Balaam. II. Varia beneficia Virginis in scripturis explicata. 2. Figuræ variæ, beneficentiam Virginis importantes. 3. Ipsa virgo beneficia sua declarat. III. Vtilitas eius deuotionis. 1. Ex vltimo capite Prouerborum Salomonis. 2. Ex prædictione Esaïæ Prophetæ. IV. Patrum Testimonia. 1. S. Augustini & S. Bernardi. 2. Remotio omnis dubij ex S. Ioanne Damasceno & alijs Patribus. 3. Inuocationes Virginis, factæ à S. Athanasio, S. Ephrem, S. Anselmo & Theophilo Ciliciæ Archidiacono & Oeonomo. V. Historia de peccatore desperatissimo gutta sanguinis Christi liberato per Virginem. 2. Vulnus lateris Christi quàm peccatoribus saluferum. 3. Peccator damnandus ad vitam redire iubetur. Epilogus ad Bmam Virginē, vt misericordiæ suæ Magnificentiam, ad eò Eleuatam, nobis quoque exhibeat, quando ante tribunal filij eius citabimur, rationē reddituri.

S E R M O XVII.

B^{ma} Virgo, ideo in cœlum est assumpta, vt in miseros Mortales, quinque officia exercent, quæ sub Nominis eius literis, continentur.

Eleuata est Magnificentia tua super cœlos. Psalm 8.

Contenta.

EXordium. Ab adagio. Quam quisque nouit artem, in ea se exercent: Misericordiæ Mater exercet quinque officia sub eius Nominis literis comprehensa. I. M. Mater est & omnia fidæ Matris Munia, nobis præstat. II. Aduocata, quia omnes Aduocati vices, apud filium obit. III. Reconciliatrix placans Iratum filium. IV. Illuminatrix stella, auro-ra, Sol, Luna &c. V. Auxiliatrix, contra hostes visibiles & inuisibiles.

2. Vir-

I N D E X

2. Virginis beneuolentiã ad hæc omnia præstanda. 3. Hæreticorũ Cauillus displorus VI. Historiæ ex quibus constat quomodo Virgo Dei Mater, vniuersæ Ecclesiæ, in omni necessitate opem tulerit. 1. Contra Hæresin Pauli Samofatheni tempore S. Gregorij Thaumaturgi. 2. Sub Iuliano Apostata. 3. Tempore S. Ioannis Chrysostomi. 4. Iconoclastas è medio sustulit. 5. Mala plurima à tota Christianitate tempore S. Dominici auertit. 6. Iram Dei ab hominibus concitatam sedauit. Epilogus. Laudati cultores virginis per eius Tricesimum.

S E R M O XVIII.

Quanta cum gloria atque triumpho fuerit
suscepta in cœlo?

Veni de Libano, veni Coronaberis. Cant. 2.

Contenta.

EXordium. A duplici solennitate à Dauide & Salomone in honorem Arce fœderis instituta. Sicut ergo duplicem Virginis translationem celebrant Angeli in Ecclesia Triumphante ita & nos in Ecclesia militante. I. Promissio & inuitatio Christi. Comparatio ad alios Dei seruos, ad quos in eorum transitu se venturum promisit. II. Apostrophe ad Virginem Cœlos ascendentem. 1. De eius interno & ineffabili gaudio, & aspectu & inuitatione Filij. 2. Stupor & admiratio sanctorũ Angelorum. 3. Promeritis honoribus Christus excipit Matrem suam. III. S. Patrum testimonia de hac solennitate. 1. Occursus Christi Domini Matrem honorantis. 2. Animata saluatoris Arca transfertur in Cœlum. 3. Apparatus cœlestis quo excipitur B^{ma} Virgo. 4. Solennitas Triumphi. 5. Applausus S. Augustini & S. Illesonsi. IV. Exaggeratio gaudij Angelorũ aliorumq; sanctorum. 1. A gaudio Angelorum sub per vno peccatore pœnitentiam agente. 2. A Lazaro Mendico. 3. Ab alijs Iustis. 4. Ab exemplo S. Iudith. 1. Exceptio sponsæ Regis, venientis ad sponsum. V. Ab historijs. 1. S. Benedictus. 2. S. Eulalia. 3. Septem Mulieres, cum S. Blasio passæ. 4. S. Seruulus Paralyticus. 5. S. Martinus. 6. S. Sysois. 7. S. Erasmus Martyr. 8. S. Dominicus, Epilogus. Congratulatio pariter & obsecratio ad Virginem directa, vt eius gloriosissimum Triumphum videre mereamur in cœlis.

S E R M O X.

S E R M O XIX.

De Coronatione Virginis gloriosæ, ho-
minum & Angelorum Reginæ.

Et positus est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dextram eius.

3. Reg. 2.

Contenta.

EXordium. Ab obsequio & homagio Reginæ, ab vniuersa Regia-
aula præstari solitis, dum solenni cæremonia, est coronanda. I. An-
gelorum seruitia ante Virginis coronationem II. Apostrophe ad S. An-
gelos, de Triumpho, quo B^{ma} Virgo euecta est in cælum. 2. Responso
Angelorum. 3. Exceptio Reginæ Sabba. II. Processus & cæremoniæ
coronationis. 1. Personæ Requisitæ Rex S. Trinitas. 2. Primas & Ar-
chiepiscopus Christus, Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 3.
Aulæ Regis Præfectus, S. Michael. 4. Aulæ Reginæ Præfectus, S. Ga-
briel. 5. Duo Pontifices assistentes Melchisedech & Aaron. 6. Regni
Proceres, Patriarchæ & Prophetæ. 7. Reginæ Gynecæum sanctæ Vir-
gines. 8. Aulicum famulitium, nouem Angelorum Chori, & Sancti il-
lis inferti. 9. Subditi Regis, & Reginæ, omnes Catholici Christiani. III.
Actus Coronationis. 1. Præsentatio Reginæ, & petitio vt coronetur. 2.
Benedictio & vnctio. 3. vestitus Regius & Coronatio. 4. Sceptri colla-
tio. 5. Homagij exhibitio. IV. Pecuniæ in populum distributio. 1. Quæ
& qualia numismata? 2. Beneficia Virginis Miraculosa, Inuocantibus
hanc Reginam hodierno etiam die conferri solita. 3. Eorum Thesaurus
in historia Weyerensi. Epilogus. Vt Virgo, Regia potestate sua vtatur,
in nostra salute assecuranda.

S E R M O XX.

Corona duodecim lapidum preciosorum,
Virgini Matri, in Reginam inauguratæ,
imposita.

*Quoniam præuenisti eam, in benedictionibus dulcedinis: po-
suisi in capite eius, coronam, de lapide preciofo. Psalm 20.*

Contenta.

EXordium. Inter Regia Cimelia, corona præcipuum obtinet lo-
cum; Quia igitur Corona de lapide preciofo Reginæ Cæli imposita
esse, nou dubitatur; Eius præcipuæ gemmæ præsentis sermone aliquan-
tisper contemplandæ. I. Gemma Adamas, 1. Eius sex proprietates,
aptis-

I N D E X.

aptissime quadrant Virgini. II. Asterites, cum duabus proprietatibus. III. Argyrites, cum 4. Proprietatibus. IV. Carbunculus, cum 7. Proprietatibus. V. Enydros, cum 3. Proprietatibus. VI. Gemma solis, cum 3. Proprietatibus. VII. Heliotropia, cum 4. Proprietatibus. VIII. Pantherus, cum duabus proprietatibus. IX. Pionices cum duabus proprietatibus. X. Selenites, cum duabus proprietatibus similiter Virginis dignitatem repræsentantibus. XI. Topazius, cum tribus qualitatibus, virgini applicatis. XII. Vdechites cum 4. Proprietatibus virgini attributis. Epilogus. Obtestatio, vt Virgo Dei Mater, omnium istarum gemmarum, coronæ suæ, virtutes, circa nos & salutem nostram perenniter exercere, dignetur.

S E R M O XXI.

**Congratulatio Virgini exhibita, à Nouem
choris Angelorum, totaque cœlestium
Ciuum, Communitate.**

*Benedicentes Dominum, exaltate illam quantum potestis;
Maior est enim, omni laude. Eccles. 43.*

Contenta.

EXord. Quàm festiuus applausibus Regum atque Reginarum Coronationes à subditis excipi soleant, experientia testatur. Id quod etiam ab Angelis Virgini Dei Matri, Reginae iam inauguratae, præstitum; minimè est dubitandum. I. Tres Hierarchiæ Cælestes, I. Chorus primus; Throni. II. Cherubin, III. Seraphin; Et respondet hæc Hierarchia, statui contemplatiuorum, in Ecclesia militante. Secunda Hierarchia in qua I. Dominationes, II. Virtutes, III. Potestates, respondet statui Prælatorum in Ecclesia militante; Tertia Hierarchia in qua I. Principatus. II. Archangeli. III. Angeli, respondet statui Actiuorum. II. Congratulationes singularum Hierarchiarum. I. Congratulatio Seraphinorum. 2. Cherubinorum. 3. Thronorum. II. Secundæ Hierarchiæ congratulationes. 1. Dominationum. 2. Potestatum. 3. Virtutum. III. Congratulationes Tertię Hierarchiæ. 1. Principatum. 2. Archangelorum. 3. Angelorum. III. Aliorum sanctorum Congratulationes. 1. Patriarchæ & Prophetæ cum fidelibus veteris Testamenti. 2. S. Iacobus Apostolus S. Stephanus Prothomartyr, cum beatis noui Testamenti. Epilogus. Obtestatio vt huius Assumptionis & exaltationis, eius anniuersariam festiuitatem, in cœlo videre mereamur.

S E R-

I N D E X.

S E R M O XXII.

Dulcedo & Efficacia Patrociniij Virginalis.

*Benedicta tu inter Mulieres & benedictus fructus ventris
tui. Luc. I.*

Contenta.

EXordium. A Maieftate Virginis ex eius adhuc viuentis facie, vt S. Dionysius Areopagita vidit, resplescente, vt quædam terrestris Dea existimari potuisset. I. B^ma Virgo in Republica Ecclesiæ Pauperū Aduocata est constituta. 2. Plenitudo gratiæ, eius salariū. II. B^ma Virgo. Luminare minus illuminans noctem huius sæculi. 2. Soluta obiectio hæreticorum Virginis Patrociniū explodentiura. III. B^ma Virgo, terra lacte & melle manans. IV. Fons omnis gaudij & dulcedinis B^ma Virgo. 1. Probat ex Patribus. 2. Quam suaue Virginis memoriam, iugiter in corde fouere, 3. Nomen Virginis absque mira dulcedine nequit proferri. Exemplum piæ cuiusdam Matronæ; & viri Religiosi. V. Nomen Virginis significat. 1. Dominam. II. Mare. III. Maris Stellam. IV. Insigne Testimonium S. Bernardi. VI. Exempla Efficaciæ, cultus B^ma Virginis. 1. Socij S. Brunonis. 2. Officij B^ma Virginis recitatio quanti momenti? 3. Benedictio cultorum B^ma Virginis, quanto apud Deum loco cultores B^ma Virginis in hac vita. Historia è Casario. 5. S. Edmundus à puero B^ma Virgini deuotus, quantos fauores à Deo sit consecutus. Epilogus. Admonitio, vt memoria B^ma Virginis, iugiter in corde retineatur.

S E R M O XXIII.

Infallibilis eiusdem Patrociniij certitudo.

*Te assumam, & regnabis super omnia, qua desiderat anima
tua. 3. Reg. II.*

Contenta.

EXordium. Beatissima Virgo Heliotropium, semper respiciens solem filium suū residentē in cœlo, cuius succus idest deuotio serpentum venenis, sicut floris illius succus Medetur. I. Virginis pro humana salute sollicitudo. 1. Exemplum in Nuptijs Canagalilæis. II. Figuræ veteris Testamenti eam sollicitudinem Importantes. 1. Arca. 2. Tabernaculum. 3. Arcus Iridis, 4. Virga Balam. III. B. Virgo, Mulier in Thebes oppido prosterbens Abimelech, 2, Abigail, IV, Bersabea Mater Salo-

I N D E X.

Salomonis. 2. Regina Sabba. 3. Thecitis Abfalonis reconciliatrix. V. Testamentū Nouum ab exemplo S. Petri Apostoli. II. Sancti Patres, Virginis Patrocinium, maximopere commendant. 1. S. Irenæus Martyr; S. Ambrosius, S. Augustinus. III. S. Bernardus ad longum. IIII. Idiota vetustus Doctor. IV. Variæ Sanctorum Patrum, ad Virginem directæ, Inuocationes. III. Historiæ. 1. Narses Eunuchus, Virginis ope, victor contra Gothos. 2. Heraclius Imperator Mediante Virgine Cosroën, Persarum Regem deuicit. 3. Georgius Castriotus Epyri Princeps, sub Virginis Patrocinio de Turcis sapius Triumphat. 4. Victoria Pragensis, sub Serenissimo Bauariæ Principe & Electore, & aliæ sub Comite Tillio, Bmæ Virgini, similiter adscribenda. Epilogus. Rogatur Virgo vt nobis in extremis, victoriam contra inuisibiles hostes procuret.

S E R M O XXIV.

Gloriosissimæ Virginis ad succurrendum Clientibus suis, ineffabilis promptitudo, & cunctipotens facultas.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Eccl. 24.

Contenta.

EXordium. A liberalitate Gylliæ Agrigentini Ciuis; cuius beneficentiam, Bmæ Virgo longissimè excellit. I. Voluntas iuuandi. 1. Est Mater. II. Misericordiæ Mater. III. Aduocata melior quam fuerit sanctus Iuo. IV. Clemens & pia. V. Liberalissima. II. Facultas Dei Matris. 1. Regina & Imperatrix. II. Domina Mundi. III. Eius scientia, 1. Ex ratione. II. Ex historijs Sanctorum deducta. 1. S. Potamiæ. 2. Sancti Felicis Martyris. IV. Historiæ totius Ecclesiæ statum concernentes. 1. Ecclesiam protegit sub Iuliano Apostata. 2. Idem præstat sub Henrico Quarto. 3. Apparet S. Gregorio & S. Cyrillo. 4. Iconoclastas è medio tollit. Epilogus, Rogat, vt hoc idem Patrocinium singulis etiam deuotis cultoribus suis impendat.

S E R M O XXV.

Virginalis Tutelæ beneficia vberius explicata,

Spiritus enim meus super mel dulcis & hæreditas mea super mel & fauum, Eccles. 24.

Contenta.

EXordium. Cum Sol est in proprio signo, stupenda in terris operatur, sic Chri-
stus virginem cum corpora & Anima in Cælum assumens, sibi que in cælo v-
niens, admiranda multa per eius Patrocinium designat. I. Figuræ & Vaticinia. 1. Fi-
gura Rebecca, II. Vaticinia. 1. Signum Adiutorij. 2. Arca in Templo cœlesti. 3. A-
quila

I N D E X.

quila in arduis ponens nidum suum. 4. Vbera vino fragrantia. 5. Alia innumera Virginis Encomia, eius Patrocinium illustrantia. II. Eadem Virginalis Tutela à S. Patribus Mirificè commendatur. I. A S. Ambrosio, S. Hieronymo & S. Augustino. II. A S. Bernardo ad longum. III. A S. Anselmo. IIII. Historiæ comprobantes dulcedinem Patrocinij Virginalis. I. S. Hiacynthus Discipulus S. Dominici. II. B. Ioannes Cantius, Canonicus Cracouienfis. Epilogus. Rogatur Virgo vt amarissimum extremi Agonis Calicem, nobis etiam indulcorare dignetur.

S E R M O XXVI.

Elogia spiritus sancti, loquentis in scripturis diuinis,
Virginis Patrocinium, nobis vehementer inculcant,
atque commendant.

*Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora confurgens, pulchra vt Luna;
electa vt Sol; terribilis vt castrorum acies ordinata?*

Contenta.

FXord. Deus & Natura nil frustra faciunt: sic Ecclesia Christi militans, haud frustra, tot honorum Titulis, Deiparam exornat, cum omnium & singulorum Munia, perfectissimè exequatur. I. Quæstio Angelica: Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora confurgens. I. Beatissima Virgo cur Aurora? II. Cur pulchra vt Luna? III. Cur electa vt Sol? IV. Cur terribilis, vt castrorum acies Ordinata? II. Virginis de se ipsa Professio. I. Quasi Cedrus in Libano. II. Quasi Cypressus in monte Sion. III. Palma in Cades. IV. Rosa in Hiericho, V. Oliua speciosa. VI. Platanus iuxta aquas. VII. Cinnamomum & Balsamū. VIII. Myrtha electa. III. Historiæ. I. S. Casimirus Poloniae Princeps. 2. S. Stanislaus. 3. S. Hedviggis. 4. Kunegunda filia Regis Poloniae. Epilogus Obtestatio, vt virgo sit nobis Aurora, Sol, Luna, castrorum acies ordinata, Cedrus, Cypressus, Palma, Rosa &c,

S E R M O XXVII.

B^{ma} Virgo Paradisi Aquæductum, semet appellitans,
Patrocinij sui vtilitates, nobis insinuat.

Ego quasi Aquæductus exiui de Paradiso: dixi rigabo hortum meum plantationum & incubriabo partus mei fructum. Eccles. 24.

Contenta.

FXord. Ab aquæductibus pulchris qui inter alia, celebrem reddunt Ciuitatem: Ita B^{ma} Virgo caelestis Aquæductus celebrem reddit Ecclesiam Christi, in terris militantem. I. Preparatio Aquæductus, I. Inquisitio Scaturiginis. 2. Aquileges, fontis

I N D E X.

fontis exploratores, in veteri Testamento. 3. Aquilex Noui Testamenti Amor diuinus. II. Fabricatio Receptaculi fontis. 1. Architectus Spiritus sanctus. 2. Receptaculum vbi quodnam? quomodo constructum? 3. Eius communitio, & quonam luto obstructum? III. Canales. 1. Patriarchæ & Prophetæ 2. Tubi; primus perpetuæ Castitatis. 2. Sapientiæ. 3. Misericordiæ. IV. Varij Syphones, Variæ Prouinciæ. 1. Italia 2. Hispania. 3. Gallia. 4. Germania. 5. India. 6. Exemplum Aquæductus Augustani. V. Exitus Aquæductus; è Paradyso. VI. Exitus caussæ, complures. VII. Eorum exempla, qui ex hoc Aquæductu, affatim biberunt: 1. S. Franciscus. 2. S. Henricus. 3. S. Stephanus Vngariæ Rex. 4. S. Gerardus, Episcopus Canadiensis. 5. Fridericus. IIII. & Albertus. IV. Austriaci. 6. S. Elzearius. 7. Comites Scheyrenses. 8. Alfonsus Salomon. 9. S. Odilo Cluniacensis. 10. S. Lutgardis. 11. S. Hedvigis. 12. Matrona sterilis in Austria. Epilogus: Exhortatio vt ex hoc fonte alacriter quotidie bibemus.

S E R M O XXVIII.

De peculiari erga Virginem amore, ac deuotione;
habitus in eius Natiuitate.

De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus, Matth. I.

Contenta.

EXordium. Spiritualis gaudij excitatio verbis S. Leonis Papæ loquentis de Natali S. Martyris Laurentij. I. Bona Virgo deuotè colenda. 1. Quia Saluator noster ex ea natus est. II. Ob beneficia ab ea accepta. III. Irrigat gratia sua & bonis Operibus fecundat. II. Eius beneficia præterita. 1. Hæreticorum Cauillus, Christum nobis sufficere, à S. Bernardo reiectus. 2. Bona Virgo Mediatrix, inter filium & peccatores. 3. Mundo perditio succurrit. 3. Magna congeries Partheniorum beneficiorum, ex Cæsario. III. Beneficia eius futura. 1. Auxilium in hac vita nobis necessarium. 2. Influxus eius, in omnia Ecclesiæ membra. 3. Est veluti, collū in corpore Ecclesiæ. 4. Quasi radix arboris. 5. Expers deuotionis eius, quàm miser? IV. Honorum tituli, quibus insignitur. 1. Ianua & porta Regis. 2. Fenestra Cœli. 3. Maris Stella. 4. Virga & baculus. 4. Innumerabilia beneficia, variis indigentibus collata. V. Instructio deuotorum Virginis cultorum. 1. Ex B. Gregorio VII. 2. Consilium S. Bonauenturæ. VI. Exempla deuotorū Virginis cultorū. 1. S. Nicolaus Myrensis Episcopus. 2. S. Gerardus Canadiensis Episcopus. 3. S. Martinus. Epilogus. Exhortatio ad Virginis deuotionē.

S E R M O XXIX.

Eadem feruens & pia, erga Virginem Deuotio, signum
Prædestinationis ad æternam salutem.

In electis meis mitte radices. Eccles. 24.

I N D E X.

Contenta.

EXord. Ea negotia libenter tractamus è quibus in spem aliquod commodum in nos redundaturum speramus. Quod Maius commodum quàm promotio, ad æternam salutem? Eius signum evidens. est pia, erga virginem deuotio. 1. An quis sit prædestinatus, certò sciri non potest; Probabile tamen Argumentum sumitur ex deuotione, erga Virginem. I. Causa prima: Quia Tabernaculum Dei, quod ipse ponit in medio nostri. II. Causa Virginis assertio. III. Causa: Exemplum sanctorum. 1. Virginis venter, aceruus tritici, vallatus Lilijs. 2. Simile à natura agniculi, è balatu, Matrem agnoscentis. 3. Moyses properans ad videndum rubum, figura Virginis cultorum. IV. Quia est Mater Prædestinatorum. V. Quia Mater Misericordiæ & hominum Ad-uocata. 2. Simile ab Aurora consurgente. VI. Causa quia filius electos suos Matri commendat. 1. Exemplum S. Pauli. 2. S. Elzearij. 3. S. Gertrudis. VII. Promouet cultores ad veram contritionem sub finem vitæ. 1. Exemplum latronis de quo S. Anselmus. 2. Miles in bello interfectus. 3. Alius in danubio submersus. Epilogus, ad Virginem, vt officium Abigail, Iudith, Esther, erga nos quoque exercent.

S E R M O XXX.

Beatissima Virgo Clientibus suis, ex hac vita emigraturis, omnium maximè patrocinator, in Agone.

Consurget Virga de Israel, vastabitque filios Setb. De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Num. 21. Matth. 1.

Contenta.

EXordium à Prouerbio: Finis coronat opus. I. Diaboli Importunitas in agone. 1. Eius Inuidia. 2. Calcaneo hominis solerter insidiatur. II. Potestas Dæmonis, & exempla victoriæ. II. Quomodo se B^{ma} Virgo Diabolo opponat? 1. Vt Iaël. 2. Vt Mulier in oppido Thebes. 3. Vt Iudith. 4. Vt Hester. II. Fiducia erga Virginem. III. S. Patres Virginis Vigilantiam pro deuotis, cultoribus, in agone certantibus; suis testimonijs comprobant & affirmant. 1. v. Virginem etiam in agone inuocant & in eius præsidio confidunt. 1. Inuocatio S. Ephrem. 2. Defensio animarum è corpore excedentium, dum à Dæmonibus infestantur, ex Ricardo, de S. Victore. 3. Defendit eas etiam in Iudicio, coram supremo Tribunali, Testimonium Iudaici doctoris Rabbi Simeon. 4. Lutherus etiam aliquando, hoc Patrocinium credidit. v. Quomodo Dæmonis fraudes & mille infestationes virgo discutiat? 1. Similia de remora in mari. 2. Visio S. Antonij; Dæmon in specie immanissimi gygantis animas in cælum euolare cupientes retrahit. 3. Anima in extremis, Dæmonum velut obsidione. premitur; illa tū à B^{ma} Virgine defendatur; & obsidio soluitur. III. Dæmones Virginis Potentiam, mirandum in modum expauescunt; Historijs id explicatur. 1. Hypolites vnus ex Amazonibus. 2. Semiramidis. 3. Artemisiæ Halicarnassi Reginæ. 4. Cloeliæ Romanæ.

I N D E X.

11. Dæmones nocturni fures animæ domum suffodere molientes. 2. Latrones in angustijs viarum. IV. Sanctissimi etiam & maximi viri Dæmonis infestationes exhorrescunt. 1. S. Anselmus. 2. Origenes. 3. S. Bernardus. 4. S. Eustratius Martyr. 5. S. Eligius, 11. Infestati in extremis. S. Martinus. 2. S. Melania. 3. JS. Macrina. 4. S. Henricus. 5. S. Elzearius Comes. V. Feruentes Virginis cultores, diaboli insidias in extremis non metuunt. 1. B. Reginaldus. 2. Iuuenis ex ordine Carthusiensi. 3. Mulier imperfectè confessa. 4. Adolescens virgini admodum deuotus. 5. Carolus Suecix dux. 6. Alius defunctus. Epilogus, continet primò exhortationem ad deuotos Virginis cultores, vt in eius deuotione perseuerent; Deinde obtestationem vt nos etiam in agone protegat, defendat & in cælestem patriam perducatur. Amen.

I N D E X

Præcipuas tantum Materias innuens quæ in hisce Triginta Sermonibus fusius pertractantur; cuius prior numerus sermonem alter partem eius, indigitat.

<p>A.</p> <p>Adamas gemma Beatissima Virgo.</p> <p>Aduocata pauperum Beatissima Virgo.</p> <p>Angeli & Archangeli Virgini Congratulantur.</p> <p>Apostoli Congregantur ad Obitum Virginis.</p> <p>Aqueductus Cælestis Beatissima Virgo.</p> <p>Apparitiones Beatissimæ Virginis plurimæ.</p> <p>Asterites & Argijrites gemma Beatissima Virgo.</p> <p>Assumptio Corporca Virginis probata.</p> <p>Assumptionis eiusdem Causæ.</p> <p>Auxilia à Deipara speranda.</p>	<p>Serm. 20. p. 1.</p> <p>Serm. 22. p. 1.</p> <p>Serm. 21. parte 2. 3. 4.</p> <p>Serm. 2. Toto.</p> <p>Serm. 27. Toto.</p> <p>Serm. 11. p. 5.</p> <p>Serm. 20. p. & 30.</p> <p>Serm. 8. Toto.</p> <p>Serm. 9. Toto.</p> <p>Serm. 28. Toto.</p>
<p>B.</p> <p>Beatorum cognitio de rebus terrenis.</p> <p>Beatitudo non repugnat Intercessioni sanctorum.</p> <p>Beatitudinis nostræ effectus pendet à Cultu Beatissimæ Virg.</p> <p>Beati sunt In gratia apud Deum & præsertim Deipara Virgo.</p> <p>Beati quasnam res terrenas videant in essentia diuina.</p> <p>Beati fruuntur merito Christi.</p> <p>Beati promptissime pro nobis Orant.</p> <p>Benedictio Virgini Morituræ data Apostolis & alijs Christianis.</p> <p>Beneficia Virginis hominibus præstita.</p>	<p>Serm. 11. p. 4.</p> <p>Serm. 12. p. 2.</p> <p>Serm. 15. toto & Serm. 29. Toto.</p> <p>Serm. 10. Toto.</p> <p>Serm. 11. Toto.</p> <p>Serm. 12. Toto.</p> <p>Serm. 13. Toto.</p> <p>Serm. 2. p. 4. (p. 1. 2. 3. 4.)</p> <p>Serm. 17. p. 1. 2. 3. Item Serm. 28.</p>
<p>C.</p> <p>Carbunculus gemma Beatissima Virgo.</p> <p>Cælestium Ciuium præsentia in obitu Virginis.</p> <p>Cherubini Virgini Coronatæ gratulantur.</p> <p>Coronatio Virginis & Insignis Pompa.</p> <p>Cognoscit Beatissima Virgo quæ in terris gerantur.</p>	<p>Serm. 20. p. 4.</p> <p>Serm. 2. p. 4.</p> <p>Serm. 21. p. 1.</p> <p>Serm. 19. toto.</p> <p>Serm. 11. p. 2.</p>

I N D E X

Corona Cælestis Beatissimæ Virgini debita.	Serm. 3. p. 1. & 2.
Corona duodecim gemmarum In capite Virginis.	Serm. 20. toto.
Corpus Virginis corrumpi aut Incinerari nec posuit nec debuit.	Serm. 5. toto.
Corpora Sanctorum Miraculose Incorrupta.	Serm. 5. p. 2.
Cultus Beatissimæ Virgini debitus ob innumera eius erga nos	Serm. 28. toto.
Cultores Virginis quanto apud Deum loco? (beneficia. Serm. 22. p. 6.	

D.

Deutorum Virginis Cultorum Exempla plurima.	Serm. 27. p. 7. ser. 28. p. 6.
Deuotio Virginis signum Prædestinationis.	Serm. 15. p. 1. & 2. Ser. 29. toto.
Dæmon agonizantes vehementissimè Impugnat.	Serm. 4. p. 2. Serm. 30. toto.
Diabolus compefcitur à Virgine ne hominū salutem impediatur.	Serm. 15. p. 2. & 2. Serm. 30. toto.
Diaboli mira Importunitas in agone. (sancti. Serm. 3. toto Serm. 30. toto.	
Diaboli impugnationem in agone non est quod metuant Viri	Serm. 30. p. 5.
Diabolus vim omnem effundit in morituros.	Serm. 30. p. 1. 2. 3. 4.
Dominationes Cælestes Virgini homagium præstant.	Serm. 2. p. 2. & Serm. 21. p. 2.

E.

Ecclesiæ Beatissima Virgo semper patrocinetur.	Serm. 9. p. 3.
Ecclesiæ In Omni necessitate Deipara succurrit.	Serm. 17. p. 6. Serm. 24. p. 4.
Enijdros gemma Beatissima Virgo.	Serm. 20. p. 5.
Exequiæ Sanctorum à Deo honoratæ.	Serm. 6. p. 3.

F.

Fons omnis dulcedinis & gaudij Maria.	Serm. 22. p. 4.
Fons & Aquæ ductus Cælestis gratiæ Maria.	Serm. 27. p. 1. 2. 3. 4.
Festiuitas Cælestis in Assumptione Beatissimæ Virginis.	Serm. 18. p. 1. 2. 3.
Figuris & Prophetijs assumptio Virginis declaratur.	Serm. 23. p. 1. 2. 3.
Figuris Varijs Patrocinium Virginis exprimitur.	Serm. 23. p. 1. 2. 3. Serm. 25. toto.

G.

Gaudium Angelorum & Cælestis Curia In Assumpt. Virginis.	Serm. 18. p. 3. & 4.
Gemma Solis Virgo Deipara.	Serm. 20. p. 3.
Gemmea Corona in capite Virginis.	Serm. 20. toto.
Gylliæ Agrigentini liberalitatem superat Virgo.	Serm. 23. p. 1.
Gratia Virginis excedit gratiam diuinam aliorum Sanctorum.	Serm. 8. p. 3. Serm. 10. toto.
Gratiæ apud Principem Signa Virgini applicata.	Serm. 10. p. 3.

H.

Hæreses omnes, Beatissima Virgo contriuit, & Ecclesiam defen-	Serm. 17. p. 6.
Hæretici omnes Impugnant Virginis Patrocinium. (dit. Serm. 11. p. 1. 2. 3.	
Hæreticorum Cauilli in Virginis Cultum, displosi.	Serm. 17. p. 5.
Heliotropium, flos Virgo Deipara.	Serm. 23. p. 1.
Heliotropia gemma Beatissima Virgo.	Serm. 20. p. 7.
Homagium præstitum B. Virgini ab Hierarchijs cælestibus.	Serm. 19. toto.
Honorum Tituli quibus Virgo ab Ecclesia decoratur.	Serm. 28. p. 4.

I.

Imagines Vir. inis Oleum Exsudantes.	Serm. 14. p. 5.
Intercessio Virginis certa & efficax.	Serm. 12. toto.
Instructio quomodo Virgo Deipara piè colenda.	Serm. 28. p. 5.

L.

Latriæ Cultus cur Virgini exhibendus?	Serm. 28. p. 1. 2. 3. 4.
Laus Virginis ab Angelis Varie deprædicata.	Serm. 21. toto.

I N D E X.

Liberalitatis & Clementiæ Exempla multa.	Serm. 13. p. 3. & 4.
Lutherus Virginis Patrocinium non potuit Omnino negare.	Serm. 30. p. 2.
<i>M.</i>	
Mariæ promptitudo ad succurrendum.	Serm. 13. p. 4.
Mariæ Nomen Mysterijs plenum.	Serm. 22. p. 5.
Maiestas Virginis adhuc in vita mortali degentis.	Serm. 21. p. 1.
Memoria Virginis quam dulcis.	Serm. 22. p. 4. 5. 6.
Miracula testantur de Virgine apud Deum.	Serm. 10. p. 5.
Mors Virginis cur post Ascensionem filij dilata?	Serm. 1. p. 1. & 2.
Mors Virginis non amara sed dulcis.	Serm. 1. p. 1. 2. 3.
Mors Virgini per Archangelû Gabrielem nunciata.	Serm. 1. p. 2.
Mors Virginis somno per Omnia similis.	Serm. 2. p. 1.
<i>N.</i>	
Natura Virginis Misericordia & Clementia.	(ginis. Serm. 13. toto.
Negotium salutis post Christi meritum pendet à deuotione Vir-	Serm. 29. p. 1.
Nomen Maria, Idem quod Domina, Mare, Maris stella.	Serm. 22. p. 5.
Noctis huius sæculi Illuminatrix Maria.	Serm. 22. p. 2.
<i>O.</i>	
Officia quinque Virginis, sub literis nominis eius contenta.	Serm. 17. p. 1. 2. 3.
Officij B. Virginis recitatio, quam efficax.	Serm. 22. p. 6.
Oleum fluens è sanctorum Corporibus	Serm. 14. p. 5. & 6.
Oleum stillans è Virginis Deiparæ Imaginibus.	Serm. 14. p. 5.
Olei proprietates Misericordiæ Virginis applicata.	Serm. 14. p. 6. & 7.
Orientalis pariter & Occidentalis Ecclesiæ Patrona B. Virgo.	Serm. 9. p. 3.
<i>P.</i>	
Palmarum ramus cur Virgini ante obitum cælitus allatus?	Serm. 1. p. 2.
Pantherus gemma Beatissima Virgo.	Serm. 20. p. 6.
Passionis Christi merito sancti etiam In cælo fruuntur.	Serm. 12. p. 2.
Patrocinium Virginis luculenter probatum.	Serm. 9. toto.
Patrocinij requisita omnia In Virgine.	Serm. 13. p. 9.
Patrocinium Virginis è scriptura & Patribus declaratum.	Serm. 14. toto.
Patrocinij Virginis Infallibilis certitudo.	Serm. 23. toto.
Peccatores etiam grauissimos B. Virgo, exaudit & liberat.	Serm. 12. p. 3.
Pionices gemma Beatissima Virgo.	Serm. 20. p. 9.
Potestates & Principatus Angelorum Virgini congratulantur.	Serm. 21. p. 2. & 3.
Prædestinationis signum Cultus & deuotio Virginis.	Serm. 1. p. 1. Et Serm. 29. toto.
Prædestinatio certo sciri non potest.	Serm. 29. p. 1.
Prædestinationis signum Virginis deuotio, ob 7. Caussas.	Serm. 29. toto.
Promptitudo Virginis ad succurrendum hominibus.	Serm. 13. p. 1. & 2.
<i>Q.</i>	
Quæstio Angelorum de Virginis patrocinio.	Serm. 26. p. 1.
<i>R.</i>	
Regina Cæli & terra, quomodo B. Virgo coronata?	Serm. 19. toto.
Regia Moneta in eius Coronatione distributa.	Serm. 9. p. 4.
Remunerat B. Virgo Cultum sibi Impensum.	Serm. 28. toto.
Resuscitatio Virginis facta illicò ab eius morte.	Serm. 7. toto.
Requisita ad veram Aduocatam.	Serm. 17. p. 2.

I N D E X.

<i>S.</i>	
Sanctorum triumphans Ingressus in caelum.	Serm. 18. p. 5.
Sancti vtriusque Legis Virgini applaudunt.	Serm. 21. p. 3.
Seraphici Spiritus Virgini congratulantur.	Serm. 21. p. 2. & 3.
Sepultura Virginis gloriosa Miraculis.	Serm. 6.
Sepultura Virginis ab Angelis & Apostolis cohonestata.	Serm. 6. p. 1. 2. 3.
Sepulchrum Virginis Beati Thomae Apostoli Instantia referatur.	Serm. 7. p. 2.
Selenites gemma Beatissima Virgo.	Serm. 20. p. 10.
Scientia Virginis vt nos possit per filium Iuuare.	Serm. 24. p. 3.
<i>T.</i>	
Terra lacte & melle manans Maria.	Serm. 22. p. 3.
Testamenta quomodo & quando condenda Virginis Exemplo.	Serm. 2. p. 2.
Titulis Varijs cur Ecclesia Ornet B. Virginem?	Serm. 26. p. 1.
Thomas Apostolus absens in obitu Virginis.	Serm. 7. p. 2.
Topazius gemma Beatissima Virgo.	Serm. 20. p. 2.
Tyranni à Beatissima Virgine è medio sublati.	Serm. 1. p. 3. Sem. 17. p. 6.
Throni Caelestes Virgini congratulantur.	Serm. 21. p. 2.
Tricesimi Virginalis Origo.	Serm. 1. p. 1.
Tricesimus Virginalis Cur & quomodo celebrandus?	Ibidem. Serm. 1. p. 1.
<i>V.</i>	
Vaticinia plurima de Virginis tutela, erga fideles.	Serm. 25. toto.
Vdachites gemma Beatissima Virgo.	Serm. 20. p. 1. 2.
Visitur Virgo à filio & toto caelesti Exercitu, iam obitura.	Serm. 3. toto.
Virtutes Caelestes Virgini congratulantur.	Serm. 21. p. 2.
Victoriae Variæ Virgini interuentu obtentæ.	Serm. 23. p. 3.
Victoriae Moderna, Virginis ope partæ.	Serm. 9. p. 3.
Virginis Deiparæ Elogia à rebus Creatis desumpta.	Serm. 26. toto.
Voluntas patrocinandis nobis in Virgine.	Serm. 24.
<i>Z.</i>	
Zelus Deuotionis & amoris erga Virginem quam salutaris.	Serm. 29. toto.

*Finis Indicis, pertractata rerum argumenta,
representantis.*

SERMO



SERMO PRIMVS
 Beatissimæ Dei Genitricis desiderium
 moriendi.

Desiderium habeo dissolui & esse cum Christo. *Phil. r.*
Ecce enim ex hoc nunc, Beatam me dicent omnes generationes.
Luc. i.



Mellifluus' Eloquentiæ Diuinæ fons', & sca-
 curigo S. Pater Bernardus', deuotissimus'
 Cultor & amator Benedictæ Virginis DEI
 Genitricis, inter eos, qui beatissimam Vir-
 ginem amant atque obseruant, debitoque
 cultu, prosequuntur., aut ab eius amore
 obseruantiaq; abhorrent, discrimen ponens, inter alia
 multa sic fatur: *Sit certissimum impietatis, coniunctionisq; cum*
serpente antiquo signum, oppugatio vel obscuratio procurata,
splendoris & altissima eminentia, qua cunctis M A R I A præstat:
Contra autem certissimum signum, nos esse cum Michaele & Ange-
lis eius, in Ecclesia Dei, est illud præliari aduersus eos, qui dignita-
tem M A R I A: diminuunt aut extenuant, extollereq; & amplificare
illius Maiestatem, ac Deum in ipsa deuotè laudare. Hæc S.
 Bernardi verba, ingens animo meo gaudium pariunt,
 cum videam vos tanto pietatis ardore, *Tricesimales* Virgi-
 nis laudes, hodie auspiciatos, tantoque numero, ad hono-
 randam Reginam illam, quæ omni honore Maior est, in
 hanc eius Ecclesiam confluxisse, vt cum S. Angelis, qui

*Serm. super Sta-
 gnum Magnæ*

Apoc. 12.

*1. Origo Trice-
 simi Beatissimæ
 Virginis.*

A

referen-

*In Epist. ad
Marcian.
Imp. de obitu
M. Virginu.*

*Petrus Anto-
nius Spinellus
lib. 3. in Throno
Deipara.*

*Virginis Dei-
pare Tricesimum
quomodo cele-
bratur.*

*Lib. de diuin.
nom. cap. 3.*

Ecccl. 24.

referente S. Iuuenali Episcopo Hierosolymitano, com- pluribus diebus, super sepulchrum eius cantantes, auditi fuere: *Exaltata est sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum ad caelestia Regna*, Deum, Filium eius, in ipsa dignis præconijs extollatis, magnificèque deprædicetis: Nam cum magna hominum multitudo, triginta post sepulturâ diebus, ad Dei Matris sepulchrum confluxisset, annuatim postea, Apostolorum temporibus Deuotio illa, fuit à fidelibus continuata, indeque Orientalis Ecclesia, primò ritum istum, demutuauit, quem ab illis traditione acceptum, laudatissimi Maiores nostri, ad nos vsque, annua continuatione traduxerunt: Vos igitur, Deuoti cultores, & Cultrices Beatissimæ Virginis optimè salutis Vestræ còsultum itis, *Tricesimum* eius itidem celebrando; non equidem, vt pro cæteris vita functis, expiatrices preces persoluendo, sed Dei Filium, in gloriosissima Matre sua, enixius & studiosius, concelebrando: sicut enim exequiæ aliorum fidelium extenduntur in tricesimum diem, dum pro his lugetur, & eorum animæ Deo commendantur: Ita fideles meritò à Virginis transitu ex hoc mundo triginta dies consumunt, in laude & gratiarum actione, vt Dominus & Saluator noster, in Genetrice sua, dignè glorificetur: Insistitis vestigijs *SS. Angelorum*; insistitis vestigijs *SS. Apostolorum*, qui, vt S. Dionysius refert, qui præsens interfuit, *diebus illis*, etiam *adeo feruenter laudes D. Virginis deprædicabant, vt in mentis excessum raperentur*: Insistitis vestigijs omnium *piorum Christianorum*, à temporibus Apostolorum vsque ad nostram ætatem. Perficitis, quod diuina Sapiencia, ipsi virgini demandauit, vt in electis Clientibus suis radices deuotionis & laudis emitteat: *Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iisrahel hereditare*, id est, illorum corda occupa, quos

ego,

ego, velut Iacobe legi, & non, vt Esau reprobau; sit tua hereditas, tua voluptas, in ijs, quos vt populum Israhel peculiariter cultui tuo destinau; *Et in electis meis mittera- dices*, id est in ijs, quos ego Diuina electione mea prædestinaui, ad æternam beatitudinem, amoris atque deuotionis tuæ, radices inferere atque defigere: Bono igitur animo estote, dilecti mei, qui vos sentitis, præcipuo, virginalis honoris, Zelo inflammari; En hoc ipso Spiritus sanctus, vobis luculentum, vestræ Prædestinationis signum commonstrat, atque proponit. Sæpè apud vos, haud dubiè cogitatis; *Si scirem me saluandum esse, omnia qua vires, qua facultates mea sinerent, procius cultu & honore, præstaturus essem*; sed ecce, Spiritus sanctus euidens vobis signum isthic euulgat: pergitè tantum, nec deficite in laudibus Virginis, eiusq; cultu, & certi estote: Nescitis ipsammet Prophetico Spiritu hoc prædixisse: *Memoria mea in generationes sæculorum*. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Id quod ad eò verè adimpletur, vt Petrus Galatinus asserat, id etiam fieri ab impijs Mahumetanis & Sarracenis, qui Gloriosissimam virginem, vt Summam Prophetissam, semper honorant: Hoc ipsum, si vos quoque seduli feruenterque toto isto Virginis Tricesimo, ad aliorum exemplum, & ædificationem perfeceritis, Sanctorum Patrum, Irenej, Athanasij, Cypriani, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, Damasceni, & mille aliorum vestigijs insisteris, qui deuotionem Beatissimæ Virginis non verbis & scriptis duntaxat, memoriæ consignatam reliquerunt, sed opere, & re ipsa potius, docuerunt: Ac demum S. Bernardo asserente, vos ex parte Dei esse, & societatis Sanctorum Angelorum, consortes ac contubernales esse, probatis, dum contra Draconem & eius Assecclas, qui nihil magis, quàm cultum Virginis & eius deuotionem impugnant honorem eius defenditis

*Deuotio Vir-
ginis signum Præ-
destinationis.*

*Ecccl. 24.
Luc. 1.*

*Echortatio ad
Virginis Trice-
simam.*

*Serm. super St.
genum Magnū.*

& propugnatis. Et ut vos in hoc pietatis exercitio, confirmem, bis in hebdomada *toto tricesimo*, singulis vicibus, aliquid per ordinem, vobis declarabo, donec Virginis Benedictæ, obitu, Assumptione in Cælum, Coronatione, intercessione ac Patrocinio breuiter explicatis, atque confirmatis, ad æternæ Prædestinationis, quod alio tempore tractaturi sumus, Amuletum, scripturis vtriusque Testamenti, breuiter explicandum, propius accedamus. Hac autem vice, *ô Gloriosa, Mater & Virgo*, aliud nihil, quàm ingens moriendi, atque ad Filium tuum transeundi desiderium, quod iam inde à Filij tui Ascensione, atque ad Patris dextram confessione, in Materno corde tuo flagrabat, paucis expendemus. Tu omnia ad Filij tui, tuamque, clientumque tuorum, excitandam deuotionem, dirige ac reflecte.

1. Virginis desiderium, cur tam diu dilatatum?
lib. 1. Tusculanarum
questionum.

Marcus Tullius Cicero, toto ferè primo Tusculanarum quæstionum libro, in controuersiam adducit; Vtrum mors sit expetenda hominibus virtuosis, vel potius fugienda? & post longam desuper habitam disputationem, concludit: *Exoptanda bonis mors, fugienda malis*. Cum itaque tum diuinæ scripturæ, & totius Ecclesiæ Testimonijs nemo virtutibus studiosior, nemo purior, nemo sanctior, post Deum Filium Redemptorem nostrum, nec in cælo, nec in terra, reperitur, ipsa B. Virgine, Dei Matre Gloriosissima, *de qua nullam planè mentionem haberi volo*, inquit S. Augustinus, *cum de peccatis agitur*, facilè constabit, eam, nec timuisse mortem, nec exhorruisse, sed potius exoptasse.

Lib. de Natura
& gratia, cap.
36.

2. Cur Christus Matrem suam post se in hoc mundo reliquerit.

Reliquerat equidem Christus Dominus B. Matrem suam post se, quindecim annis, in hac vita, tùm ad consolationem fidelium, tùm ad instructionem Sanctorum Apostolorum, quibus plurima diuina mysteria reuelauit, alijs deinde patefacta Christianis: tùm ut ipsa quasi *Columna*, fulciret Ecclesiam, recens ædificatam, & corroboraret

boraret Christianos, non solum Iudæorum, sed & aliorum Tyrannorum persecutiones patientes.

Sed quomodo, utor verbis S. Anselmi, O Bone IESU, istius dulcissima Matris, FILII, quomodo potuisti pati, ut te in Regnum gloriae tuae remeante, illam quasi sorbatam, in mundi miseris relinqueres? Et non statim eam tecum regnaturam, assumeres? Fortassis Domine, ne tuae caelestis curia, veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi videlicet Domino suo, regnum suum in assumpta carne, repetenti? an ipsi Dominae suae, Regnum iam suum materno Iure effectum ascendenti? Nam ut in partes suo occursu diuideretur, quatenus pars illi, pars tibi, in primo aduentu obsequeretur, non deceret aestimo, praesertim cum tota sit tua, tota q̄, per te, eadem caelestis curia Matris tuae propria. Prudentiori ergo, & digniori consilio usus, precedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in Regno tuo, preparares, ac sic comitatus, tota curia tua, festinius ei occurreres, eamq̄ sublimius, sicut decebat Matrem tuam, ad te ipsum exaltares. Equidem non est abs re, ipsum bis de causis, Matrem suam praecessisse, cum ipse idem, unigenitus, huius B. Virginis, promiserit discipulis se, si abiret, eis locum in caelesti sede preparaturum. Si ergo locus preparabatur ad gloriam & honorem, discipulorum, quomodo non prepararetur ad gloriam Matris suae, Dominae scilicet & Reginae Angelorum! Præterea ut hic quidem videtur utilis ac necessaria Fidei nostra conuersatio eius post ascensionem Domini, inter Apostolos, quia licet ipsi per reuelationem Spiritus sancti, edocti fuerint, in omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ipsa per eundem Spiritum veritatis profunditatem Fidei nostrae mysteriorum intelligebat, & per hoc multa eis à virgine reuelabantur, quae in se non solum simplici scientia, sed effectum ipso & experimēto didicerat, de Mysterijs eiusdem Domini nostri IESU CHRISTI. Nec dilatio suae Assumptionis quoquo modo, iacturam aliquam inferre poterat, immensitati amoris & gaudij; ita illam reficiebat, plenitudine sui, ut hoc ipsum ei ad plenitudinem gaudij maguopere fieret, quod se illic esse videbat, ubi Deum, quem praecun-

3. Christus Matrem in caelum praecessit, ut ei locum pararet. lib. de Excellent. Virginis gloriae. cap. 7.

4. Matris Praesentia Plantationi Fidei necessaria erat.

Elis amabat, magis velle sciebat. Igitur ubicumq; erat ipsa, in Deo, & Deus in ipsa iocundabatur. Hæc omnia ex ore S. Anselmi.

*II. Annis quid-
decim elapsis
desideriis Vir-
ginis magis
accenditur.*

Psalm. 42.

Psalm. 139.

Luc. 1.

Philipp. 1.

Decursis porrò iam quindecim annis maximoperè desiderabat aspectum & contemplationem Filij sui, in cœlo, qua beati iugiter potiuntur, cum præsertim loca sancta, in monte Oliueti, vbi eius vestigia, saxo impressa, permanebant, & alia per totam urbem Hierosolymitanam, assiduè visicaret, cum S. Dauide omni momento fuserat: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: Me expectant iusti, donec retribuas mihi: Et iterum: Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, qui sedent in tenebris & umbra mortis, multum incolata fuit anima mea, omne tempus mihi nimium protendi ac differri videtur, cum desiderium habeam dissolui, & esse cum Christo Filio meo, qui consistet ad dexteram Patris in Regno cœlesti.*

*III. Mors Vir-
gini dulcis.
Luca 22.
Matth. 24.*

Psalm. 30.

*Luc. 12.
Virgo Beata se
semper ad mor-
tem parauit.*

Apoc. 14.

Sed cur ò Beatissima Virgo, tantoperè mortem desiderasti! Annon Eilius tuus te maior, eam timuit? annon plurimi sancti, ex humana fragilitate, eam formidarunt? Esto, Mors naturali affectu timeatur, pijs tamen hominibus, re ipsa non est pertimescenda: Quae de causa! *Preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius, quomodo preciosa? Quia est illis liberatio à turbido carcere, ingentis alleviamentum ponderis; Est terminus periculosissimæ peregrinationis; Est reditus ad patriam, portus ad vitam, victoria præcedanea, cœlesti Triumpho. Quod si de alijs beatis Christus Dominus affirmat: Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes; quanto potiori iure, tu, ò sacratissima Virgo Mater, quæ omni tempore pro aduentu cœlestis Sponsi vigilasti, & lampadem cordis tui, oleo gratiæ diuinæ, & flamma Charitatis, tum erga Deum, tum homines, tantopere adornasti, Beatissima eris pronuntianda? Si Angelus in Apocalypsi af-*
firmate

firmat; *Beati mortui, qui in Domino morientur*; Quis magis in Domino filio tuo, & ei coniunctior, quàm tu, erat moriturus, cum non solum gratia, sed Natura & Sanguine, ei esses coniuncta. Si quod Sapiens affirmat: *Sperat in suis in mortefua*: Quis certiozem, quam tu, æternæ felicitatis spem poterat concipere, & in animo confouere? Non dubito, te tam feruens utiq; desiderium habuisse, *dissolui, & esse cum Christo*. S. Cyprianus ait, *ideo nobis cœlestem gloriam esse concupiscendam, & ad eam alacriter pergendum, quia magnus nos ibi charorum numerus expectat, quos videre & alloqui futurum sit volupe & periucundum*. Quod ni tu, B. Virgo, dilectissimum Filium in cœlo regnantem cernere, & ei inseparabiliter adiungi, desiderasses? Si, ut S. Ioannes Chrysostomus ait, *omnibus laborantibus dulcis est finis, viator libenter interrogat ubi sit mansio, mercenarius frequenter computat quando annus operantis compleatur; agricola semper tempus messis expectat; negotiator die ac nocte theca sua discutit rationes; mulier pregnans, semper de decimo mense cogitat; Sic serui Dei, mortem suam libenter in mentem reuocant; Vbi enim est thesaurus illorum, ibi & cor est: Si haberes solidorum quantitatem, in arca tua, oculis ibi sapius haberes: Sic sancti locum illum aspiciunt, ubi repositam habent coronam*. Quid ni tu ergo Mater benedicta, cum sexaginta tribus propemodum annis, hanc miseria- rum vallem iam incoluisses, cœlum suspiciens; & Filium, inter ditā noctuque cogitans, *dissolui & cum Christo esse, perpetuoque cum ipso degere, experiuisses?* Crediderim, ô Gloriosissima, & *in æternum benedicta Virgo, eundem tibi tunc temporis affectum insedisse, qui S. Gregorio Nazianzeno, similiter ad fixam illam, stabilemque, alterius patriæ habitationem, aspiranti, & perfectionem ad eam, quam citissimè institui, & maturari efflagitanti: Ita mi- xori afficiemur tristitia, inquit, si citius ex hac vita, emigremus; immò potius letabimur, si nos quantocūq; binq; abduxerit, & in su-
pernis*

3.
Prov. 14.4.
Serm. de mor-
talitate.5.
Hom. 46. in
Matth.6. S. Gregorius
Nazianzenus
mortem ac co-
lerari cupit.Orat. de obitu
Patris.

pernis statuerit, & presentem insuauitatem, bono absconderit futuro, nobisq; persuaserit, quod ad Dominum agamur bonum, & quod melior sit habitatio firma, quam peregrinatio, incerta: quodque nauigantibus est portus tranquillus, id ijs, qui in huius uita iactantur tempestate, hinc sit transmigratio & translatio in coelum. Aut quemadmodum ij, qui longam praecipuaerunt uiam, peregrinantibus & adhuc laborantibus, uegetiores sunt, & minus defatigantur; Ita qui hospitium assequuntur, quod ibi est, illis, qui adhuc uita presentis ferunt inaequalia, & praecipitia, feliciores & quietiores existunt. Quod ni ergo, anhelanti desiderio, ad iucundissimam illam, beatorum Conciuium Patriam, festinales, cupio dissolui, exclamans, & esse cum Christo?

II. Virgo de
Morte sua per
Gabrielem
Archangelum
certificatur.

I. Simeonis
Metaphrastis
testimonium.
In Orat. de uita
& dormit.
Deipara.

2.
In Compendio
Historia.

3.
Lib. 2. hist.
Ecl. cap. 22.

Nec defuit Sanctissimæ Matri Clementissimus bonorum omnium compensator Filius: Nam cum definitum, à Diuino Nomine tempus aduenisset, Misso Gabriele Archangelo, cum palmae ramo, certum ei transitus ex hoc mundo diem, condici & indicari iussit: Id quod Simeon Metaphrastes disertis uerbis affirmat: Cum uero, inquit, & mortis eam participem fieri, necesse foret (cur enim hoc passura non esset, quamuis Dei Filius, ex ea genitus, reuera esset homo?) cum inquam, aetate prouecta, ad multam senectutem peruenisset, & peregrinationis tempus esset praesens, per Angelum, se migraturam esse, à Filio edocta est, sicut antea, quo tempore in eius uentrem ingressurus erat, nunciatum illi fuerat. Cum igitur, cum gaudio, excessus sui mysterium didicisset, eam rem leticia tanta, quanta uerbis explicari non potest, materiam iudicans, (quid enim illi suauius euenire poterat, quam cum Filio esse, & una regnare) statim iussit plurima domum lumina afferrì, idque factum est. Similiter refert Cedrenus: Ea, inquit, quindecim ante diebus suum exitum cognouit. Triduog, ante Archangelus ad eam uenit, primum portans. Addit Nicephorus: Eo tempore, inquit, cum Claudius Quintum imperaret annum, & immaculatam Dei uerbi, Matrem, mortem obire oporteret (quandoquidem

dem & Filiuseius verum se hominem esse probans, atq; confirmans, ad grandiore, exoletæ senectutis atatem, non peruenit) unde sexagesimum illa agens annum, nuncium à Filio, per Angelum, de migratione & aduentu ad se eius, ita vt antea, cum ipse ad eam venturus erat, accipit. Itaq; migratione sua ad hunc modum cognita, immensa repletur latitia; quid enim dulcius ei, quam vt cum Filio & Rege suo, esse contingeret? lumen ad eam infertur, Ista de Mortis prædictione, scriptores supra nominati

Palma ramum, eundem Archangelum Virgini, fortunatissimi ominis ergò, obtulisse, iisdem memorant, & præsertim Metaphrastes' & Nicephorus': Metaphrastis hæc sunt verba: Cum igitur, inquit, excessus sui mysterium didicisset statim iussit plurima domum lumina afferrî, id quod factum est, tota verò Domus mundata est: lectus item & thalamus ornabatur, & conuocabantur, quotquot erant cognati & vicini, vt cum ea letitia fierent participes. Deinde parata erant omnia ad excessum, significat itaq; bis qui conuenerant, id quod ei Filius per Angelum nunciauerat: Ostendit autem branium, quod similiter ab eo datum fuerat, id verò erat ramus palma, vt lingue assuefacta, vtrâ loquî, de eo dixerant, signum victoria mortis, & vitæ imago immortalis: sicut etiam Hebræorum Pueri, id eius faciebant Filio, inspirati diuinitus, illi enim appropinquanti ad passionem, hi ramos palmarum offerebant, eum futurum victorem mortis, ante significantes. Pergit hinc Nicephorus': Itaq; migratione sua, inquit, ad hunc modum cognita, lumen ad eam infertur, domus purgatur, genere propinqui, vt par erat, accersuntur pieq; & ordine, qua ad transitionem eam pertinent, preparabantur: nuntium etiam illa, quem acceperat bis, qui cum ea erant, exponit, & præterea victoriae Mortis trophæum, erat autem palma ramus, monstrat. De rei veritate dubium non occurrit, vllum, Mysteriorum potius, ratio est habenda.

Incomparabile quidem beneficium censeo, Virgini vltro à filio oblatum, quod tam ardentibus votis Regius

II. Palma ramus Virgini merito defertur.

Orat. de vita & dormitione Despara.

Ramus Palma oblatas ab Angelo, Maria.

NB.

Lib. 2. hist. cap. 23.

NB.

2. Mortis reuolutio virgini facta.

Psalms. 38.

Vates exoptabat *Notum fac mihi Domine finem meum, ut sciam quid desit mihi.* Tametsi porrò is Virginis status esset, qui nec vlla gratis datæ, nec iustificantis gratiæ dona desideraret, in illistamen nihilominus impensissimè lætabatur, quæ illi ab Angelo prædicabantur: *In domum Domini ibimus, stantes erunt pedes nostri, in atrijs Hierusalem cœlestis.*

Psalms. 121.

III. Cur Palma ei ab Angelo caltem alata.

Cant. 2.

1. Obtriplicem Victoriam.

2. Quia Palma in domo Domini.

Psalms. 91.

Apoc. 7.

Luc. 3.

Sut. Tom. 2.


Sed quem in finem ô Nobilissime Archangele, *palmarum.* ei obtulisti! Annon sicut dies Verni, circumdabant eam flores rosarum & lilia Conuallium! Annon sicut ipsa Liliū inter spinas, efflorescebat? ad quod palma indigebat? annon rosa vel liliū ei potius conueniebat? *Palmam* ei meritò offerebat, Archangelus, quia nemo vnquam mortalium Illustriori victoria, *Carnem, Mundum, Demonem* superauit vicit atque prostrauit, quam Virgo Dei Mater benedicta: Vnde *triplex* cœlestis gloriæ *palma* ob *triplicem* de hostibus *Triumphum* ei meritò erat persoluenda, *Palma* eam Filius per Angelum honorabat, vt sicut omnes iusti, *palmae instar* florituri sunt in domo Domini. & sicut *Cedri Libani*, in Paradiso cœlesti, multiplicabuntur, ita illa potissimum, tam in Ecclesia *Triumphanti*, quàm *Militanti*, cœlestis gloriæ radijs & Miraculorum iubare, ac fulgoribus perpetuò, sit coruscatura. *Palmam* ei Archangelus præsentabat, vt Sanctorum Martyrum. qui, referente Propheta & Apostolo Ioanne, *Palmas in manibus gestant*, inauguratæ Regiæ: Tametsi enim, Sanguinem, re ipsa & corporaliter, pro Filio non effuderit, non erogârit, constantissimè tamen *Doloris gladium*, à Simone prædictum, sub cruce excipiendo, & Filio suo expassionis affectu commoriendo, plus passa est, quàm quilibet alius Martyr: Ideo *palmae ramo*, eam insigniri condecebat, cum cuperet *dissolui, & esse cum Christo.*

Sic etiam in vita SS. Martyrum Mariani & Iacobi refertur

refertur inter alia, Sanctum Agapium Martyrem, Sancto *IV. Exempla*
Iacobo in carcere existenti, per quietem pulcherrima *palmigerorum*
corona redimitum, festivo ac lætis vultu. *palmarum*
manibus gestantem, & veluti iucundissimum conscium
agitantem, apparuisse. Quò cum & ipse & Marianus,
quasi ad Agapen Spiritu dilectionis & charitatis rapere-
tur, occurrit illis obuius puer, quem constabat esse alte-
rum ex geminis, ante triduum, cum Matre passis, corona
rosea, collo circumdatus, & manu dextra, viridissimam
præferens palmam; Et, quo properatis, inquit! *Gaudete*
& exultate, cras enim ipsi nobiscum cœnabitis in Regno cœlesti; quod
etiam re ipsa completum, quando sequenti die, Marty-
rio perfuncti, ad æterna illa tabernacula demigrarunt;
Consimili modo, Dei Mater, *palmarum* cœlicus allato, ad
perennem illam, æternæ beatitudinis, in qua *insti epulan-*
tur in letitia, dum *torrente voluptatis eius potantur,* per An-
gelum euocabatur. Non igitur mirum, si cupiuerit
dissolui & esse cum Christo.

Obsecramus te ergo, *Mundi Domina,* singularis Mater
& Patrona nostra, dignare nobis eandem, quam Dauid, *Psal. 39.*
tanto animi ardore efflagitabat dicendo: *Notum fac mihi*
Domine finem meum, ut sciam quid desit mihi, gratiam impe-
trare, ut nos ad felicissimum huius vitæ exitum, tantò ac-
curatius præparemus; ideoque cum S. Anselmo: *Roga-*
mus te Domina, per ipsam gratiam, qua te pius & misericors Deus
sic exaltavit, & omnia tibi secum possibilis esse donavit, quatenus id
apud ipsum nobis impetres, & obtineas, ut plenitudo gratiæ, quam
meruisti, in nobis sic operetur, quo participium præmij nobis eius,
miseriçoditer quandoq; donetur; in hoc quippe Deus noster per te
factus est frater noster, ut quemadmodum ipse fieri dignatus
est, consors nostra humanitatis, sic nos mereamur
consortes fieri sua Diuinitatis,

Amen.



SERMO II.

Virginis Deiparæ singularis consolatio ante
obitum, ex Apostolorum præsentia,
& mirabili congregatione.

*Ingrediens in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici
in tempore suo, Iob. 5.*

Dan. 12.
2. Machab. 12.
Ioann. 11.
Matth. 9.



I iustorum mors & transmigratio, atq; ex hac
mortali, ad longe feliciorē vitam profectio,
in scriptis sacris, vtriusq; Testamenti, sapissi-
mè somno æquiparatur, longè potiore iure,
Virginis Gloriosissimæ transitus, Dormitioni ac somno
est assimilandus: Nam iusti, post discessum animæ à cor-
pore, vniuersalem, humani generis resurrectionem, in
die iudicij, expectant; At virgo, vt Filio, in hoc priui-
legio conformaretur, non solùm tertio die, resuscitanda
erat, è sepulchre, verum etiam, ab omnibus mortis vul-
neribus, præseruanda. Et quemadmodum cubitum,
euntes, deponunt vestes, post somnum vegetiores, me-
liusq; dispositi, eas reassumpturi: Sic Dei Mater, ab o-
bitu, quoad animam, quatuor gloriæ dotibus iam exor-
nata, sacratissimum suum corpus, paucis abinde horis,
animæ gloriosissimæ reunitum, secum in cœlum erat a-
uectura: Duo igitur de hac Virginis dormitione, præ-
senti sermone potissimum explicanda selegi: *Primum* e-
rit, Quomodo B. Apostoli ad Virginis obdormitionem,
singulari Dei nutu, conuenerint; *Alium*, qua nam ratio-
ne, Filius eam, à tribus Mortis nexibus, ac plagis præser-
uauit, vt *vt ingrederetur in abundantia sepulchrum, sicut infertur
aceruus tritici in tempore Messis.* Faue cœptis, ó Augustissi-
ma

ma Virgo, ut quod de obitu tuo, in medium allaturi sumus, ad tuum ac Filij tui honorem, & nostræ erga te deuotionis inflammationem, dirigatur.

Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo: Describens S. Dionysius Areopagita, obitum Beatissimæ Virginis, cui ipse præsens inter erat, inter alia commemorat: *Non solum SS. Apostolos, sed & primarios recentis Ecclesie viros, omnes conuenisse, & morituræ Virgini Deipara, astitisse.* Idem testantur Nicephorus, Damascenus, Metaphrastes, & alij, quorum concors assertio: Beatissimam Dei Matrem, eorum aduentu, summopere gauisam, Deo Filio gratias egisse: Num singulos suis met verbis audire placet? Primum locum, & merito, habeat S. Dionysius Areopagita, qui & ipse cum SS. Apostolis, Virgini astitit morienti: *Quandoquidem, inquit, apud ipsos quoq; nostros à Deo afflato, Sacrorum Principes, quando nos quoq;, ut ipse nosti, & multi ex nostris sacris fratribus, ad videndum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, conuenerant: aderat autem quoq; Domini frater, Iacobus, & Petrus, qui erat Theologorum suprema & antiquissima summitas, visumq; est, ut post illud spectaculum omnes sacrorum Principes, hymnum canerent, & laudarent; prout poterat unusquisq;, infinitam bonitatem Diuinarum virium. Post Theologos ille, ut scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, ut qui planè excederet, & à se omnino abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, afficeretur societate, & communicatione, & ab omnibus, à quibus audiebatur & videbatur & cognoscebatur & non cognoscebatur, iudicaretur esse à Deo afflatus, & Diuinus scriptor hymnorum.* Et quod tibi amplius dixerim de his, que illic de Deo, diuine facta sunt? etiam, nisi sum mei quoq; oblitus, scio multa à te audiuisse, quasdam partes illorum, à Deo afflatorum hymnorum, tanti tibi studio est, non negligenter diuina persequi. Succedat Dionysio Iuuenalis Archiepiscopus Hierosolymitanus: *Infancta quidem, inquit, & diu-*

I. Apostolorum præsentia apud Virginem è vita transiuram. lib. de Dinis. Nomin: cap. 3.

Lib. 2. bist. c. 23. Dam: orat. de dorm: Deip: Metaphrast. de vita & morte Virginis.

I. Apostoli & alij Deum laudant in obitu Virginis.

I. Loco citat: S. Dionysius.

τ. S. Iuuenalis. In hist. Eutyhm: lib. 3. cap. 40.

Apostoli per
aëra translari.

3. Andreas
Cretensis.
Orat. 3. de
dormit. Dei-
paræ.

4. Michael Syn-
gelus.
in vita S. Dio-
nyfii.

Conuentio A-
postolorum.

nitus inspirata scriptura, de decessu Sanctæ Deiparæ *MARIÆ*,
nihil traditur, ex antiqua autem & verissima, accepimus tradi-
tione, quod tempore eius gloriosæ dormitionis, vniuersi quidem
sancti Apostoli, qui orbem terra ad salutem gentium obibant, mo-
mento temporis sublimè sublati, conuenerunt Hierosolymis, Tunc
autem aderant cum Apostolis, Sanctissimus Timotheus Apostolus,
& primus Episcopus Epbefinorum & Dionysius Areopagita, sicut
hic ipse magnus testatur Dionysius in his quæ de B. Hierotheo, qui
ipse quoq; tunc aderat, conscripsit, ad dictum Apostolū Timotheum,
sic dicens, ut supra ex Dionysio Areopagita. Tertius esto An-
dreas Cretensis sic affirmans: Iam ergo illa, qui Deum hono-
rant, elassis, sicut prius diximus, frequens erat congregata, &
vniuersus supermundanarum potestatum, qui intelligentia perci-
pitur, pulchrè instructus cætus, à nullo conspectus, desuper aduo-
lans, ad spectaculum consuebat admirabile. Hinc certè factum
est, ut diuinorum Sapientum præcipui, Diuino Spiritu, arrepti, ex
insigni letitia, diuini tunc oblectantis splendoris, id quod supererat,
illuminationis, in ecstasim traducentes, illos hymnos diuinitus in-
spiratos, illam inquam, quæ est in hymnis tropologiam, ut poterat
vnusquisq; attingerent, alius alium excipiens. Quartus Micha-
el Syngelus, Presbyter Hierosolymitanus, sic recenset: Quod vero cursum Apostolicum perfecit, & admirandis editis
miraculis, diuinitus gloriosus apparuerit, multa quidem & alia
fidem facient, & in primis nubes illa, quæ ab Occidentis partibus,
abreptum sublimem, ipsum abstulit, per aërem ambulantem, & ela-
tum abduxit, uti etiam summos Dei inspectores, & Theologos Apo-
stolos, alium aliunde repente, è finibus terræ, in celeberrimam, com-
munem omnium Christianorum matrem Hierusalem abspertauit,
& in exeelsa, Diuinorum mysteriorum, arce Sion, Ecclesiarum ma-
tre, cæteris Christi Discipulis copulauit, cum Dei Matris innocen-
tissima corpori Lusta persoluerentur. Quod ab editum Filij Dei par-
tum, qui ex ipsa natus est, & ortum carnis ineffabiliter accepit,
cum eaq; familiariter dixit, magnis honoribus auctum, à caelestibus
Angelo-

Angelorum ordinibus, plurima cum pompa elatum est. Et ipse delubrum mirandum in modum extructum, sanctissimis diuinisq; Apostolorum capitibus, & manibus ex Sion in Getsemani translatum: linguis diuino Spiritu percitis, igneis, ac diuinissimis laudatū, & gloria cumulatum est.

Sequuntur S. Gregorius Turonensis, Illephonsus & S. Damascenus; quorum hæc & inprimis Gregorij sententia: Deniq; impleto à Beatissima M A R I A, huius vitæ cursu, cum iam vocaretur à saculo, congregati sunt omnes Apostoli; de singulis Regionibus ad Domum eius; cumq; audissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul. O quam uenerandum, inquit Illephonsus, & præ cæteris honorandum diem, in quo Dei Genitrix Virgo M A R I A, de mundo migravit ad Christum, & Tabernaculum gloriæ, templum ecclæste, cui Apostoli sacrum reddunt obsequium, ad cuius Angeli canunt triumphum, quam Christus amplexatur. Pergit Damascenus: Eos quidem, inquit, qui dispersi erant, per uniuersum orbem terræ, eos, inquam, iussus diuinus, nempe nubes, tanquam quoddam rete urgebat, in sinibus terræ, ueluti quasdam Aquilas cogens & congregans. Aderant ergo bi, qui uerbum & ipsi uiderant, & eis seruiert, eius queq; Matri, ut debebant, ministraturi, & tanquam præclaram & preciosam hereditatem, ab ea hausturi benedictionem. Cui enim dubium est, eam esse fontem benedictionis, & omnium scaturiginem? Simul autem aderant, eorum quoq; affecle, & Successores, & ministerij, & benedictionis simul futuri participes, quorum enim labor communis, conueniens erat, ut fructus quoq; essent communes. Aderant uero eorum, quoq; qui erant in Hierusalem, quicumq; erat cætus, à Deo electus. Et infra: Et quomodo Rex Salomon, propter Arca requiem in templo Domini, quod ipse construxit, omnes seniores Hierusalem uocauit, ad concionem in Sion; sic tunc propter requiem, arca intelligentis, non testamenti Domini, sed ipsius hypostasis Dei uerbi, ipse nouus Salomon, qui est Princeps pacis, & Uniuersi optimus architectus, mentium cælestium super mundanos ordines, & noui testamen-

S. Alij complures Patres.

Gregor: Turon: lib. i. de glor: Mart: cap. i.

Illephons: Serm: 9. de Assumpt: B. M. V.

Damasc: Ora: de dormit: Dæ: paræ.

testamenti proceres, Apostolos inquam, cum uniuerso populo Sanctorum, qui erat Hierosolymis, hodie congregauit. Quis plura Sanctorum Patrum Testimonia Iure efflagitaret?

II. Apostolorum, S. Dionysij & aliorum translatio Deo non impossibilis.

Act. 8.

Dan. 13.

Ne verò miraculosa ista, Apostolorum, è varijs, orbis terræ partibus, transportatio, vt vno in loco conuenirent, Dei Filio, impossibilis extitisse censeatur: Multa namque stupenda, in seruorum suorum gratiam aliquando præstitit Dominus Deus: Potuisset quidem Philippum Diaconum, quemadmodum iussit ire in viam, quæ ducit in Gazam, propter Eunuchum Candacis Reginae, similiter reuocare vt rediret in Azotum: Et tamen Spiritus Domini rapuit Philippum, & inuentus est in Azoto: Similiter potuisset Deus in Babylone providere Danieli, & tamen per Abacuc, ab Angelo translatum prandium, ei submisit: Quid ergo mirum, si gratia suæ sanctissimæ Matris, vel etiam Apostolorum, qui id vnice in votis habebant, Deus id concesserit, Apostolis, ne Ministerijs suis tot diebus deessent & ab Ecclesijs quas congregauerant, tanto tēpore abessent, diuinitus fuerint abspoliati & reducti? Quin etiam quàm maximè id virginis merito cōueniebat, vt in abundantia gaudiorū, sepulchrum suum ingrederetur, sicut insertur aceruus tritici, in tempore suo.

II. Virgo gloriosa quomodo se ad mortem disposuerit.

I. Virginis Testamentum, de suis vestimentis.

Sim: Met: orat: de dorm: Dei: para.

Audiamus porrò, quomodo B. Virgo ad mortem sese disposuerit, & præparauerit? Vt Temporalia sua, in primis ritè curaret: Duas, quas habebat, vestes, pauperculis duabus Virginibus, Eleemosynnæ loco, distribui iussit, qua de re Simeon Metaphrastes & Nicephorus: Virgo ergo, inquit Metaphrastes, ad Ioannem aspiciens, Virginem, cum pauca cum Deo esset locuta, deinde, duas, inquit tunicas, quas tota vita tempore habui, tegumentum mei corporis, eas dare inbeo, hisce duabus mulieribus. Et infra: Deipara vitam finiens, duabus mulieribus virginibus, duas suas vestes donauit, benedictionis loco, ex quibus vna fuit, ex mei generis maioribus, qua id accepit,

quod

quod donatum fuerat, & in arca deposuit, & omnino iussit his, qui erant sui generis, ut esset Virgo vnaquaq; quæ eam acciperet. Et Nicephorus: Tum Virgini, inquit, discipulo, & itidem alijs, ipsa Virgo precepit, ut duas tunicas, vicinis viduis, quæ præter ceteros, propensiore erga eam amore, atq; pietate fuissent, donent. Et hæc de vestibus beatissimæ Virginis, veluti testamento pauperibus relictis.

Lib. 2. hist.
cap. 21.

Qua in re præclaro nobis Exemplo præluxit, ut si quid pauperibus, & locis pijs ad releuamen animarum nostrarum, erogatum cupiamus, tutius esse id præmittere antequam moriamur, ut cum in altera vita appulerimus, id inueniamus, nec alijs post mortem, talia committamus; Videtis enim, quando quis semianimis in doloris strato iacet, & loqui non potest amplius, & vrgeri, quod sibi in futuro sæculo profuturum existimat, quam segniter vltimæ voluntates, executioni mandentur, quàm multa impedimenta obijciantur; Misera interim Anima, subsidio, & auxilio suo, priuatur: Nam si in locum desertum tibi migrandum foret, in quo certò certius rosses, te graui comeatus inopia laboraturum, vtrum tibi melius esset, comeatum præmittere, aut tecum ferre, an verò ab alijs expectare, donec tibi submittant? tutius enim præmitteres, aut tecum feres, quàm ab alijs expectes: Idem cogita de ijs, quæ aut pauperibus, aut locis pijs, pro animæ suæ salute destinasti, inspice Virginis Exemplum, audi consilium: Vltimæ voluntatis tuæ, ipsemet executor esto, & ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.

II. Virgo docet nos ante mortem vltimas voluntates nostras quo ad Eicemolynas exequi.

Simile,

Quo autem casu, vna ex Virginis vestibus, Constantinopolim fuerit translata, ad longum memorat Nicephorus, in hæc verba: Leone, inquit, imperante, veneranda immaculata Virginis vestis, Constantinopolim hoc modo translata est: Hanc, sicuti diximus, Mater Dei, ad filium migrans, mulieris Hebraea

III. Quomodo vna ex vestibus B. Virginis Constantinopolim fuerit translata. lib. 15. c. 24.

brae Virgini reliquit, quæ etiam ad illud ipsum tempus, incorrupta permansit, & multa miracula edidit; Postquam autem Candidus & Galbinus germani fratres, patricia dignitate præditi, Ierosolymam profecti, omnia ibi loca perlustrarunt. & exosculati sunt, atq; inde etiam in Galilee partes venerunt, & thesaurum hunc, apud Iudeam quandam, seruatum reppererunt, consilium eius auferendi ceperunt, & Hierosolymorum urbe peragrata, & Sancto quoq; loco salutato, ex Palestina discessuri, arcam eadem longitudine, & latitudine, quæ illa erat, in qua diuina, Dei Matris vestis, reposita erat, fieri curarunt, solito ornamento coopertam, per fraudem in loco suo reposuerunt: alteram autem illam, cum sacrosancta veste receperunt, & cum ea quam citissimè, Constantinopolim recurrerunt, in suburbana regione, cui Blacberna nomen erat, occultare Diuinum thesaurum volentes. Quandoquidem verò rem tentare, quæ fieri nequiret, visisunt, ingratum etiam, eam ad Imperatorem retulere; atq; ille incredibili elatus voluptate, rotundo in eo loco, ubi asseruabatur, constructo templo, cum magna veneratione, sacram Arcam in eo collocauit, ubi nunc quoq; veneranda illa vestis, seruatur integra, veluti in victum, perpetuumq; urbis præsidium, quæ varios repellit morbos, & miraculis, quæ in ea fiunt, naturam, & vim temporis superat.

III. *Causa cur
Christus Domi-
nus Apostolos
ad Mabrem suã
morsuram cõ-
gregarit.*

Sed cur, ò Domine IESU, Apostolos tuos, toto mundo ita mirabiliter, vt Sancti Patres asserunt, nube lucida per aëra vectos, & ex omnibus locis, vbi Euangelium, prædicabant, congregatos, Matri tuæ præsentem sistere voluisti! an eorum opera indigebat, vt benè moreretur? At ipsa planè omnis peccati expers, mortem quam te subijisse sciebat, ardentem expetebat, tentationem nullam timere poterat, vt potè quæ tentatoris, serpentis caput iam pridem contriuerat, stationem verò coram tribunali tuo, nullam debebat, quæ Spiritu sancto plena, perpetuo tota vita optimè villicauerat. Nobis ò Dilecti, qui multis in morte periculis succumbimus, qui hanc vitam

Gen. 3.

I. Exemplum
nestrum.

Luc. II.

vitam agrè dimittimus, qui multis in ratione nostra, defectibus, & erratis succumbimus, qui variè à Diabolo tentamur, qui ab hostibus infensissimè oppugnamur, nobis inquam vtile & consultum, immò necessarium, & nullo modo quin fiat, omittendum, vt nobis morientibus, pietate eximij Sacerdotes assistant, qui animos, doloribus succumbentes, ad spem Patriæ cœlestis erigât, qui Diaboli tentationes, vincere doceant, qui mortis anxietatibus prostratos, consolentur, qui Deum pro nobis, & nobiscum exorent, & animam, vt feliciter hinc migret, adiuent, eorum ope auxilioque contendant, vt in abundantia sepulchrum ingrediamur, *sicut infertur aceruus tritici, in tempore suo.*

Quis ergo tuus erat animus ô Domine IESU, cum Apostolos, per totum orbem dispersos, ad Matris tuæ transitum congregares? Volebas vtiq; singulari lætitia, in obitu suo cam afficere, cum magnalia, quæ in plantatione nouellæ Ecclesiæ tuæ, per verbi tui Prædicatores, patraueras, ex Apostolorum relatione didicisset; volebas vt innumerabilem hominum multitudinem, vniuerso iam orbe, per fidem coadunatam, in te credidisset, inaudiret: Volebas, vt non solum Angeli, Matrem tuam, Cœlestis Hierarchiæ conciuēs, vt *Reginam*, in transitu ex hoc mundo, vti parerat, debitis obsequijs cohonestarent, verum etiam Ecclesiasticæ in terris Militantis Hierarchiæ, *Principes* non solum suam, *Reginam*, & *Imperatricem*, sed & *Patronam* & *Aduocatam* agnoscerent, eique sua, & omnia Christianorum negotia, & necessitates commendarent. Tu denique præsens futurus eras, vt verus *Sol cœlestis*, illius Firmamenti, supernæ Patriæ: Mater tua *aderat, pulchra vt Luna*, non decebat deesse *Stellas*, id est *Apostolos*, & alios Primæuæ Ecclesiæ Antistites, & Propagatores, vt Mater tua eo magis honoraretur, quanto cum

2. *Vi singulari lætitia hinc mirrans recreatur.*

3. *Alia causa & congruentia complures.*

Car. 6.

mulatior, dignitate ac merito, alijs emineret, atque in
honorum abundantia, sepulchrum suum ingrederetur,
sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.

*IV. B. Virginis
Ultimum Vale,
Apostolis &
alijs Christia-
nis dictum.*

Quam autem suauiter ex Apostolorum præsentia, ex
relationibus variarum virtutum, quas Deus per ipsos, in
gentium conuersione, designarat, fuerit exhilarata quis
nobis, sufficienter explicabit? Nec dubium est, postquã
singulos audisset, & Deo Filio suo, gratias egisset, ac de-
cessus sui rationem, exposuisset, ac maiorem in mo-
dum, mortis eius audito nuncio, mærentes consolata
fuisse, singulis etiam maternam benedictionem suam

*Orat. de dorm:
Deipara.*

impertijisse. De quibus omnibus audiatur S. Ioannes
Damascenus & hæc eius verba: *Videor mihi, inquit, videre
sanctis sanctiorem, & sacris sacratiorem, & pijs magis piam, dul-
cem manna Veram, aut, ut verius dicam, fontem, super aliquem
lectum decumbentem, in indiuidua & inclita Ciuitate Davidis. In
ea ergo beatissima Virgo iacebat, super aliquem felicissimum lectum.
Aderant ergo hi, qui verbum & ipsi viderant, & ei seruiant;
etiam quog, Matri, ut debebant, ministraturi, & tanquam pulchram
& preciosam hereditatem ab ea hausuri benedictionem. Cui enim
dubium, eam esse Fontem Benedictionis, & omnium bonorum scatu-
riginem? Simul autem aderant eorum quog, affectu, & successo-
res, Ministerij, & benedictionis simul futuri participes. Postquam
autem omnes desiderio simul & debito satisfecerunt, & ex multis
floribus, varijsq, hymnis, contextam sacram contexere coronam, be-
nedictionem, tanquam aliquem à Deo delatum thesaurum, acceperunt,
quæ in exitu postrema dicuntur verba dicentes. Et infra adiungit
idem Damascenus: Omnes ei aderant, resplendente face spiri-
tus, & praeclarior illustrante splendoribus illos, qui reuerentia &
metu & immobili desiderio, sinceros mentis oculos, in eam defige-
bant: nullus enim ordo ex his, qui in celo sunt, qui non unanimi-
ter adfuerit, nec quisquam inuentus est, qui eo, quod in supernis
versaretur, & cum in superioribus comparandus non esset, descendere,*

*Orat. de Dor-
mit: Deipara.
2. Affectio ca-
lestium conci-
uium erga Vir-
ginem tam tam
morisuram.*

& omnino, que diximus, munera, obire recusauerit: Hic fuerunt
 verba inspirata, & dicta diuinitus. Plaudebat vniuersus Chorus
 Sanctorum dicens: Agedum, huc ad nos veni; o diuine, & qui vi-
 tam adfers, tbesaurus: veni ad nos desiderantes, que finem nostro
 posuisti desiderio. Sed non paucioribus verbis, eam vicissim, retra-
 bebat multitudo Sanctorum, qui adhuc erant, in corpore dicens,
 Mane nobiscum, que es nostra consolatio, que es nobis vnicum, in
 terra solatium, ne nos relinquant orphanos, que es Mater misericor-
 dia: venientes in periculum, habeamus te laborum requiem, & su-
 dorum refrigerationem; tibi, si velis manere, in tua est potestate, &
 si velis recedere, nihil est, impedimenti: si recedis, que es Dei Ta-
 bernaculum, nos quoque recedemus, qui vocati sumus, tuus populus,
 propter tuum Filium: Te solam in terra relictam, habemus recrea-
 tionem, tecum viuente, simul viuere, & cum moriente mori, est
 beatum: quid autem dicemus moriente? Nam tua quidem est vita
 mors, & vita est melior; & hanc vitam superasti incomparabiliter,
 nobis autem, quemadmodum erit vita vitæ, si te non habeamus,
 cum qua versamur? Hæc mihi videntur Apostolici cum tota Ecclesia
 congregatione, dicere beatissime Virgini. Audiatur insuper Si-
 meon Metaphrastes, cuius & hæc sunt verba: Postquam ve-
 ro, inquit, vidit eos Deipara, cognouit autem causam, propter
 quam omnes statim accersiti fuerant, & vniuscuiusque audiuit pe-
 titiones, eos quidem, ut parerent, impertijt benedictionibus. Et
 rursum: Cum iam adesset tempus, inquit, excessus, illa quidem
 vere vitæ, Mater in Sion, iacebat in grabato. Per nubem autem
 congregat suos, Filius, discipulus, ut venerandum eius corpus, man-
 darent sepultura. Postquam vero vidit eos Deipara, cognouit au-
 tem causam, propter quam omnes statim accersiti fuerant, & vniuf-
 cuiusque, audiit petitiones, eos quidem, ut parerent, impertijt benedi-
 ctionibus. Pergit tandem: Cum vero omnibus dixisset verba,

3. Sanctorum
 in Ecclesia Mi-
 litantium suspi-
 ria ad virginem
 in caelo assu-
 mendam.

4. Virgo sacro-
 sancta benedi-
 cit Apostolis &
 alijs Christianis,
 in Orat. de
 vita & dormitio-
 ne Deiparæ.

Loco citate,

vt supra.

corpus meum mandetis sepultura, in hac figura, in qua ego me composuero: hæc est enim, inquit, voluntas mea. Hæc omnia licet aliis verbis, disertè & enucleatè tangit Nicephorus, cuius hæc sunt verba: Hæc cum immaculata, prorsus Virgo sciret, unicuiq; quæ optaret, precatur, benedictione omnes dignatur. Et rursum: Etiam tempus, inquit, instabat, cum in Sion, super humiliori lecto, reponitur, & tonitru, atq; nymphi sonitus, confestim ex finibus omnibus, suos Filius congregat discipulos, Hæc cum immaculata prorsus Virgo sciret, unicuiq;, quæ optaret, precatur, benedictione omnes dignatur, & extremis illis vocibus compellat: Deinde Petrum ad se venire iubet, mox reliquos etiam Apostolos vocat, ardentibus habentes faces, & mirificè exultans, labiaq; aperiens, gratias Filio agit. Tandem concludit: Et extremis illos vocibus compellat, valedicens, migrationemq; suam non lætari eos, sed gaudio prosequi iubet, & quæ ad exequias sepulturamq; eius pertinerent, suaviter & latè exponit. Cum ergo hæc & similia verba consolatoria è virginis ore hausissent, Et illud in primis, quod Virgo se illorum, iugem apud Filium memoriam habituram, & singulorum Advocatam atq; Patronam, perpetua intercessione sua futuram, Divina voluntati, se tantò libentiùs submiserunt.

A te, ô Mitissima Misericordiae Mater, ô Fidelissima humani generis protectio, & nos quoq; gratiam eandem, filiali reverentia deprecamur, ut cum ex hac ærumnosa peregrinatione nobis, ad alterius vitæ ingressum, iam iam fuerit transcendendum, nobis quoque eandem gratiam, quam SS. Apostolis, & primæ Ecclesiæ Filijs ultro pollicita es, præstare non dedigneris, ut munimine tuo, ab omnibus Diaboli moliminibus assecurati, beatæ illius patriæ Portum feliciter obtineamus,
Amen.

Lib. 1. hist.
cap. 21.

Lib. 1. hist.
cap. 21.

Idem citat.

SERMO III.

Dei Filius è coelo occurrit Matri, ex hac vita
decedenti, eamq; ad coelestem co-
ronam inuitat.

*Veni de Libano Soror mea Sponsa, Veni de Libano, veni corona-
beris. Cant. 4.*



SI Filius Matrem fidelissimam, sibiq; charissi-
mam, ex hac, non ita multò post, vita decessu-
ram inaudiret, minimè dubitauerim, ad eius
transitum, relictis alijs omnibus, negotijs, abs-
que mora properaturum. Quod obsequium si filius, ho-
mo purus, Matri suæ exhibiturus esset, quis ambigat Dei
Filius, benedictæ Matri suæ, longè excellentiori gradu
præstitisse? Quin etiam, & illud in dubijs, nullo pacto,
reponendum, quod eam non solùm clemèntissimè visita-
rit, verùm etiam ad coelestia gaudia, verbis dulcissimis:
Veni de Libano, Sponsa mea, veni Mater mea, veni coronaberis,
quam humanissimè euocârit.

Erat id sanè maximè consentaneum non tantùm ra-
tioni, sed & promissioni: Qui enim alijs credentibus pro-
misiit; *Etsi abiero, iterum tamen venio ad vos & accipio vos ad me
ipsum, ut ubi ego sum, illic & vos sitis.* Et rursum: *Pater quos
dedisti mihi volo ut ubi sum, & illic sint mecum, ut videant clari-
tatem meam.* quomodo Matri suæ, gratiam istam, subtra-
here potuisset? Affirmat id disertissimis verbis Sophro-
nius: *Creditur, inquit, quod Saluator omnium ipse, quantum
datur intelligi, per se totus festinus, occurrit, & cum gaudio eam se-
cum in throno collocavit. Alias autem quomodo impleuisse credi-
tur, quod in lege ipse præcepit: honora Patrem & Matrem tuam?*

*I. Veritas &
Æquitas huius
visitationis.*

Ioann. 14.

Ioann. 17.

*Lib. de assumpt.
Mariæ.*

Asteric

Lib. 2. de glor.
mart. cap. 4.

Afferit idem, Gregorius Turonensis: *Ecce, inquit, Dominus IESVS aduenit, cum Angelis suis, accipiens Animam eius, tradidit Michaeli Archangelo & recepit. Adstipulatur Ille fontis:*

Serm. 3. de As-
sumpt.

Hodie, inquit, audiuit illam vocem, blandientis sibi Maiestatis, qua dicitur: Veni electa mea, & ponam te super thronum meum, quia concupiuit Rex speciem tuam: ad quam factè vocem credimus, quod gaudens, & exultans, soluta est, beata illa anima, ac perrexit ad Dominum, ubi facta & ipsa Thronus, que fuerat, in carne Tem-

Serm. in As-
sumpt. B. V.

plum, Diuinitatis. Consentit S. Ioannes Damascenus: Aduenit, inquit, Rex, ut mihi quidem videtur, ad suam Parentem, diuinisq; ab interitu alienis manibus, suscepit eius puram, & nulli

De vita & dor-
mit. Deipara.

*culpe affinem animam. Similiter etiam Simeon Metaphra-
stes: Deinde è caelo quidem descendit eius Filius, illius diuinam as-*

Lib. 2. hist.
cap. 22.

sumpturus animam. Et tandem addit Nicephorus: Deinde, inquit, cœlitus Filius eius, cum innumerabili angelorum exercitu, descendit, animam illius Sanctam, prorsus & Diuinam, assumpturus. Quis tot & tantorum Ecclesiæ Doctorum Authoritati contradicat?

II. Vocatio Chri-
sti Matrem cõ-
pellantis.
Cant. 4.

Audiamus nunc Filium suauissimam Matrem compellantem: *Veni de Libano, inquebat, Sponsa mea, Mater mea, veni de Libano, veni coronaberis: Veni in hortum meum, Soror mea sponsa; Veni è deserto mundi, & istius calamitosæ miseria-*

3. Inuitatio ad
coronam cele-
stem.

rum vallis; Veni ut hortum deliciarū mearum cœlestium, ingrediaris: Veni de Libano sponsa mea; Quid aliud Libanus, quam hic mundus, iuxta illud, Prophetæ Naum: Flos libani elanguit, id est prosperitas mundana defecit. Veni de Libano, veni de Libano. Bis veni de Libano præsentis vitæ: Quia Libanum, Mundum, pridem iam deserueras mente, & con-

Num. 1.

uersatione, ut verè cum S. Paulo, dicere posses: Nostra conuersatio est in cœlis, Veni de Libano sponsa mea, quia tu mihi perpetuo, per Mundi contemptum, sicut Sponso Sponsa, per amorem fideliter adhæsisti, Sponsa mea, Electa mea, inter

Philipp. 3.

filias Hierusalem. Quoniam etiam multæ filie congregauerunt

Cantic. 1.

diui-

diuitias, tu super gressa es vniuersas. Et licet: Sexaginta sint Re- Prou. 31.
gina, octoginta duæ concubinae, & adolescentularum nõ sit numerus.
 Tu tamen vna Mater, Columba mea, perfecta, ex omnibus Cant. 6.
 intimè dilecta, Veni itaque de Libano huius mundi, per car-
 nis depositionem, vt de te vaticinium S. Prophetæ mei
 de tua gloria loquẽcis, compleatur: *Astitit Regina à dextris* Psalus. 44.
tuis, in vestitu de aurato, circumdata varietate. Veni coronaberis,
 olim dum Virgo beata, in Libano huius mundi, degeret,
circumdabant eam sicut dies verni, flores rosarũ, & lilia conualliu,
 omnis scilicet venustas, virtutum & meritorum copia, 2. Meritum cor.
 eam adornabant. & sicut viriditas diebus vernis magis lestis Corona.
 magisque accrescebant: at nunc tempus erat, vt immar-
 cessibilis gloriæ corona inauguraretur; Si enim Apосто-
 lus Paulus dixit: *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit,*
 quis magis, quam tu, ô Mater pura, legitimè certauit, 2. Tim. 2.
 mecum vsque ad mortem? Quis vt tu, ad crucem vsque
 mecum perseuerauit? Si S. Apostolus Paulus se ipsum
 consolatur: *Bonum certamen certauit, cursum consummauit, In re-* 2. Tim. 4.
liquo reposita est mihi corona, iustitia, quam reddet Dominus in illa
die, iustus iudex: Quanto magis tu eam expectare potuisti?
 in hac corona te vidit S. Joannes, cum dixit: *Signum ma-* Apo. 21.
gnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius,
& corona stellarum duodecim in capite eius, id est gloria omniũ
 aliorum Sanctorum: *Surge igitur propera Amica mea, iam* Cant. 2.
byems, tribulationum, transist, imber, lachrymarum abiit,
& recessit, flores, Cœlestis lætitiæ apparuerunt in terra nostra;
 Nunc tempus putationis, in quo Mortalitas tua, in immorta-
 litatem tranibit, aduenit: *Veni de Libano, veni coronaberis.*
 Quam ineffabili dulcedine, audita Filij voce, beatif- III. Dulcedo
 sima eius Anima, fuerit adimpleta, explicari à me cercẽ anima Vir-
 non potest: hoc tamen non tacebo, quod S. Brigittæ, de gini.
 eius obitu, diuinitus fuit reuelatum: *Cum Filius eam ad cœle-* Lib. 4. Res-
stia gaudia, inuitaret, interea Animacius benedicta, placidissimè, lat. cap. 23.

Orat. de As-
sumpt. Deipa-
ra.

Et sine ullo timore, à corpore sese exoluit. Cumque, vt S. Ioan-
nes Damascenus asserit, hæc verba protulisset: *In manus*
tuas, ô Fili, commendo Spiritum meum, suscipe nunc Animam tibi
charam, quam à peccati macula præseruasti, tibi etiam, & non ter-
ra corpus meum offero, in quo placuit habitare. Trabe me post te,
ubi tu es fructus viscerum meorum, illic sum & ego: Fiat mihi denuo
secundum verbum tuum, animam reddidisse Filio, & corpus,
quasi dormienti simile, remansisse aspectu iucundissimum, & instar
Solis resplendens, vt inter alios profert Ioachimus Perionius;
O quam dulces lachrymas putatis, tunc S. Apostolos,
præsertim S. Ioannem effudisse? Imaginor mihi omnes
& singulos, ad eam clamantes: O Mater Redemptoris, me-
memento nostri apud Filium tuum, ne nos patricinio tuo relinquant.

Niceph. lib. 2.
cap. 21.

IV. Multitudo
Angelorum.

Quis verò de eo dubitabit, quod S. Andreas Creten-
sis discrete affirmat, vnà cum S. Iuuenali, admirabilem
isthic Angelorum multitudinem præsto fuisse, & ab om-
nibus, cum visam, cum auditam, qui præsentés aderant,
& Dei Filium in Matre sua concelebrabant? Qua de re
Sophronij testimonium audiatur: *Ad cuius profectò exequias,*
inquit, quantum fas est credere, famulabantur Angeli, & vniuersæ
Cælorum congratulabantur Curia; neq; mirum, quia honor mater-
nus eius est, qui natus est ex ea, quem omnis cælorum ordo venera-
tur, & adorat super se eleuatum cum Patre, in sede maiestatis Do-
mini. Legimus enim, quam sæpè ad funera, & ad sepulturam quo-
rumlibet sanctorum Angelos conuenisse, & ad exequias eorum obse-
quia præstitisse, nec non & animas electorum, vsq; ad cælos, cum
hymnis & laudibus detulisse, ubi & vtriusq; sexus chori, commemo-
rantur frequenter auditi, laudesq; cecinisse interea: & quod per-
spiciacius est, malto nonnunquam lumine eosdem resplenduisse,
insuper ad huc viuentes in carne, ibidem, diuini odoris, fragrantiam
diutius persensisse. Quod si ad recreandam spem, & corroboran-
dam fidem, interdum assistentium, Saluator Christus, ob merita
suorum, amplius comprobanda, talia & tanta dignatus est exhi-
bere.

Lib. de As-
sumpt.

bere, per suos cœli ministros, circa defunctos; quanto magis credendum, hodierna die, militiam cœlorum, cum suis agminibus, festiuè obuiam venisse Genitrici Dei, eamq; ingenti lumine circumfulsisse, & usq; ad thronum, olim sibi etiam, ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus & canticis, spiritualibus perduxisse? nulli dubium, omnem illam cœlestem Hierusalem, tunc exultasse, in effabili laticia, tunc iucundatam esse inestimabili charitate, tuncq; cum omni gratulatione iubilasse, quoniam festiuitas hac, qua nobis hodie reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua, neq; immeritò.

Hac de re etiam ad longum scribit Illefonus: *Vidi, inquit, Hierusalem descendentem de cœlo, ornatam auro mundo, & lapidibus preciosis intextam. Quo profecto hodie decorata, ronatis, ideo descendit, vt Reginam mundi, Beatam scilicet MARIAM, secum eueberet, ad sublimia, & collocaret in throno Regni: Et inferius: Quod si Dauid cum omni populo, dignum duxit Arcam,*

veteris Testamenti, cum tanto honore prosequi, vt scriptura testatur, multò religiosius est, hanc dignis laudibus commendari. At namq; Sereno Diuinus, quod ascendit Dauid, & omnis populus cum eo, vt ferrent Arcam, Dei, super quam inuocatum est nomen Dei exercituum, sedentis super Cherubin. Ac deinde, Dauid, inquit, cum psalterijs, tympanis & sistris cum cymbalis & tubis. Rogo, si in figura, officiosissimè, tanta conseruatur gloria, quid hodie ante B. Virginem, quando illa in cœlestem Hierusalem euebitur, quantus exercitus sanctorum præcurrit in hymnis & canticis! Quæ nimirum virgo, ac si Arca hodie, de captiuitate huius seculi, angelorum equijs glorificata, reducitur, non in Hierusalem, quam destruxit vel deuastauit, Chaldaeorum exercitus, sed in illam veram & cœlestem, quam fundauit Deus & non homo, collocatur. Addit denique Arnoldus Abbas: Postea verò Ioanne in eius obsequijs perseruantem, non diu vocatione dilata, migravit ad silium, & angelis occurrentibus, & deportantibus, in cœlestem illam Animam, assumpta est in cœlum. Astipulatur præter alios S. Bernardus hisce verbis: Sed illud quis cogitare sufficiat, quam gloriosè Regina mun-

Serm. de Assumpt.

Ibidem.

In Tract. de laudibus Virgini.

Serm. 1. de Assumpt. Deipara.

di hodie processerit, & quanto deuotionis affectu, tota in eius occursum, cælestis prodierit legionum multitudo? Quis explicare queat, quibus ad thronum gloria canticis, sit deducta? quam placido vultu, quam serena facie, quam letis amplexibus suscepta à Filio, & super omnem exaltata sit Creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quo talem decuit Filium? Quantum enim gratia adeptæ est præ cæteris, tantum & in cælis, obtinet gloria singularis. Quia sic oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præperauit Deus diligentibus se, quod de omnibus certum est, diligenti præ omnibus, quis eloquetur? Felix planè *MARIA*, & multipliciter felix, siue cum ipsa suscipit Saluatorem, siue cum ipsa suscipitur à Salvatore.

Tu itaque, ô *Misericordia Mater*, & nobis ope atque intercessione tua, assiste, vt similiter vnà tecum, felici fine, hinc transeamus, nec Malignorum Dæmonum fraudibus decepti, succumbamus, Tu in illa vltima & grauissima lucta, à qua pendet eternitas, nos iuuas, vt viuamus, tu efficè, vt cum hinc migrauerimus, illorum numero adscribamur, de quibus Virgineus custos tuus assererat: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Impetrabitis hoc dilecti mei, si Dei Matrem studiosè honoraueritis; Sic vobis incitamento, & calcar addat, memorabilis historia Martyrij *B. Andreae de Chio*, quam ad longum *Georgius Trapezuntinus* describit, qui sub *Friderico tertio Casare*, Scriptor, celebris exitit. Beatus vir iste, circa annum Domini 1365. iussu *Turcarum Regis*, qui *Trapezuntij* tunc dominabatur, partim promissis, partim minis vgebatur, vt Christum negaret, & quia vir erat spectabilis staturæ, se militiæ *Turcicæ* adscribi pateretur: Negat ille, se Christi crucem vnquam relicturum, sub qua in *Baptismo* militare iurasset. Iussu itaque *Turcarum Regis*, primò ad palum alligatus, acerrimè flagellis, virgis, loris fustibusq; caditur, quo in tormento, cum aliquantulum

V. Implorato
virginis Pa-
trrocino nos
feliciter hinc
transeamus.

Apos. 14.

2. Historia S.
Andreae de
Chio.


Vide Canis.
lib. 3. cap. 19.
operis Ma-
riani.
Et Surium
29. Maij.

culum tremere & timeret, Clamavit: *Beatissima Dei Mater, adiua & conforta me intercessione tua apud Filium;* & illicò ita diuinitus corroboratus fuit, vt immotus omninò, fatigatis tortoribus, persisteret: Reductus in carcerem, ope Beatissimæ Virginis totus sanus, altero die, in publicum producitur. Rursumque omnia ei membra distenduntur & luxantur, inuocat ille similiter, Dei Matrem, & dolor omnis in momento euanescit. Retractus in carcerem, & vinculis oneratus atque cathenis, manè iterum auxilio Diuinæ Virginis sanus & liber apparet. Quatuor alijs diebus, quotidie aliqua pars corporis eius, lento vulnere, ad acuendum dolorem, vsque ad ossa, secatur, & ferreis pectinibus laniatur, vbi primum inuocat Dei Matrem, illicò dolor cessat, & manè iterum sanus, & incolumis, è carcere educitur, atque vltimo tandem, inuocans intercessionem Deiparæ Matris, apud Filium, decollatur, & sacra eius Anima, ad capestrandam Martyrij palmam, euolat in coelum. Caput verò à trunco dissectum, & Trapezuntij in sepulchro conditum, multo tempore recens ac splendidum in sepulchro, ab infinita hominum multitudine, conspectum fuit, quasi adhuc viueret.

Potuit Dei Mater, deuotum famulum suum ita confortare, vt doloris sensus omnis, propemodum euanesceret, vel saltem cor eius diuina gratia, sic ad constantiam roboraretur, vt dolores fortiter superaret, nolite dubitare, *deuoti Serui ac famule Deiparæ Virginis,* quin idem vobis in extremis, sit præstitura, vt omnibus mortis doloribus, &

Dæmonis tentationibus, superiores, feliciter emigretis, ad supernam illam Patriam, præstante Filio eius, Domino nostro IESU

CHRISTO. Amen.



S E R M O IV.

Beatissimæ Virginis obitus, à doloribus Mor-
tis, ab infestatione Dæmonum,
omninò immunis.

*Ingradies in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus Tristici,
in tempore suo. Iob. 5.*

Ecce, ut Rex Reginam, præ alijs Gynecæi sui
hominibus honoret: Et quid ni *Rex Regum*, *DEI*
Filius, *Reginam Matrem* suam, in cœlestem tha-
lamum introducturus, præcipuo quodam ho-
nore, præ alijs Sanctorum & Sanctarum animabus pro-
sequutus fuisset? Nam etsi liberrima fuerit, ab omni pec-
cati culpa, non tamen omnem peccati pœnam euasit,
neque omnibus fuit subiecta, ne si in omnibus humanæ
naturæ excederet infirmitatem, nò homo, sed magis Dea
putaretur: Sic & Filius eius pronobis pati voluit, &
mori, quæ sunt sequelæ *Peccati* & *Legis*: Quia *statutum est*
homini semel mori. Et morti quidem, Beatissima Virgo
quoque subiecta fuit, & Anima eius verè è corpore mi-
grauit; à præcipuis tamen mortis Iniurijs, ut tota piè cre-
dic Ecclesia, singulari Filij gratia, extitit præseruata:
Quæ nam porrò sunt illæ iniuriæ, propter peccata, ho-
minibus debitæ? Prima est *dolor infirmitatis*, ad mortem
impellentis; Altera *infestatio Damonis*, Animam hominis
capere, ac perdere volentis: Tertia demum *incineratio*
Cadaueris putrescentis: At nihil horum omninò, locum
in Beatissima Virgine habuisse, præfenti sermone quoad
priora duo ad laudem Virginis gloriosæ, Deo dante, lu-
culentissimè ostendemus.

Hebra. 9.

Conde-

Condecens erat, & à prima mortis Iniuria, esset planè immunis, quod probo imprimis *ex eius nobilissima complexione*: Nam temperatissima erat corporis eius habitudo, & omnis intemperantię inimica, inde nullam in vita ægritudinem passa, creditur, licet infinitas alias calamitates, fuerit experta, donec absumpto quasi oleo, in lampade, radicali humido, naturali morte suauiter extingueretur: Nam naturalis calor, remittitur successiue, vsque ad finem vitæ, sine graui sensu doloris.

Probabile est insuper, immò & planè credibile, eam in transitu suo, omnes mentis anxietates euasisse. Quam enim ratione quisquam sibi persuaderet; Christum Dominum, Filium eius, omnium Saluatorem, Matrem ad æterna gaudia euocasse, & à doloribus qui vndequa; accidere potuissent, minimè præseruasse? Ipse enim est, qui mortuos suscitatur, qui vniuersos languores ad se recurrentium, solo nutu sanat: quomodo eam, quam summè diligebat, sicut Filius Matrem, omni pura creatura nobiliorem, quomodo, inquam, eam, ad cœlestes amplexus euocans, à doloribus non custodisset? Quis insuper sibi persuaderi sinet, cum summo gaudio, quo cor eius ex præsentia SS. *Apostolorum*, ex præsentia SS. *Angelorum*, & præsertim dulci alloquio Filij, adimpleta fuit, vel minimum simul dolorem, locum habere potuisse? Quod si multi Sancti, in tormentis acerbissimis, dolorem non senserunt, contemplatione cœlestis patriæ, in extasi quodammodo rapti, vt de S. Tiburtio & Laurentio creditur, quis existimare poterit, ad euocationem Filij, ad cœlestia gaudia, Matrem benedictam, vel minimum mortis dolorem percipere potuisse!

Decuit planè ipsam sine dolore mori, vt cuius Anima, nimia pœnalitate commoriebatur Christo, in cruce pendenti, *doloris gladio*, à Simone prædicto, transfixa, Filij

7. *Doloris Mortis B. Virgo non sensit.*

1. *A complexione.*

2. *A filio eam ad cœlestia gaudia euocante.*

Sancti in tormentis quandoque dolores non senserunt.

9. *A doloribus quos protulit sub Cruce.*

Filij mortem, sibi quodammodo inferendo, cum ab eo plusculum temporis, separabatur; Ergò perpetuò iam cum Filio in cœlum victura, omnis doloris planè expers, Animam in manus eius, resignavit.

4. *Ab exemplo
S. Ioānis Evan-
geliste.
Prolog. in Io-
annem.*

Si denique S. Ioannes, Virginis Custos, & Minister, propter Virginitatis privilegium, teste S. Hieronymo, *moriturus, descendit in defessum sepultura locum, tam extraneus, à dolore mortis, quàm à carnis corruptione, alienus: Quid minus de Virgine Deipara, sentire possumus, quæ sine peccato concepta & nata, Virgo concepit, Virgo peperit, mente & corpore Virgo permansit? Annon sine dolore spiritum reddere debuit, in æternum victurum, quæ Filium suum, in tempore moriturum, sine omni doloris læsione, peperit, & in hunc mundum introduxit?*

5. *A testimo-
nijs SS. Pa-
trum.
Lib. de divinis
uominibus.*

Testatur S. Dionysius Areopagita, SS. Apostolos, in eius transitu, certatim in laudes Filij Dei, & Matris eius erupisse, & præ gaudio exultasse, quod ipsum indicat, eam absque vllodoloris argumento & sensu, hinc emigrasse. Et ne quis putet, me proprio iudicio niti velle, produco S. Illefor^m, S. Ioannem Damascenum, aliofque scriptores, qui veritati ad stipulantur: *O quam venerandum, inquit Illefonus, & præ ceteris, honorandum diem, in quo Dei Genitrix Virgo MARIA, de mundo migravit ad Christum, quæ dolori non subiacuit, post partum non labori post transitum.* Et S. Ioannes Damascenus: *Cum hæc autem fecisset,*

Serm. 9. de
Assumpt.

Orat. de Virg.
Dormit.

inquit, & audisset à Filio, Veni benedicta Mater mea, in requiem meam: audi surge propinqua mea pulchra inter mulieres, hæc inquam, cum audisset, sancta, deponit Spiritum in manus Filij. Et superius: Priusquàm dolorem sensisset, peperit, absq; dolore fuit eius, è vita quoq; excessus. Mors peccatorum est mala, in qua autem mortis stimulus, nempe peccatum, est morte affectus, qui eam dicemus aliud, quam vitæ principium, perennis & melioris? Addit Simeon Metaphrastes: Et cum rursus dixisset, inquit, fiat mihi

De Assumpt.
Virginis.

Domi-

Domine secundum verbum tuum, emisit tanquam in somno Spiritum, & cum in amicis deponit Filij manibus. Pergit Nicephorus: Fiat mihi rursus secundum verbum tuum, inquit, atq; ita in charis illius manibus, perinde atq; ob dormiens, beatam deponit Animam. Et rursus: quæ quidem multorum opinionem, tanquam importunam, minusq; veram ipse corrigens, non dixi ei, inquit IESVS, quod moriturus nõ sit, moriturus est enim, eo, quo Dei Genitrix modo.

Lib. 2. hist. cap. 21.
Lib. 1. cap. 35.

Beatissimam ergo Virginem, non morbi alicuius vi, sed suavi quodam somno, ex hac vita migrasse, præter id asserentium auctoritatem, & illis verbis indicantium, quibus dicunt MARIAM se in lecto reposuisse, quasi sanam & incolumem, satis ea suadet ratio; Quod iure optimo Filium Matri concessisse credendum est, quod se suis alijs concessisse refertur: Colligitur autem, iussu Domini Moysen in monte, in terra Moab, decessisse, absq; morbo villo, & Ioannem se tumulo inclusisse, in eoque sanum obdormisse. Hilarium etiam Pictaviensem Episcopum Filiam Abram, ad sponsum Christum, quem illa summopere expetebat, fuis precibus solis remisisse, itemque uxorem, in eius historia legimus: quid ergo mirum, si id de Matre Virgine, referamus?

6. Ab Exemp. plu.
Deut. 32. & 34.
Ambr. Serm. de Sanctis mart.
Gregor. Turon. de glor. mart. cap. 30.
Niceph. lib. 1. cap. 35.

Remansit etiam immunis, à secundo Mortis incommodo, Diaboli infestatione. Et primò, propter Angelorum præsentiam; Licet enim, vt S. Gregorius testatur, omnes planè homines, grauisimè in vltima illa hora, infestet, Caco-dæmon, prout scriptum est: Descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet; ad beatissimam tamen Virginem, circumdatam choris Angelorum, immò ab ipso Filio suo, præsentem, euocatam ad ecclestem gloriam, non fuit ausus appropinquare; Vnde S. Hieronymus, vel vt alij volunt, Sophronius: Legimus quam sepè, ad funera & sepulturas, Sanctorum, Angelos aduenisse, & exequijs eorum, obsequia præstitisse, necnon & Animas, electorum,

II. Mortis In- iuria.
Infestatio De- monum.
1. Ab ea man- sit Immunitas ob præsentiam Angelorum.
Item 39. in E- uangelia.
Apoc. 11.
In Serm. de obi- tu Desipæ ad Paulam & Eu- stochium.

ad caelos, cum hymnis & laudibus, detulisse. Interea quod perspicacius est, multo nonnunquam lumine, eos resplenduisse, in super ad huc viuentes, in carne, ibidem diuini odoris fragrantiam, diutius persensisse. Quia si ad recreandam spem dilectionis, & corroborandam fidem, interdum astantium, Saluator noster Christus, ob merita Sanctorum amplius approbada, talia ac tanta dignatus est, exhibere, per suos caelicolas ministros, circa defunctos, quando magis bodierna die credendum est, militiam caelorum, cum suis agminibus, festiuè obuiam venisse Dei Genitrici, eamq; ingenti lumine circumfulsisse, & usq; ad Ibronum olim sibi, ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus & canticis, perduxisse? Quomodo ergo Dæmones hic potuissent aliquid præstare?

2. Ob præsentiam
sanctorum Apostolorum.

Non audebant Dæmones ad eam appropinquare, propter præsentiam Sanctorum Apostolorum, quia si singuli per sæpè, solo nutu & imperio dæmones eiecerant, è corporibus obsessis, quomodo ipsis omnibus præsentibus, ad obitum Virginis gloriosæ, ipsam Serpentis Calcatricem infestare potuissent! Hinc S. Dionysius Arcopagita, volens ostendere Timotheo, excellentiam Præceptoris sui Hierothei, quem multis ibi nominibus commendat, inter cætera affirmat: Namq; apud ipsos diuino Spiritu plenos, Pontifices nostros, cum & nos, ut nosti, & pleriq; ex S. Fratribus nostris, ad contuendum corpus illud quod auctorem vitæ, Deumq; conceperat, conuenissemus, aderat autem & Frater Domini Iacobus & Petrus supremum decus & antiquissimum lumen Theologorum summitas, ubi post contutum, ut infinitè, potentem, Diuine bonitatis infinitatem, Pontifices laudarent omnes quisq; pro suo captu. Ille, ut nosti, post Apostolos, qui & ipsi presentes erant, omnibus alijs prædicatoribus, superior erat. Non est ergo credibile, cum tanta alacritate, Deum & Matrem eius benedictam, laudantibus, Cacodæmones commercium aliquod habere potuisse: Hinc S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Licet ineuitabilem mortem, è Dei Genitrix, humana nature

Serm. de Dei-
para.

suscepe-

susceperis, non dormitabit tamen, neq; dormiet, qui nos custodit, oculus tuus: non enim sine testimonio dormitatio tua, nec est dormitatio mendax: cælum enarrat gloriam eorum, qui super te cecinerunt; terra de illis exhibet, veritatem; nubes vociferantur honorem, qui ex eis, tibi administratus est. Angeli factum in te obsequium prædicant, quo videlicet, Apostoli ad te, in Hierusalem conuenerunt. Ex quo fundamento, firmiter euincitur, Dæmones illic subsistere, & Apostolorum atque Angelorum præsentia, nullo modo, se se ingerere valuisse.

Aspicio te, obsecro Virginis ipsius potentiam & facultates: Nonne ò Dei Genitrix Virgo, & ipsa per te Dæmones effugare valebas? annon Serpenti ab initio de te est prædictum: *Ipsa conteret caput tuum?* Gratia deniq; sic affatim repleta eras, vt nil mali tibi suggerere potuerit, nec ad te quidem ausit appropinquare. Vnde S. Bernardus: *Ipsa est*, inquit, *mulier illa fortis, cuius precium de ultimis finibus, illum pariens, qui fortem armatum debellauit, & uniuersa spolia eius diripuit: qua etiam de cordibus eorum, hunc repellit, suisq; meritis & intercessione ad salutem, perducit, quos vel aperte seuiando deiecerat, vel occulta & varia fraude secum deceperat.* Quomodo igitur Victtricem Dei Matrem Dæmones aggredi & oppugnare præsumsissent! Id etiam confirmat Ioannes Gerson: *Scandens*, inquit, *atbera, potestas aëreas debellasti, nihil aduersus te malignantes Spiritus posse se persentientes, admirari potius oportebat Demones, & pauescere, quasi querentes intra se: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, quasi aurora consurgens, quæ nobis est umbra mortis, & terribilis ut castrorum acies ordinata? verè enim in egressu suo, castris & Angelorum, & SS. Apostolorum circumdata, potentia sua Damonibus terribilis apparuit. hæc ille.*

At nos, ò Gloriosissima Virgo, habemus vtique, quod nobis ab hoste illo in extremis metuamus: Tu equidem caput illius obtriuisti; at nos sumus misceruli illi, quibus

3. Ob Virginis potestatem Dæmones coercendi.

Gen. 4.

Serm. 2. super Missu est.

Tractat. 4. super Magnificat.

II. In mortis articulo nobis metuendum à Dæmone.

insidiatur in abscondito, quasi Leo in spelunca sua: Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. Nos sumus illi, quos præmonet Apostolus: *Fratres sobrii estote, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit querens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Nos sumus illi, quos in huius vitæ transitu, ad alteram illam, quam speramus, fortunatiorem strictissimè examinabunt: Vnde venis? Quò vadis? cuius sunt quæ sequeris? Vnde venis? Ex gratia Dei, vel damnabili peccati statu? quo vadis? In coelum an in infernum! cuius sunt opera, quæ sequeris? quæ ante te in vitam æternam præmittis! An Dei vel Diaboli? Væ tibi, si Diabolus in te partem inueniat: Tunc enim præcipue tempus erit, cum Regio vate, Diuinam Clementiam impetrandi: *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat Inimicus meus, præualui aduersus eum.* Et iterum: *Erue ad framaea Deus Animam meam, & de manu canis unicum meam: Salua me ex ore Leonis, & à cornibus unicornium unicum meam.*

1. Petri. 1.

Gen. 26.

Psalm. 12.
Psalm. 21.2. Malignorum
spirituum ter-
ror in hora mor-
tis.Orat. de exitu
Animæ & sta-
tu alterius vite.Scrius Tom. 2.
in vita.

Aio igitur & adstruo cum S. Cyrillo: O qualem timorem, & tremorem existimas Animam habere in die illa, videntem terribiles, crudeles, immites, & immisericordes Demones, tanquam Æthiopes caliginantes, astantes? ita ut ipsæ animæ, vel aspectus solus grauior sit, omnipœna, quos anima cernens turbatur, tremat ac dolet, horrescit, angustiat, refugit, Taceo grauisima tentationum eertamina, quibus tunc maxime contra animam insurgent, quas nisi Diuina gratia & ope cœlestium ciuium, subnixi, vincere omnino non possemus, adeo seniet hostis, horrendè. Ista Cyrillus: Haud mitiora S. Anselmus inter amicos & Commensales, de hac extrema, cum Dæmonibus lucta & sentire, & loqui solebat. Anima cum de corpore exit, mox inimici eius, maligni spiritus, qui eam in corpore degentem, per anfractus vitiorum, sicut canes leporem persecuti sunt, crudeliter adsunt, parati eam quasi prædani rapere, & in mortem precipitare. Quamobrem ve-
rustissi-

rustissimus Doctor Origenes, considerans vltimi huius certaminis periculum, tremens & exhorrescens, inter alia sic facit: *Mibi, si concederet Deus, ut proprio sanguine diluerer morte pro Christo suscepta, securus hinc ex isto seculo discederem, ut veniens ad animam meam, princeps huius mundi non inueniret quidquam, & sanguinis mei profusione, sopiretur, nec auderet in aliquo criminare animam meam, cruore suo dilutam.* Timuit tantus Christianitatis Doctor, & quidni nos pusillanimes timeamus, nisi te O sacrosancta Virgo cum auxilio tuo, ex parte nostra, fidelissimam Matrem experiamur.

Innitimur equidem Filij cui benignissima & promissio-
ni, per Apostolum Paulum nobis exhibitæ: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione pronentum, ut possit is sustinere.* Certi sumus nihilominus, sicut *Aquila leporem* venatur, & sicut *Milvus Gallinam, canis aprum, vel ceruum*; sic in extremo agone, *Diabolus* inhiat perniciæ Animarum. Dux hostilis exercitus, in arctissimis viarum anfractibus, per quos hostibus transeundum, insidias ponit, ne forsan elabantur, ut illis amplius non præualeat, ad inferendum nocumentum: Ita Diabolus, in angustissimo vltimi agonis exitu, & veluti angiportu, obseruat Christianorum fidelium animas, quem si hac vice incolumes euaserint, se illis amplius minimè nociturum, prænouit. In duorum Regum, qui bella inter se mutuo gerunt, confinibus, exploratores ut plurimum constituuntur, qui Viatorum sarcinias, & literas perferuntantur, & cuius nam sint partis, explorant: Ita in confinijis huius & alterius vitæ, in quibus omnis *Tenebrarum Principis potestas* expirat, ex parte Dei, adsunt sancti Angeli, ex parte Luciferi eius Dæmones, qui ab hac vita migrantes, utrinque examinant, & in eorum statum, an sint hostes vel Amici, diligentissimè inquirunt, & depreheatos, iuxta vnicuiusq; statum excipiunt, & tractant.

Homil. 7. in
lib. Indic.

III. Hostiles
Diaboli multis
comparationi-
bus declaratur.
1. Cor. 10.

I.
Similia.

2.

3.

4. Contra viatores insurgūt Latrones, vbi maximè abstrusa est via, & itinera, ibiq; Thesauris, ac diuitijs illorum, insidiantur, Ita Dæmones tunc maximè fidelibus animabus perniciem machinantur, quando ignotam alterius vitæ viam ordiuntur, vt cœlestis gratiæ Thesauris expolientur,

Hom. 11. in
Euangelia.

In presenti enim vita quasi in via sumus, quia ad patriam pergimus: maligni enim Spiritus, iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident, Depradari ergo desiderat, qui Thesaurum publicè in via portat: Et sicut in prælio tunc maximè hostes urgemus, cum nobis desiderant effugere, ac profusus elabi: Ita Dæmones continuò contra pios belligerantes, cū milita sit vita hominis super terram, tunc maximè nos premunt, cum nos ex hac vita eripiendos esse, persentiscunt:

Job. 5.

5. *Va terra & mari, quia descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Sicut deniq; procax mulier, virum maledictis in eam coniectis, cedere animaduertens, tanto acrius in eum insurgit: Sic & Diabolus vbi effæminatam resistantiam inuenit, Leone ferocior euadit; vbi ei fortiter resistitur in fide, Lepore timidior, deficit.

Apoc. 12.

Seneca Suspi-
tius vita S.
Martini.

Exemplo sit S. Martinus, qui in agone suo Dæmonem præsentem conspiciens, *Quid adstas, inquit, cruenta bestia? nihil in me funestè reperies;* Et Diabolus illicò enauit, abominabili factore, post se relicto, Sic S. Odilo Cluniacensis Abbas, cū cum agonizantem Diabolus, truculentissima specie, horrendissimè vexaret, ei primū fortissimè restitit; deinde machinationes eius, maiorem in modum contempsit: atq; ita confusus Diabolus recessit.

In vita S. Odil-
onis.

17. Consilium
de assumenda
Beatissima Vir-
gine in partem
nostram.

Quid porrò consilij, vt nos quoq; atrocissimum istum hostem viriliter superemus! Adfiscamus in partem nostram, *ò Deoti Virginis cultores, & assumamus in factionem nostram, istam Serpentum Infernalium Calcatricè, atq; Triumphatricem, & benè nobis erit cum illa, vt nullam in nobis partem inueniat, hostis ille iuratus: Sic enim Carolum*

Succie

Sueciæ Ducem, S. Brigittæ filium, coram diuino tribunali à Dæmonibus grauissimè accusatum, nō solū defendit, sed & animam eius, è corpore egredientem, à Dæmonū violentia, saluam & illæsam, custodiuit, & sub tutela sua ad cœlestem gloriam euexit. Sic adolescens quidam nobilis, de quo Franciscus Benzius, & Ioannes Bonifacius, & alij, raptus in mentis excessu, cum ad se rediisset, inter alia & hoc fassus est: *Salus mea fuit in angusto, & benignitas B. Mariæ Virginis, & aliorum tutelarium meorum in tempore mihi succurrit. A Dæmone sum ductus ad Iudicem: Magna vis, cum solus essem, circumstetit accusatorum. Turba varia crimina obiecerunt mihi, iam iamq; Exactor supplicij me pertraherebat in gebennam. Et cum abesset propè nihil, quin essem miserrimus, assistit Misericordie Mater, ad illos conuersa: Quod vos istum abripitis? aut quid vobis cura illo? qui tot annos mihi in sodalitate meo seruiuit? abactis itaque malignis hostibus, de salute sua certificatus, paulò post cum gaudio, ex hac vita emigravit.*

Quid restat igitur, ô Anima Christiana, si in agone tuo, à Dæmonum oppugnationibus eripi cupis, & liberari? Nihil aliud quàm vt vltimam illam lucam tuam, huic *Potentissima Regina, ac Heroïna*, frequenter atque feruenter commendes, qua tecum stante, inimicus contra te nunquam præualebit. Ora igitur, & obsecra eam cum S. Ephræm: *Adsis mihi semper Virgo, Misericors, clemens, & benigna, in præsentem quidem vitam feruens protectrix, & auxiliatrix, hostiles impetus repellens, & me deducens ad salutem. At in supremo vita momento, miseram meam Animam, conseruans, & tenebrosos malorum Dæmonum aspectus, ab ea procul abigens. In terribili autem die iudicij, ab æterna damnatione me liberans, postremo inaccessæ Filij tui, Dei nostri, gloriæ me hæredem efficiens. Quam per intercessionem fauoremq; tuum, Domina mea sanctissima Dei Mater, te etiam atq; etiam oro, assequi valeam, gratia & miseratione Vnigeniti Filij tui Domini nostri IESU CHRISTI, Amen.*

Ex venat: S. Brigitta Ioan: de Turra: mata.

Ioan: Ofor. Tom: 4. Concionum.

Benzius in Annalibus societatis.

Ioan: Bon: hist. Virginali lib. 4. cap. 8.

Orat. de laudib. SS. Dei Matris.

S E R M O V.

Sacratissimum Gloriosissimæ Virginis Corpus, in sepulchro, nec decuit nec potuit in cineres resolui.

Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Psalm. 115.



QVImmaculatissimam Deiparæ Virginis Conceptionem, integro corde credit, & lingua, Virginis laudibus deuota, ritè proficitur, nullo planè negotio, facillimè sibi persuadebit, Sacratissimam eius carnem, Diuinissimæ Animæ coniunctam, ab illo Mortis opprobrio, quod ob Adami Peccatum incurrimus, speciali Dei prærogatiua exemptam, ac præseruatam fuisse. Dicente Domino ad Adam: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Mortem equidem, vt Filio suo assimilaretur, & ipsa oppetiuit; sed sicut Caro Filij, ex eius carne desumpta, corruptionem non sensit, Ita nec Matris Caro, eidem noxæ, potuit subiacere: Id, quod dum præsentis sermone, ô Virgo Mater, ad laudem & gloriam tuam, probatum damus, nostri apud Filium memor esto, te suppliciter obsecramus.

Gen. 1.

I. Corporis Virginalis immunitas à corruptione.

Serm. de Assumpt. Deiparæ.

I. Incorrumpibilitas ista decebat Matrem Dei.

Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, de qua Dominus Deus ad Adamum in Paradiso: Puluis es, & in puluerem reuerteris, in quæ verba, S. Augustinus: Putredo est vermis humanæ opprobrium conditionis; At tu Beatissima Dei Genitrix, ab hac infamia, planè fuisti exempta; Nam Finis principio suo, meritò congruit & correspondet: Singulari tu, ô singularis Virgo, sortita es introitum, in hunc mundum, vt pote Mater Dei, concepta quidem lege propagationis naturalis, sed sine omni prorsus originalis labe, sanctificata.

ficata & gratia repleta, in utero priusquam nata; Fomes quoque vel in te penitus extinctus, vel ita sopitus, extitit, ut Caro aduersus Spiritum, nunquam rebellare posset: Ergo & singularis exitus ac finis decebat corpus tuum, Vt sic incorruptum, Spiritui, perenni beatitate fruituro, vniretur, à quo nunquam vel vnico momento, dissensit: Idque eo sic credibilius, cum incineratio sit pœna, pro peccato primi Parentis inflicta, à quo tu omninò fuisti præseruata. Hinc S. Damascenus: *Eua serpenti aurem exhibuit, pestiferum, virus hausit, voluptatibus illicitis, partus deloribus subijcitur, & cum Adam condemnatur. Hanc autem verè beatam, quæ verbo DEI aurem inclinauit, quam Spiritus sanctus repleuit, quæ paternam misericordiam, in utero baiulauit, quæ sine virili contactu concepit, quæ sine dolore peperit, quomodo mors absorbet? quomodo corruptio audet aliquid in corpus, quod ipsam vitam portauit? Non dabit igitur Filius tuus sanctum suum videre corruptionem.*

Serm. de Assumpt. Deipara

Et ipsa singularis conuersatio tua, carnis incorruptionem promerebatur: Qui singulari modo, Domino potentissimo ministravit, singulari modo ab eodem Domino honorari promeretur: ait enim, *Vole Pater vt ubi ego sum, illic sit & minister meus.* Sancti alij. Christo ministrarunt *Fide, spe & Charitate*, & ante generalem resurrectionem, secundum animam sunt cum Christo; Quidni tu O Beatissima Mater præter spiritualia seruitia, alio speciali modo, ei sanguinem tuum in utero subministraisti, quæ cum nouem mensibus sub corde tuo gestasti, singulari etiam, quoad corpus, prærogatiua honorari debebas, vt vbi erat Filius corporaliter, præsens tu etiam cum corpore & anima, inuenireris, vnde sacratissima Caro tua, à putredine haud dubiè fuit præseruata, attestante Regio vate: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem: Quod si eodem Propheta affirmante: pretiosa in conspectu Domini*

II. Conuersatio Virginis Incorruptibilitatem Corporis promerebatur.

Psal. 15.
Psal. 114.

mors Sanctorum eius; annon & Matris, mors pretiosa si non solū de benedicta eius Anima, sed et si de immaculato eius Corpore, loquāmur? *Non dabis, O Domine IESV, Sanctam tuum videre corruptionem.*

XXI. Identitas
Carnis Virginalis
cum Carne
Christi corrup-
tionem non ad-
mittebat.

Psalm. 15.

Serm. de Af-
sumpt. Virg.

Ipsa denique Materna dignitas hanc In corruptionem importasse videtur: Quæ enim in natura conueniunt, incorruptionis conditione, non separantur, quia corruptio & incorruptio, sequuntur Principia naturæ: sed corpus Christi non vidit corruptionem, & est eiusdem naturæ, cum corpore Matris, de quo & formatum: Ergo sicut illud ita & istud, incorruptibile decuit seruari: Detraheret enim Maternæ dignitati, ut *Thronus DEI, Thalamus Spiritus sancti, Tabernaculum altissimi*, quod sine corruptione genuit saluatorem, Esca detur vermibus, & in putredinem resoluatur, Vnde S. Augustinus; *Opprobrium putredinis & Vermis Christi caro euasit, quæ corruptionem non sensit; Ab hoc ergo opprobrio, cum Christus sit alienus, natura MARIÆ excipitur, quam IESVS de ea assumpsisse probatur. Caro enim IESV, Caro est MARIÆ, quam super astra transfuexit honorans omnem humanam naturam, & multo magis Maternam. Si natura Matris est Filius, consequens est, ut sit & Filij natura Mater, non quantum ad vnitatem Persona, sed quantum ad vnitatem corporalis natura. Quantum igitur credo, quantum intelligo, MARIÆ Anima, excellentiori quadam prerogatiua honoratur à Filio, possidens in Christo corpus suum, quod genuit glorificatum. Thronum Dei, Thalamum Domini, Tabernaculum Christi signum est ibi esse, vbi ipse est, tam preciosum thesaurum dignius est celo, quam terra asseruare, tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis, illa resolutio, sequitur. Si voluit Dominus integram Matrem Virginitatis seruare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fetore? Illud ergo sacratissimum corpus, in escam vermibus datum esse, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. Idem asserit S. Ioannes Damascenus:*

Sacrum

Sacrum corpus tuum, venerabili in sepulchro ponitur, sed non est re-
 licta Animatua in Inferno nec Caro tua vidit corruptionem: De-
 cet autem DEI sacrarium, fontem indeficientem, agrum in aratum,
 vineam non irrigatam, oliuam fructiferam, terra gremio non ser-
 uari, decuit Matrem ad Filium sublimari, vt ad ipsum ascenderet,
 sicut ad ipsam descendit, atque vt qua in partu seruauit, Virginita-
 tem post mortem corporis non videret corruptionem, & qua Crea-
 torem portauit in sinu, in diuinis tabernaculis commoretur, & quã
 Pater desponsauit in sponsam, in celestibus thalamis, conseruetur,
 & à Matre, qui sunt Filij, possideantur. Et ita sanè res habet:
 Non dabis hoc Sanctum corpus Matris videre corruptionem.

Serm. de Domi-
 nitius Dispa-
 ra.

Conueniebat, Virginis corpus liberum esse ab in-
 cineratione, ex parte DEI assumentis: Nam si primo Ju-
 sticiam DEI contempleris, perfectiori merito, perfectius
 præmium debetur, sed meritum Christi, quantum ad li-
 berationem hominis, est perfectissimum, tam quoad
 Animam, quam quoad corpus, à morte redimendum,
 perfectius autem est, meritum, quo meretur Anima à
 peccato præseruari, quam lapsum in peccata, denuò à
 sordibus emundari; Sic corpus nondum resolutum in
 Cineres, viuificare, quam post putrefactionem, è terræ
 pulueribus resuscitare. Huius itaque perfectioris meri-
 ti, præmium, Christus, in aliqua persona, haud dubiè est
 assecutus, sed in nulla decentius, quam in Matre: Ergò
 sicut in eius conceptione, eam præseruauit; ab originali
 peccato, ita in morte, à corruptione & vermibus, præ-
 munuit.

II. Conuenien-
 tia huius Incor-
 ruptionis.
 Ex parte DEI
 Filij promeren-
 tia.

Conueniebat item ex parte sapientiæ Diuinæ: Nam
 sapientiæ Diuinæ est, attingere à fine vsque ad finem fortiter, &
 disponere omnia suauiter. Fortiter attigit vsque ad finem,
 supremi Angelorum Chori, dum Principem Luciferum
 superbientem, cum Societate sua, in imum Barathri de-
 curbauit; Decuit itaque, vt alium finem huic oppositum

II. Ex parte sa-
 pientiæ diuinæ.
 Sap. 8.

attingeret, disponendo suauiter, illam, per quam Angelorum ruina, est instaurata, quæ nullam admisit tentationem, vitam omni Angelorum puritate, in terris eminentiorem, duxit, exaltando *super omnes Choros Angelorum*, in anima pariter & corpore, glorificaret. Nam si sapiens Architectus, domum suam, intus & foris ornat, quidni incorruptibilitatis munere DEI filius Matrem suam condecorasset? *Non dabis igitur, O Domine IESV, Sanctum tuum videre corruptionem.*

III. Ex bonitate

Iacobi. 1.

Exod. 20.

Sap. 8.

Ioann. 19.

Serm: de abitu
Virg.

III. Incorruptio
ex parte nostra.

Conueniebat ex bonitate DEI: Adeum spectat, cui liber benefacere, secundum eius capacitatem: *Qui dat omnibus affluentem, nec improperat.* Hoc maximè, ad bonitatem Filij spectat erga tuam Matrem, secundum Præceptum: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longeuus super terram:* Hinc eius honori consulens, ne putaretur adultera, maluit ipse haberi fabri Filius. Hinc in partu voluit illam sine corruptione, sine dolore parere, cum tamen ipse vellet, similiter alijs infantibus fieri: *Primam vocem, similem omnibus, emisplorans.* Demum in cruce, quasi sui doloris oblitus, Matrem discipulo commendauit, priusquam clamaret ipse ad Patrem: *Quanto magis eam, dilexerit, iam gloriosus in cælis regnans?* Hinc S. Augustinus *Nunquid non pertinet ad benignitatem Domini, Matris seruare integritatem, qui legem soluere non uenerat, sed adimplere? qui enim in vita præ cæteris illam gratia conceptus honorauit, piuum est credere, eam in morte præ cunctis, etiam speciali gratia honorasse: Non itaque, O Domine IESV, dedisti Sanctum tuum videre corruptionem.*

Conueniebat incorruptio ex parte nostra: Nam sanctorum reliquias egregiè honorauit, miraculis in terris. Ergo nemo cogitet, relicturum suæ matris sanctissimæ ossa absque gloria, nisi iam cum Anima & Corpore, glorificata, regnaret in cælis. Plurimorum sanctorum

Reli-

Reliquias, legimus diuinitus reuelatas, vt S. Stephani, S. Geruasij & Prothasij, & aliorum: quidni si Matris corpus, adhuc in terris esset, illud manifestasset? Decuit id fieri ad corroborationem fidei Resurrectionis: Nam legitur *multa corpora Sanctorum*, surrexisse, & cum Christo intrasse, in Sanctam Ciuitatem: Si sanctos suscitauit in corporibus, cur non & Matrem potuisset suscitare? Constituenda denique erat *Mediatrix Dei & hominum*. Ergo conueniebat, vt illa sublimaretur in cælis, cum corpore pariter & Anima, & intercedendo pro peccatoribus, filio dicere posset: *Ecce beatus venter qui te portauit, & vbera quæ susxisti*: Nam S. Thomas inter alias causas, retentionis Vulnerum Christi in cælo, illam ponit, vt pro nobis patri supplicans, quale genus mortis, pro homine pertulisset, Patri semper ostenderet. Hinc S. Bernardus: *Aduocatam premisit peregrinatione nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater Misericordie, suppliciter & efficaciter, nostra negotia pertractat*. Modum porro, quo hominibus patrocinetur, alibi declarat: *Securum habes accessum, O homo ad Deum, vbi Mater est ante Filium & Filius ante Patrem: Mater ostendit Filio pectus & vbera, Filius ostendit Patri latus, & Vulnera, nulla ergo potest esse repulsa, vbi tot occurrunt Charitatis insignia*. Quis igitur credat, O Domine I E S V, te sacratissimum Beatissimæ Matris tuæ corpus, corruptioni permittere voluisse? *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*.

Confirmat hæc omnia S. Augustinus. *Si elegit Diuina voluntas inter igneas flammæ puerorum vestes seruare illesas, cur abnuat in matre propria, quod in veste elegerat aliena? Ionam seruare, in ventre Ceti, incorruptum voluit, Sola Misericordia, MARIAM incorruptam, gratia non seruabit? Seruatus est Daniel in intemperatissima fame leonum, non seruanda est MARIAM, tantis dotata meritis dignitatum? Constat ergo, censeo, MARIAM ad æternitatis gaudia, assumptam, benig-*

S. Augustinus
lib. 22. de Ciuitate DEI.

3
Math. 27.

4.

Luc. 12.

In 3. p. 9. 54. &

2.
Serm. 1. de Assumpt.

V. A. Miraculis
diuinis Serm.
de obitu Virginiæ.

1.

2.

3.

gnitate Christi, & honorabilius susceptam, ceteris, quam gratia præ ceteris honorauit, & ad communitatem non esse perductam, post mortem, putredinis scilicet & Vermis, & pulueris, quæ omnium genuit Saluatorem. Vtique Domine IESU, non dedisti hoc sanctum tuum videre corruptionem.

V. S. *Cacilie*
Corpus Romæ
Inuentum In-
corruptum.

Item S. *Francisci*
Xauerij
aliorum.

Res mira, & nostra quidem memoria Romæ accidit, vbi S. *Cacilie Virginis* & Martyris corpus, post mille & trecentos prope modum annos, ab obito Martyrio, plane integrum recenti curore & sanguine, illæsum, è terra erutum, & omnibus exhibitum fuit. Corpus Sanctissimi Indorum Apostoli, *Francisci Xauerij*, in viua calce, multis annis, ab omni carniū exesione, mansit immune Corpus *Martini de Valentia*, Franciscani, Mexicanorum Indorum Apostoli, plusquam triginta annis in terra tumulatum, ab omni corruptione, exemptum, qui viderunt omnes censuerunt. Priuilegium igitur, quod tot seruis suis, DEI Filius vltro concessisset, an Matri suæ benedictæ, inuidisset? an abnuisset? Minime conueniebat, O Domine IESU, vt dare *Sanctum tuum videre corruptionem*.

VII. Duplex
petitio nostra ad
Virginem.

O Beatissima DEI Genitrix, vt firmiter credimus, te in morte specialiter à Filio tuo honoratam, ne mortis dolores experireris, ne Dæmones in festos patereris, ne in cinerem redigereris: Ita scimus, nobis hæc omnia, ob peccata nostra grauissima, deberi; Sed petimus interuentu tuo, *Patientiam*, vt dolores Mortis fortiter vincamus; *subsidiū* obsecramus, ne Dæmonis tentationibus prosternamur: *Spei corroboracionem*, à te flagitamus, vt pro carnis nostræ resuscitatione gloriosa, strenuè in virtutibus laboremus: Inprimis autem obtestamur, vt contra Sathanam, nos infestantem, præcipuè in hora mortis, nobis efficaciter assistas. In hac ergo fiducia, vt vos confirmem, deuoti Virginis Clientes, præclaram historiam accipite: Theobaldus, Scriptor vitæ S. *Wilhelmi*,

Cap. 19. & 20.

Aqui-

Aquitariæ Ducis, conuersi à S. Bernardo refert, cum Dæ-
mones quadam nocte, S. Guilielmum, in eremo, DEO
seruientem, primò blanditijs, ab illo vitæ rigore vellente
abducere, ac sanctus heros, DE I gratia fretus, illos irri-
deret, irruentes in eum Dæmones, horrendis plagis eum
conuulnerarunt. Ipse verò Patrocinium Diuæ Virgi-
nis apud Filium cum fiducia implorauit, quæ illicò cum
duabus Virginibus pulcherrimis apparuit, & dispulsi
Dæmonum spectris, Christi militem blandissimè conso-
lata est: At virgines ignem circa fauciatum, extruebant,
& corpus dulciter calefactum, beneolenti vnguento,
perfricabant. Quo ille in momento sanus est effectus.
Beatissima deinde Virgo, eum ad constantiam hortata,
disparuit. Et S. Guilielmus in eius deuotione, vsque ad
finem, vitæ, immobiliter permansit. Perseuerate & vos
in eius cultu vsque ad finem vitæ, & certo certius ad vos
veniet. ~~San~~ Dæmones dispellet, & si qua peccati Vulnera
vobis inflixere, oleo gratiæ diuinæ, Filij sui benedicti,
perfanabit, & in bono perseuerantes, ad æterna gaudia
promouebit. Amen.

*Sup. in eius vita
Tom. 1. 10.
Febr.*

SERMO VI.

Sepultura Beatissimæ Virginis, Miraculis &
prodigijs Clara,

Et erit sepulcrum eius gloriosum. Esaia 11.



Ista sunt hæc Isaia verba primario; de Sepul-
chro Saluatoris nostri, quod in hodiernum
vsque diem, per totum mundum honoratur,
etiam ab infidelibus, Turcis, nemo est qui am-
bigat

bigat, ac in dubium vocet: Quin autem ad sepulchrum quoque Dei Matris reflecti possint, nec apud me est dubium vllum: Cum enim ipsa *viuum Christi* extiterit *sepulchrum*, in quo corporaliter nouem mensibus requieuit, non sicut in illo altero inanimato, tribus duntaxat diebus, quanta gloria condecebit, hoc ipsum Sepulchrum, id est virginis corpus immaculatum? *Erit sepulchrum eius gloriosum.*

1. Triplex sepulchrum
vtra virginis.

Tribus præcipuè insignioribus prerogatiuis, audio Beatissimam Virginem, tanquam viuum sepulchrum, à Filio honoratum, cum terræ mandanda esset.

Lib. 7. Hist.
Eccl. cap. 22.
1. Miracula.

Vti Nicephorus commemorat, cum Sacratissima Virgo defuncta, & ab Apostolis decentissimè in feretro deposita esset, innumerabilem hominum multitudinè, vndique confluisse, & quibuscunque morbis essent affecti, solo tactu aut aspectu eius, illico sanitatem accepisse: Volebat eam Deus tunc præcipuè, vt quoq; per totum mundum vbique miraculis honorare, quæ tota vita, ex summa humilitate, vt etiam S. Ioannes Baptista, nullum miraculum designarat, hoc enim videtur prædixisse: *Qui respexit humilitatem ancilla sua, ecce enim ex hoc nunc beatam me dicent omnes generationes: Ob hæc igitur Miracula, Sepultura eius erat gloriosa.*

2. Indecorum
peruicacia insi-
gni Miraculo
repressa.

Deinde cum Apostoli in humeris sublatam, in processione solennissima, Christianorum, eam per Ciuitatem deferrent, cum facibus & luminibus, cum hymnis & canticis, Deum in Matre sua laudantes, Iudæos armata manu concurrisse, vt processionem disturarent, vnum autem audaciorem cæteris, ex ordine Sacerdotali, cum alij manus iniicere pertimescerent, Maiestate spectaculi perterriti, accurrisse, vt Andreas Cretenensis inter alios refert, qui sacrum Virgineum corpus è feretro deturbare, tentarit sed grauissimè illicò punitum, brachijs feretro adhæ-

Orat. de Assump-
tione B. Virg.
Damasc. orat.
de dorm. & Assump-
tione. Deipara
Canisim lib. 5.
cap. 3.

adhærentibus, ac cum miraculo, obstupefactus, pœnituiisset veniamque vberrimis lachrymis petiisset, stante processione illa solenni, & Iudæo, magna cum reuerentia, feretro ad moto, prodigio celebri, manus vtraque pristino vigori ac sanitati restituta, viscebantur: Ex hoc igitur capite, Virginis *Sepultura*, non parum *euasit gloriosa*.

Auditus insuper ab Apostolis non solum, sed & ab omnibus Christianis præsentibus, Angelicus concentus in aëre, supra corpus Virginis, qui laudabant Christum, Dominum, in Matre sua; & hæc cælestis harmonia, pluribus supra sepulchrum diebus, continuauit, quidni ex hac quoque parte, sepulchrum eius, immensa gloria resplendisset? Ad primum quod attinet, quod Apostoli honorato funere, extulerint Beatissimam Virginem, vt S. Dionysius refert, eamque summa & pro facultatibus Christianorum primorum possibili celebritate, sepelierint, id quidem conueniebat, & tanta Mundi Domina, haud indignum erat. Laudatur S. *Patriarcha Abraham*, quia magnifice sepeliuit vxorem suam Saram: Curam sepulchri sui gesserunt *Iacob*, & *Ioseph* Filius eius, qui mortui in Ægypto, transferri tamen ossa sua, & in sepulchro patrum suorum, in terra Chanaam, sepeliri flagitarunt. Misit *Dauid* peculiariter, qui gratias agerent, viris *Iabes*, *Galaad*, qui corpora *Saul* & *Filiorum* eius, sepulturæ honoribus condecorassent. *Benedicli vos à Domino*, inquit, qui fecistis misericordiam cum Domino vestro *Saul*, & sepelivistis eum. Et nunc retribuet quidem Dominus vobis misericordiam & veritatem; sed ego reddam gratiam, eò quod fecistis verbum istud. *Tobie senioris* hac in parte pietatem plurimum laudat Angelus *Raphael*: Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas, per diem in Domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Commendatur pietas *Iudæ Machabæi*,

3. Concentus
Angelorum
Nicoph. loco citato.

II. Funeralis celebritas sepulture Beatissimæ Virginis.
Lib. 3. de Divinis nominibus

Genes. 23. 3

Genes. 50. 2

1. Reg. 2.

4
Tob. 12.

5.

quod interfectos in prælio, honestè iusserit sepeliri, precelque & sacrificia pro eis offerri: *pie & religiose de resurrectione cogitans*; Annon idem etiam de *Beati Ioannis* in carcere decollati discipulis legitur? Annon idem de *Nicodemo & Iosepho* ab Arimathia, Christo Domino è cruce deposito, iusta sepulchralia persoluentibus memoratur? Nee vos O sancti Apostoli, & Apostolici viri, Virginis honori perperam consulistis, cum tot solennitatibus, & cæremonijs, sacrum eius corpus sepulturæ mandastis, ut esset *Sepulchrum eius gloriosum*.

6
2. Mach. 2.

7
Matth. 11.

III. Ritus honorifice sepeliendi Christianos.

1. Cornelius Centurio. Sins. Metaphr. in eius vita.

13. Sept. 2. Macrina & Casarius.

In Epist. ad Olympiam. Orat. 7.

Hom. 4. in Epist. ad Hebraeos.

Epist. 22. cap. 23. ad Eustachium.

Profluxit inde haud dubiè ritus, Christianos honorifice sepeliendi, continuò enim Cornelius Centurio, quem S. Petrus conuertit, in ciuitate Scopsi, quam totam à gentilitatis errore liberauit, moriens, congregatis omnibus Christianis, cum Eunomio Presbytero, cum accensis cæreis, ac vario Hymnorum cantu, sepelitur. Hinc Gregorius Nyssenus, de morte Sororis suæ Macrinæ, de Sacerdotum cum psalmis & canticis, ad eius sepulchrum processu multa recenset. Nec dissimilia, de fratris sui Cæsarij, sepultura, scribit Gregorius Nazianzenus: *Cum pompa*, inquit, *elatus est, sacris parentum manibus, honoratus, cum mater luminaris prelatione, calamitatis pietatem, opponeret*. Vocat Sacras Parentum manus, Sacerdotale officium, quod tam ipse Gregorius Sacerdos, quàm Pater ipsius, tunc Episcopus, in funere exquebantur. De hac ipsa cæremonia sepeliendi mortuos, S. Ioannes Chrysostomus: *Dic mihi, quid sibi volunt in funere lampades, ista festiua? Quid etiam hymni? nonne ut Deum glorificemus? pro qua re dic, Presbyteros vocas? & quidem psallentes? nonne ut consolationem recipias? nonne ut honores defunctum?*

De sepultura S. Paulæ, Matronæ Sanctissimæ, S. Hieronymus sic scribit: *Paula translata Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subyicientibus, cum alij Pontifices lampades, careosq;*

careosq; preferrent, alij choros psallentium ducerent, in medio Ecclesie spelunca Saluatoris, esse posita. *Tota ad eius funus, Palestinarum Urbium multitudo, conuenit.* Eadem fere in sepultura. *Sim. Metaphr.*
 S. Danielis Scylicæ, quem Zeno Imperator sui Imperij miraculum dicebat, recenset Simeon Metaphrastes: *Stabant ex utraque parte, inquit, clerici, qui faces ferrent, & ea canerent, quæ cani solent, in decessu.*

Quod si adeo honorare solebant maiores nostri, defunctos suos, merito Beatissima Dei Genitrix, S. Apostoli te tanta pompa per urbem Hierosolymam, cum facibus & hymnis extulerunt, merito Iudæus, qui hanc processionem disturbare volebat, horrendas sceleris pœnas, brachijs foretro adherentibus, persoluit. Tu tamen, O verè pia Mater, in die tanti honoris tui, nolebas vlli homini causa interitus esse; sed eum pœnitentem illico sanato brachio, in gratiam recepisti; Audite obsecro, quid de hoc miraculo, verbis suis referant S. Ioannes Damascenus, & Simeon Metaphrastes, ne nos aliquid addidisse videamur: *Orat. de dormis*
Deipara.
 Aderant autem, inquit S. Ioannes Damascenus, fortè ex Iudæis nonnulli, opera pretium enim est, tanquam obsonio condimentum, id quod multorum labijs profertur admiscere narrationi. *Atunt, cum fuissent in descensu montis hi, qui tollebant beatum corpus Dei matris, Hebraum quendam, seruum peccati, & qui factus iniuerat eum errore, imitantem seruum, Caipha, qui Dominico, & Diuino Christi Dei vultui, impegit colaphum, cum effectus esset instrumentum Diaboli, audaci & inconsiderato impetu, & infelici impressione irruisse in Diuinissimum illud tabernaculum; ad quod timentes accedunt Angeli, & cum ambabus manibus, furiosè grabatum apprehendisset, id in humum deiicere voluisse, inuidia illius, qui est auctor malorum. Et hoc quidem fuit eius facinus, sed laborem præuenit fructus, & amarum collegit vnam, & dignam sui animi instituto. Atunt enim ei defecisse manus, & licebat videre eum, qui sua manu audax, & nefarius*

rium fecerat facinus, repente carere manibus, donec mentē conuertit, ad fidem, & pœnitentiā. Cum primum enim constitisset hi, qui grabatum portabant, & mutilata brachia, imposuisset infelix, tabernaculo, quod vita dedit principium, & peperit admirabiliter, ex manco manibus sanus & saluus euasit. Solent enim magna ex parte calamitates quoque sapientia, & salutaria parere consilia. Addit Simeon Metaphrastes: Accidit, inquit, huic pulchra & diuine rei, graue quidem quid, & odiosum; non tamen silentio, sed memoria mandandum, ad gloriam quidem & laudem piorum, dedecus autem improborum, qui infidelitatis malum semper sectantur. Cum hoc sacrum & impollutum corpus, in Getsemane, efferretur, ubi sepulchro tradi Deipara ipsa praeceperat: Iudæis, qui semper fuerunt repleti inuidia, nec in hoc, quidem succurrit tacere, sed ad eius, quod fiebat splendorem, claudere oculos, & ad, eis innatum motum animi, irrupere. Qui erat ergo alijs insanior, & impudentior, & is cum venerandum portaretur grabatum, in id irruit, plenus inconsiderato impetu, & furore: eius autem scopus erat, hunc sacrum lectum in terram allidere, & tali afficere iniuria, ut qui esset vir insigni audacia; Non neglexit autem diuina iustitia, sed manus quae grabatum apprehenderant, ex vlnis, protinus, fuerunt abscissa. Verum, quae in partu, gaudio totum orbem terrarum repleuerat, non erat vlli omnino in morte futura causa molestia. Cumq̄, qui passus fuerat esset quidē improbus, ne tamen omnino eius improbitas videretur insanabilis, ex his, quae erat passus, iusta eorum, quae malè senserat, petijt pœnitentiā: & quoniam carebat manibus, nec eas poterat ad preces extendere, emittit lacrimas ex oculis, & sic petit curationem. Disciplinam autem videt, simul & medicationem. Statim enim hi quidem, qui lectum ferebant, conspicerunt: accedit verò is, qui passus fuerat sectionem, & quae amputatae fuerat partibus, vlnis applicatis, (hoc autem iusserat Petrus) statim consecuta est manuum curatio. Ad maiorem tandem affirmationem addit Nicephorus: Ceterum, inquit, in banc tantam letitiam, molestum, & durum quiddam incidit,

Orat. de Statu
obitu Deiparae
Virg.

Lib. 1. hist.
Ezech. cap. 22.

incidit, quod silentio praterendum non sit. Cum enim diuinum illud tabernaculum, ad Gethsemani portaretur, ubi Dei Genitrix sepeliri se mandauerat, Iudæi inuidia tabescentes, cum occultare non possent eum, qui in mensibus eorum fouebatur, liuoris affectum, produnt: Inter quos, alijs quidam confidentior, furibundusque magis (erat autem ex Sacerdotum ordine) cum sacrum tabernaculum portaretur, impetu quodam prater rationem, percitus in id inferebatur: Humi prosternere sacram illam Arcam, atque pessundare in animo habens, sed enim vindicta nequaquam moratur; namque ab vlnis manus illius recisa ex feretro, dependent: At que diuina natiuitate sua, letitia, habitabilem orbem repleuerat, ne in obitu quidem cuiquam molestia, aut erumna alicuius causa, futura erat. Porro is, cui hoc contigerat, cum malus quidem, sed tamen non prorsus desperatus & incurabilis esset, penitentia ritè prætendit remedium: & quoniam manus, quas non habebat, prætendere nequit, lacrymas profert, & simul cum ea resipiscentia disciplina, cura quoque adest. Feretrum enim consistit, & manus ad resectionem vnde deciderant, accommodatæ. (Petri id iussu factum)

confestim pristinum statum suum recuperant. Merito igitur O Virgo Deipara SS. Apostolos decebat, funus tuum, tanta solennitate condecorare: Nam si S. Martino Turo-nensi hoc beneficium contulit, vt in Spiritu raptus, S. Ambrosius, dum Missæ sacrificium Mediolani perageret, vt ad horas aliquod, eius funeri adesset: si per S. Antonium S. Pauli primi Eremitæ funus ei placuit honorare: Si ad S. Ambrosium Angeli monitu, euocauit S. Honoratū Episcopū, Vercellensem: multo magis decebat, vt Filius tuus per S. Apostolos & alios primitiua Ec-clesiæ Patriarchas, funus tuum tanto splendore exorna-ret: Quin etiam multo decentius conueniebat, vt sacrum funus tuum, non ab Apostolis solum, sed & ab Angelis sanctis, hymnis cælestibus, exciperetur: Nam si idem factum legimus, alijs sanctis, Filij cui ministris, cur non-

IV. Apostoli
sepulturam vir-
ginis merito se
honorarunt:
aliorum sancto-
rum Exemplis.
Seuerus Sulpi-
tius. Et Pauli-
nus Presbyt.
S. Hieron. in
vita S. Anton.
Paulinus in vi-
ta S. Ambrosi.

2. Merito etiam
ab Angelis
honoratur.


Lib. 2. Dialo-
gorum.

Lib. 3. Dialo-
gorum.
In vita eius.

Lib. 4. hist. cap.
23.

tibi Matri eius? Moritur, teste S. Gregorio Magno, & Benedictus, & Angelorum hymnodia comitatus deducitur in cælum: Moritur S. Seruulus Paralyticus, & eandem gratiam in transitu suo promeretur. Moritur S. Martinus, attestante Seuero Sulpicio, & hymnis cælestibus, in obitu suo honoratur: Celebratur iisdem Angelicorum Spiritum Encomijs, S. Nicolaus, Myrenensis, moritur, teste Venerabili Beda, & audiuntur Angeli, qui eius Animam, cælestibus laudum præconijs, prosequuntur: Quanto potiori Iure, quod DEI Filius præstitit Seruis, longè cumulatius exhibuerit dilectissimæ Matri, vt eius non solum sepultura, sed & transitus ex hac vita, *feret gloriosus*: Sic igitur *Sepulchrum eius euasit gloriosum*.

Quid hæc ad vos, dilecti Virginis Clientes? Paucis edissero: Sint corda vestra, sepulchra, in quibus Gloriosa Virgo, per iugem memoriam, assiduamque deuotionem, quodammodo sepeliatur; & honorate eam quantum potestis, quia maior est omni honore, cum *laudis eius plena sit terra*: & ipsa suam in vobis promissionem adimplebit: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, Amen.*



S E R M O VII.

Gloriosa resuscitatio Corporis Beatissimæ Dei Genitricis.

Surge Domine in requiem tuam, tunc Arca Sanctificationis tuae.
Psalm- 131.



I quis excelsam Virginis Dei Genitricis Maie-
statem paulo penitius contempletur, & altiori,
prouti decet, indagine timeretur, facili conie-
ctura colliget, & aſlequetur, summos Diuino-
rum

rum Priuilegiorum fauores, quorum humana natura capax esse poterat, eam condecuisse. Hos inter Sacratissimi Corporis eius resuscitatio erat, vt animæ, iam gloriæ dotebus exornatæ, coniunctum ad Filij dextram, in cælestibus collocaretur, Et quod Diuinus Vates prædixerat, ipso effectu comprobaretur: *Surge Domine in requiem tuam, tu es Arca sanctificationis tuæ, quæ est sanctissima Mater tua*: Id qua ratione sic gestum, præfenti sermone percipiemus: *Surge Domine in requiem tuam, tu es Arca Sanctificationis tuæ.*

Gloriosus Rex David, cum Inimicos suos superasset, in circuitu totius Regni pace fruens optata, deambulans quadam die in Regali palatio suo, recordabatur, Arcæ Fæderis, quæ priuatim stabat adhuc, in Domo Obdedom, non quidem tanto in honore, quantus eam docebat. Quamobrem illico instituit celeberrimam pompam, qua transferretur ad Palatium suum, in Monte Sion, & ipse met, tota Regali aula, comitante, obuiam ei processit. Non aliter Christus IESVS, Rex noster, cum victorioso in Cruce, de morte ac Dæmone, de Peccato atq; Inferno triumphasset, ac iam regnans in cælo, & in terra, Regiam suam dignitatem stabiliuisset inquitens: *Data est mihi omnis potestas in calo & in terra, caelestem illam*, Hierusalem, pacificè obtineret, recordatus Arcæ Corporis sacratissimæ Matris suæ, in qua ipse corporaliter habitasset, iam tertio die, clausæ in sepulchro, desiderans eam loco digniori, quem merebatur, collocari, summam, quæ possibilis erat, solennitatem, in Aula illa superna à tota cælestium ciuium communitate, institui curauit, vt quanta fieri posset, maxima solennitate, translatio illa, perageretur.

Atque vt hoc faceret, obnixè rogabant S. Angeli, desiderantes videre gloriam & exaltationem Reginæ suæ,

I. Apparatus
pro resuscitatione
Virginei Corporis. 2. Reg. 2.

1. act. vi.

II. Interpellatores
pro gloriosa
Virgini resuscitatione.

1. Angeli.
2. Patriarcha
& Prophetæ.

3. Anima Vir-
ginis.

4. Corpus ipsum

Cantic. 8.
3. Spiritus eius.

III. Processio
Cælestis aula ad
sepulchrum.

Cant. 2. & 4.

suæ, per quam illorum ruina, iam erant restauratæ: In-
stanter optabant Patriarchæ & Prophetæ, cum omnibus
cælestium ciuium ordinibus, gratitudinis ergò, quod
mediante ipsa, liberati essent à tenebris & vmbra mor-
tis, in quibus tot sæculis detinebantur occlusi, & transla-
ti in lucem inaccessibilem faciei Diuinæ. Hoc ipsum,
etiam vehementer vrgebat, Benedicta anima Deiparæ
Matris, cum conueniens esset, vt innocens eius Corpus,
quod ei ad omnē nutum obediuerat, quod secū tot cru-
ciatus, tot dolores, sustulerat, etiam particeps fieret,
præmij, quod Anima ipsa, gloriæ dotibus exornata,
iam erat assècuta. Hoc etiam flagitabat sacrum corpus
in sepulchro, reclusum, dulcia interim suspiria ad Spon-
sum Filium emittens, *osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*.
Hoc tandem ex postulabat à cælesti Patre, Spiritus ille
Domini benedictus, in eius corde gemitibus inenarrabi-
libus clamitans, vt tanta gratia Matrem Filij sui dignaretur,
solo bonitatis & Charitatis suæ impulsu.

Commoto itaque tam iustis precibus Domino IESU
vt Matrem è sepulchro suscitaret, vidisses in vno mo-
mento, totam cælestem aulam, & Regis gloriæ familiam
commoueri, cælum aperiri, & Angelorum Exercitus
descendere, ac Regem suum Christum Dominum iubi-
lantes, partim præcedere, partim sequi, partim circum-
dare, qui in benedictis brachijs gestabat benedictæ Ma-
tris Animam, vsque ad sepulchrum vbi se iterato corpo-
ri vniret. Cumque Filius dulcissimis verbis corpus in
sepulchro iacens, in clamasset: *Surgis amica mea, Speciosa
mea, & veni, sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis &
facies tua decora: Veni de Libano, veni coronaberis. Iam enim
hyems transijt, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra
nostra, in cælesti Hierusalem, sentimus flores beneuolen-
tissimarum Virtutum, tuarum: Veni ad gaudium indefi-
ciens,*

ciens, quod mille tibi nominibus vt Matri, vt Sponsæ, vt
 Ministræ, vt Reginae debetur. En accipio in manus meas
 corpus tuum, quia in vtero tuo dignissimo, tu excepisti
 Diuinitatem meam. Non gloriabitur super te mors, quia
 vitam genuisti; non obfuscabit te caligo tenebrarum,
 quia *lumen quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc* Ioan. 1.
mundum, genuisti: *Veni vt cælum gaudio repleas, sicut*
 benedicto fructu tuo terram replesti. O quantum gau-
 dium sentiebat haud dubiè, sacrum illud corpus, cum
 se videbat, ad tantam gloriam euocari? *Nunciate dilecto* Cant. 5.
meo, inquebat, haud dubiè astantibus, Angelis, quia amo-
re langueo: Ecce venio vt faciam voluntatem tuam DEVS meus: Psal. 29.
 In illo momento, Anima corpori quatuor dotibus glo-
 riæ affecto, & resplendenti instar Solis, coram Angelis &
 tota cælesti curia, vniebatur: Sis benedictum, O corpus
 Virgineum, inquebat, vti contemplari possumus, sis
 benedictum ô Instrumentum, per quod tantos cælestiũ
 meritorum thesauros, accumulauit: Nunc tempus est
 vt fruamur bonis, quæ nobis ab æterno sunt præparata.
 Quis hic nobis, O benedicta Mater referet? Quis explica-
 bic? quam suauiter te Filius tuus amplexus fuerit? quam
 benigne te susceperit? quanto cum gaudio, te duxerit, &
 in throno gloriæ Regni sui collocarit? O immensa gau-
 dia, ô iudicibilis voluptas, Dei Matris, de te libeat potius
 admirando tacere, quam pauca loquendo Magnitudinẽ
 etiam quodammodo obscurare, *Surrexit Filius tuus in re-*
quiem suam. Et tu Arca sanctificationis eius.

Verũm quid post Virginalis corporis translatio-
 nem contigerit audiamus: Refert inter alios authores
 Iuuenalis Patriarcha, Constantinopolitanus, & ex eo
 Thomas Bozius, tertio à sepultura die, superuenisse S.
 Thomam Apostolum, qui diuino nutu, non aderat præ-
 sens, quando beatissima Virgo, ex hac vita emigrabat.

*II. Absentia S.
 Thomæ dum vir-
 ginem migraret
 In Epist. Ad
 Marcianum
 Imp.
 Lib. 15. de sig-
 nis Eccl.
 cap. 8. Sign. 64.*

Niceph. lib. 2.
cap. 22.

2. Resratio sepulchri ad eius
Infructuam.

3. Sacrum Cor-
pori non amplius
inuenitur in se-
pulchro.

Psal. 15.

III. Testimonia

Patrum de Vir-
ginis Corporis
assumptione

Serm. in Euan-
gel. de Deipara.
Orat. de dorm.
Deipara.

In serm. de Dei-
parā.

Serm. de obdor-
mit. Virg.

Cum que ipse infelicitatem suam, feruentissimis lachry-
mis deploraret, petijt à cæteris Apostolis, qui dies noctes-
que ad sepulchrum vigilantes, in Dei laudibus, cum in-
finita hominum multitudine, excubabant, ille cæti dulce-
dine Angelici cantus, qui in aëre supra sepulchrum per-
sonabat, petijt, inquam, sepulchrum aperiri, vt veram,
Noui Testamenti, Arcam, adhuc semel contemplaretur:
visum est communi consilio, eius iustæ petitioni annue-
re: Ablatis itaque sepulchri sigillis, ac monumento aper-
to, res mira, corpus non amplius inuenitur, sed tantum
fasciæ, quibus inuolutum fuerat, reperiuntur, è quibus
ignota, maximi odoris suauitas, prodibat, & cunctos ad-
stantes, perfundebat, ac mirificè recreabat. In eodem
itaque momento, conclamatum fuit ab Apostolis, vna-
cum SS. Angelis, in aëre cantantibus: *Exaltata est sancta
Dei Genitrix, super Choros Angelorum ad cælestia Regna.* Et sic
decebat fieri teste Propheeta: *Non dabis Sanctum tuum vide-
re corruptionem.*

*Hoc idem Propheeta, inquit S. Athanasius, asserit, quod
Christus Matrem suam MARIAM, isthoc honore dignetur, vt illam
in cælis adsciscat, sibi Reginam, veluti que carnis incorruptibilita-
te induta, velut fulgenti purpura, & generis omnis virtutum orna-
tu circumdata sit & condecorata.* Et S. Andreas Crecensis
affirmat: *Sicut non fuit corruptus MARIÆ parientis uterus;
Ita mortua caro non interijt. Partus effugit dolorem, sepulchrū
nox admisit incinerationem: Stat enim sepulchrum inane, vsque
ad bodiernum diem, quod & ipsum approbat, Apostolis attestanti-
bus, translationem.* Consentit Germanus Patriarcha Con-
stantinopolitanus: *Sacratissima Virginis Caro, ex morte iam
resuscitata, & ad omnem immortalitatem & incorruptionem est
transformata.* Et S. Ioannes Damascenus: *Corpus Deiparæ
Sanctum & integrum, & corruptioni minime obnoxium tertio die
ex monumento resurrexit, & Mater ad Filium, è sepulchro est trans-
lata.*

Resuscitatione Corporis B. M. V. 59

lata. Cosmas denique à Glyca citatus, Virginei Corporis translationem, verbis hiscè confirmat. MARIÆ Corpus in sepulchro asseruatum, incorruptum, admirabiliter ex hac terræ renasatione, ad sedem cœlestem est euectum. Ad stipulatur S. Thomas, sic inquit: Credimus quod post mortem, MARIA resuscitata fuit, & in cœlum deportata, ac licet in sacris literis id non tradatur, tamen ab Augustino & alijs rationabiliter colligitur.

Parte. 3. Annal. ad Anpicum.

Parte. 3. sum. ma. 9. 27. a. 1. Item opusc. 8.

Quid porrò de admirabili gloria corporis tui, in cœlo dicam, O Benedicta Mater! Fateor cum S. Idelphonsodeuotissimo Cultore tuo: *Etsi impertis premia Insus Index Christus Dominus, secundum Apostolum, vnicuique iuxta opera sua, quæ patrauit, & sicut ineffabile donum est, quod Virgo percepit, ita est inestimabile, & incomprehensibile, præmium & gloria, non dico inter ceteras sacras Virgines, verum etiam, ultra omnes Sanctos, quod promeruit: Concludo eum Ruperto Tuiciensi: Quando ex hoc mundo assumpta, atque ad æternum Thalamum translata es, Virgo Deipara, tunctu, & ex tunc electa ut sol, electa inquam nobis, Quia sicut ex te natum Dei Filium solem, verum solem æternum adoramus, & colimus ut Deum verum, sic & te honoramus atque veneramur, ut veri Dei Genitricem, scientes, quia totus honor impensus Matri, sine dubio redundat in gloriam Filij: Qui enim dixit, Honora Patrem tuum & Matrem tuam, non dubium, quin & ipse honoret, & ab omnibus amicis suis, suam velit honorari Matrem.*

II. Virginei Corporis gloria In Cælo. Serm. 2. de Assumpi.


Lib. 6. in Cant.

Exodi. 20.

Honorate itaque Dei Matrem, dilecti, quam Filius eius adeo honorauit, ut audistis, & ipsa vestri vicissim, apud Filium curam ager. Animet vos in Virginis deuotione, S. Arnulphi, Sueffionensis Episcopi Exemplum, de quo ista Lysiardus: *Felicissimum denique Arnulphum, Episcopum, Dei Mater, sua presentia recreauit, cum agmine Virginum Glorioso, Arnulphi animam ad superos abituram, prædicens, & eorum fore gaudiorum participem asserens, quibus exultant celi*

Ciues ipso die virginis in Cælum assumptæ: Nam in ea festiuitate, Virgine ducatum comitatumque præbente, inter Angelorum consortia in caeleste Regnum transmigravit.

O Beatam Animam meam si Patrocinio tuo benignissima Regina eandem sortem, inter ipsa Assumptionis tuæ solemnia indispiscaretur. Ast ego me tanta gratia, indignissimum iudico nisi ex indigno, Materna tua gratia feceris dignum. Quod ut abs te veraciter impetrem, da ut honori tuo me totum deinceps mancipem atque addicam. Amen.



SERMO VIII.

Virgo Mater cum Corpore & Anima translata
in cælum; Clientum suorum salutem in tu-
to potis est collocare.

*Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata
varietate. Psalm. 44.*

*Exaltata es Sancta DEI Genitrix, super Cæcos Angelorum
ad caelestia Regna.*



VM vestram deuotionem, qua Beatissima DEI
Genitricis Assumptæ, Tricesimum, piorum
Maiorum vestrorum vestigijs insistentes, in-
choastis considero; fateor, ex intimis cordis
visceribus vobis congratulor, & DEO gratias ago; Hæc
enim duo, quam diu in hac Ciuitate Verbum DEI præ-
dicauit, mihi vnice cordi fuerunt: *Primum*, ut duceremi-
ni ad Christum, honorando eum præcipuo cultu, tum
in sacratissimis eius Vulneribus, tum in Augustissimo
Eucharistiæ Sacramento, quod vestrum multi, atque
adeo

adeo præcipui, è Ciuitate, & veluti Flos Ciuium, singulis diebus Iouis, summa cum pietate, hætenus præstiterunt: *Alterum* verò, vt sitis deuoti, Sanctissimæ DE I Genitrici, sitis in eius laudibus feruentes, & vos eius Patrocinio, sæpius commendetis, qua mediante, ad æternæ felicitatis Portum, enauigato mortalitatis Pelago, tandem pertingatis. Vt igitur hunc pietatis vestræ ardorem, atque in DE I Matrem eximiam deuotionem, quasi appositis ad ignem lignis, magis magisque accendam, decreui *per Tricesimum*, de eius Patrocinio, & apud DE VM interuentu, breuiusculos, singulis vicibus, Sermones, Instituire, eo præsertim fine, vt qui in hæresi sunt educati, & iam Ecclesiæ reconciliati, in hoc Articulo Inuocationis Deiparæ, ex fundamento, rectius instruantur, & in pietate, atque ergo Virginem deuotione, quidquid Hæretici obganniant, corroborentur. Et primo quidem probabo contra Hæreticos, Beatissimam Virginem, cum corpore & Anima assumptam, in cælum, & eius Assumptionis causas, Processum & solennitatem breuiter attingam; Fundamenta deinde, Intercessionis eius pariter & Inuocationis, collocabo, & apertissimè demonstrabo, summa apud Sanctissimam Trinitatem gratia, eam florere, ac nosse quid nobis desit, & audire quando eam inuocamus, quando ad eius Patrocinium confugimus; Quinimò, quæ per ipsam petimus, per meritum Christi Filij sui, non minus, immò magis impetrare, nobis valere, quam dum in hac vita mortali, adhuc peregrinaretur: paratissimam demum, nobis patrocinandam, & in necessitatibus succurrendi, voluntatem omnibus probare, & pro salute, singulari sibi deuotione addictorum summa solertia, diligentiaque laborare, vt æternæ saluationis effectum, consequantur. Vnde hæud difficulter elucescet, eum, qui rectè ac piè, qui feruenter atque deuotè, Virginem

Deiparam, colit, obicem dummodo gratiæ diuinæ, culpa sua non opponat, indubitate, per Christi meritum, saluari. Aggrediamur igitur *primum fundamentum*, & ipsam cum corpore & Anima, translata, esse in cælum, ostendamus, vt hoc veluti primario lapide collocato, cætera Deo annuente, tanto fructuosius superstruamus. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu decorato, circumdata varietate,*

3. Virgo cum Corpore & anima translata usq; in cælum. 1. Harcticorum hac de re sententia. In Conc. de festo Assumpt.

Lib. 3. instit. cap. 20. Lib. 3. de Occulta Philosophia.

2. B. Virgo adiutorium secundi Adam.

Augustissimam *bominum & Angelorum Reginam*, cum Anima pariter & Corpore in cælum translata, cum Filio iam in cælis regnare, Lucherus partim in dubium reuocat, partim omnino, quoad corporalem assumptionem negat. Impius verò Calvinus, cum Vigilantio Hæresiarcha, audacter abnuic, quoad animam. Sanctos adhuc, ante diem iudicij videre Diuinam faciem, sed vsque ad iudicium, in loco quodam ignoto, & in atrio cæli, expectare generalem corporum resurrectionem: Eius verba: *Christus solum ingressus est Sanctuarium cæli, Sancti autem exterius expectant in atrio, usq; ad mundi consummationem.* Idem sentit ex amussim Sacritegus ille Magus, Sanniodiuinæ Veritatis Cornelius Agrippa. Sed planè falsum & impium est, quod inerti vulgo Hæresiarchæ isti obtrudunt: Sancti enim omnes quoad Animam, beati sunt, & vident faciem Dei; Sed Beatissima Virgo, vt tota Ecclesia semper credidit, etiam quoad corpus, ante generalem resurrectionem suscitata, triumphat & regnat cum Filio in Cælo. *Exaltata es Sancta Dei Genitrix, super Choros Angelorum ad cælestia Regna*, congratulatur ei Ecclesia: Sicut enim *DEVS primo Adam adiunxit adiutorium simile sibi*, ne solus esset in *Paradiso terrestri*; sic decebat vt *Secundo Adam adiungeretur Socia*, quæ resuscitata & gloriosa, in Anima & Corpore, regnaret cum ipso, in *Paradiso cælesti*, quod & factum est re ipsa, dum *exaltata est DEI Genitrix ad cælestia Regna*. Id liquidum est, scripturæ non solum

solum figuris, sed & apertis testimonijs: Nam Beatissima Virgo, tam quoad Corpus, quam quoad Animam est *lignum vitæ*, ex quo nobis ortus est *benedictus ille fructus panis vitæ, qui dat vitam mundo*. Lignum vitæ figuratiuum, plantauit Deus in Paradiso: Quidni condecuisset, vt hoc verum lignum vitæ, quod benedictum illum fructum, in quo *benedicentur omnes gentes*, ad maturitatem perduxit, Deipara Virgo, euulsa ex huius mortalis exilij solo, transplantaretur eum corpore & anima, in Paradisum cœlestem? Ecce enim, hoc ipsum *lignum vitæ*, vidit Apostolus Ioannes, cum illa cœlestis Hierusalem, in Prophetico Spiritu, velut in Tabula affabrè depicta, atq; iustranda exhiberetur: *In medio platea eius, ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per singulos menses, reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium*. Qui nam fructus ligni huius? quæ folia ad sanitatem gentium? Fructus innumerabilium beneficiorum, quæ per eam humano generi communicantur: *Folia ad sanitatem, Protectio & intercessio eius, Materna auxilia, vniuersis exhibita, quæ eam, in locis, ipsi sacratis, deuorè inuocant & implorant*. Vos qui sacram scripturam accuratè legitis, dicite mihi, vbi nam, cessante diluuiò, quo totus mundus perijt, inuenta est *Arca Noè*, qua pauci homines saluati, superstitites mansere? *Requieuit Arca*, inquit Scriptura, *super montes Armenia*. Cessante itaque diluuiò, Iræ Diuinæ, redempto humano genere, Vniuerso, effusione Sanguinis IESU CHRISTI, placato DEO Patre, vbi veri Noè, Seruatoris nostri, vera & animata arca, Vterus, inquam, benedictæ Matriscius, potius requiescere debuit, quam super Montes Armenia, *supra choros Angelorum*, ad Filij dextram in Regno illo! perpetua felicitate florenti? Merito itaque ei Ecclesia applaudit: *Exaltata es Sancta DEI Genitrix, super choros Angelorum ad cœlestia Regna*.

3. B. Virgo lignum vitæ.

Gen. 3. Ioann. 6.

Apoc. 22.

4. Arca Noè requiescens in montibus Armenia.

1. *Arca Fæderis*
Figura veteris
Virginalis.
 Exodi 25.
 Psalm. 109.
 Joann. 6.

Psalm. 109.

Exodi 20.

Locus *Arca*
fæderis.

Psalm. 83.
 Pompa veteris
Arca translatio
 1. Reg. 6.

3. Reg. 8.

2. Reg. 27.

Arca illa fæderis, ex imputribilibus lignis, in veteri Testamento compaginata, & intus pariter & extra, auro purissimo exculpta, quid obsecro portendebat? cuius nam Mysterij figura erat? Veræ nouæ fæderis Arcæ, vteri inquam Virginalis, in qua non pauillum illius corruptibilis Manna, sed verus ille panis, de caelo descendens; non *Virga Aaron*, quæ floruit, in signum Sacerdotij, sed verus *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*: non lapideæ tabulæ legis Mosaicæ, sed ipse *Rex & legifer noster*, re ipsa asseruabantur. Quis veteris arcæ locus erat, diuinitus destinatus? Tabernaculum fæderis, tanto cultu exornatum. Quidni locus conueniens nostræ Arcæ, fæderis noui Testamenti, sit Tabernaculum illud supernum, de quo Dauid: *Quam dilecta Tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini?* Quanto cum iubilo, quanta cum pompa, veterem Arcam, Rex Dauid ex domo Obededom, transtulerit in Palatium suum, in arcem Sion, vix satis explicare potest scriptura. Festiuitas illa & solennitas, qua eandem Arcam Rex Salomon transtulit in Templum tuum, recens, incredibili sumptu & opere, ædificatum, tanto cum splendore, tantum cum Maiestate, in conspectu totius populi Israel, fuit celebrata, vt similis nunquam, nec visa fuerit, nec audita. Annon verus noster Dauid, Dei Filius, qui prostrato Infernali Goliath, regnare cœpit, super populum suum, viuam hanc Arcam, *benedictam Matrem suam*, cum incredibili læticia, totius cœlestis Curia, corporaliter in Palatium suum cœleste, induxerit, & in eo stabili mansione firmarit? An verus noster Salomon, *Rex pacificus*, cesserit mortali Salomoni, in honoranda cœlesti Arca, *benedicta Genitrice sua*, quando eam comitatu cœlestium Exercituum, in Templum illud supernum, transportarit? Vidit hoc ipsum Mysterium, & in Spiritu Prophetico exul-

exultauit Regius Vates: *Surge Domine in requiem tuam, tu* Psalm. 131.
 Et *Arca sanctificationis tue, tu & benedicta Mater tua. Exal-*
tata es sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum ad caelestia
Regna.

Nec te, O S. Ioannes Apostole, Mysterium istud. 11. Arca fo-
 inter cætera, latere potuit: *Signum magnum, inquit, appa-* deris collocatio
ruit in caelo, mulier amicta Sole, gloria Deitatis, et Luna sub pe- in Templo Dei.
dibus eius, cui plenissima potestas, in omnes res terrenas, Apoc. 12.
 & sublunares est concessa, *Et Corona stellarum duodecim in-*
capite eius; nam gloria omnium beatorum, cernitur à
 Deo exornata, cumulatissimeque remunerata: Sed &
 quando ipsam hanc Arcam in Templo cælestis & super-
 næ Hierusalem conspexisti: *Visa est Arca Dei in Templo, et* Apocal. 11.
facta sunt fulgura, et terra motus. Quæ nam fulgura? Curuf- 2. Quenam
 cationes tot Miraculorum, quibus Deipara Virgo, quæ fulgura et ter-
 ex sola humilitate, dum viueret, nullum omninò mira- ra motus fiant p-
 culum designauerat, toto orbe passim extollitur atque hanc Arcam.
 glorificatur, vbi eius patrociniū imploratur: *Facta*
sunt in super terra motus: qui nam hi terræ motus? admi-
 randa planè cordium terrenorum immutatio, vt ab eo
 tempore, vsque in hodiernum diem, homines terreni,
 Dei Filium, *in benedicta Matre sua, laudare, benedicere, nec*
 cessent, nec vnquam fatigentur: Nec immeritò: Nam 3. Domus Ra-
 si Dominus Raab, Meretricis Domum, cum cæteris vr- hab seruata
 bis, Hiericho, Palatijs & habitaculis, deuastari noluit, Iosua 6.
 eo quod per vnum diem, exploratores Iosux hospitio
 excepisset; quanto rationabilius hanc Domum Virginis
 quæ ipsum Dominum, per nouem menses, exceperat,
 nec deuastari, nec incineres resolui, sed potius integram
 & illæsam, in caelo collocari conueniebat! *Exaltata es er-*
go Sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum, ad caelestia Regna.

Venit Betsabea, Mater Salomonis, ad ipsum Regem
 Filium suum, *et positus est thronus Matri Regis, ait scriptura,*

III. B. Virgo
Berfabea Ma-
ter Salomonis.
3. Reg. 2.
Matth. 28.

qua sedit ad dextram eius: Venienti ad se benedicta Matrisua, in transitu ex hoc mundo, annon Dei Filius Rex cali es terra cui data est omnis potestas, in calo & in terra, gloria Thronum, propè Maiestatis suæ subsellia parari iusserit, & Cali Terra-que Reginam, inauguratam sessionem in eo recipere mandârit? id neget, qui Dauidem Regem, mendacij argue-
re præsumit: Nam is eam in hac ipsa Regia Maiestate, & gloria, ad dextram Filij sui, apertissimè conspexit: *Asiitit Regina à dextris tuis, in vestitu de aurato, circumdata varietate:* Cœlestium donorum, & priuilegiorum, quæ alijs, cæle-
stis aulae, incolis, nunquam colata visuntur. *Exaltata es, Sancta Dei Genitrix, super Choros Angelorum, ad caelestia Regna.*

Psal. 44.

IV. Prophetica
Vaticinia,
Psal. 8.
Luc. 2.

Hic verè, O Domine I E S V, *Magnificentia tua, eleuata est super caelos; Mater, inquam, tua benedicta, quæ de se ipsa confitetur: Quia fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum Nomen eius:* Magnam ei gloriam in Anima, magnam, in corpore contulisti, quando eam à morte resuscitatam, gloria & honore coronasti, & veluti Reginam constituisti super ope-
ra manuum tuarum: & omnia subiicisti sub pedibus eius, ut quidquid velit, in cælo & in terra, effectum dare possit: Implesti O Domine I E S V, promissionem tuam, ex ore olim dictatam Vatis Isaie: *Domum Maiestatis meæ glorificabo:* hoc enim sacratissimum corpus Virginis benedictæ, est Domus illa, Castellum illud, quod Diuina Maiestas tua, nouem mensibus corporaliter inhabitauit: Sanè, O Domine, *Domum tuam, decebat hæc Sanctitudo, in longitudi- nem dierum, in omnem æternitatem: O ineffabilis gloria, O plane diuina Maiestas, qua Matrem suam, cum corpore & anima pariter, in cælum assumptam, DEI Filius extulit & honorauit, Exaltata es Sancta DEI Genitrix, super Choros Angelorum, ad caelestia Regna.*

Psal. 8.

Esai. 40.

Luc. 10.

Psal. 92.

II. Testimonia
Patrum de Vir-
ginis Assump-
tione.

Huic corporeæ Assumptioni, DEI Matris in Cæ-
lum, testimonium perhibet, quidquid hæretici obgan-
niant,

niant, S. Athanasius, hisce apertissimis verbis: *Hoc honore* In Euang. de S. Deipara.
Christus Matrem suam dignatus est, ut illam carne vestitam, quasi I
deaurata veste glorie, & incorruptibilitatis indutam, in calis, ad-
sciscat sibi, velut Reginam, dicente Propbeta: Astitit Regina à de- Psalm. 44.
xtris tuis, in vestitu deaurato, varietate circumdata. Induta est,
carnis purpura, & omnis generis virtutum ornatu, condecorata;
Nam si Enoch in sublime raptus, & Helias curru caelesti auetus, vi Genes. 5.
tam corporis integram, conseruarunt, Deo in illis mirabiliter ope- 4. Reg. 2.
rante, quis, obsecro, dubitandi est locus, quod M A R I A mortua ex
humane infirmitatis lege, virtute Filij reuixerit, ne videret cor-
ruptionem? Huic corporali translationi Deiparæ Virgi- 2
nis in cælum, sine vlla hæsitatione ad stipulatur S. Ioan-
nes Damascenus: Sacrum corpus tuum, inquit, alloquens Serm. de obdor-
DEI Matrem, venerabili in sepulchro reponitur, sed non est reli- mitione Deipa-
cta anima tua in Inferno, nec Caro tua veneranda, vidit corruptio-
nem. Decet autem Dei Sacrarium, fontem inexhaustum, agrum
in aratum, vineam non irrigatam, oliuam fructiferam, terra gre-
mio non seruari; decuit Matrem ad Filium sublimari, ut ad ipsum
ascenderet cum carne, sicut ipse ad eam descendit, carnem sumptu-
rus. Atque ut que in partu virginitatem serauit, post mortem
corporis, non pateretur corruptionem; & qua creatorem portauit in
sinu, in Diuinis tabernaculis commoretur, & quam Pater despon-
sauit, in Sponsam, in caelestibus tabernaculis conseruetur, & à Ma-
tre, quasunt Filij, possideantur. Huic corporali Allumptio-
ni Deiparæ Matris, Testimonium suum clarissimè præ- 3
bet S. Anselmus: Iniustum est, inquit, eius corpus puluescere, Serm. de As-
quod nunquam animæ blanditum fuit in scelere. Præterea cum, sumpt. Deipara
credamus, Domini Corpus in calo esse, & toti mundo iam imperare,
cur non credimus eiusdem corporis Materiam, ut ita dicam, opifi-
cem, Virginalem scilicet carnem, ibi esse? Sed ne suspicionibus a- Argumentum
gamus, audi breuem distinctionem, & conclude: Corpus sanctissima evidenter pro-
MARIÆ, aut est in calo, aut est in terra: Immersum enim mari, bans Corporalè
vel per inane aëris rotari, nemo puto, nisi demens dicat: Est ergo Virginis assum-
ptionem.

vel in calo, vel in terra. In terra autem, non est credibile, esse; non enim cariturum esset miraculorum gloria, quia dignitas eius, super omnes creaturas transcendit. Quia igitur nec in terra, nec in mari, neque in aëre, verisimile est, esse; restat ut in calo esse, credatur:

4
Serm. de Ass.
sumpt.

Eodem hoc Argumento, Corporalem Deiparæ assumptionem, in cælum, probat S. Bernardus: Quoniam Sanctorum Corpora preciosa, DEVS ita sublimavit, ut puta Petri & Pauli, quæ tam gloriose venerabilia reddidit, & honore tam mirifico sublimavit, ut ipsis deputaretur locus, venerationi congruus; nimirum Christus videbitur honorem materni corporis neglexisse, cum tamen super terram, aliorum corpora sic honoret? Nulla id ratione fieri potest S. Pater Bernarde: Et nos tecum in-

5
Serm. de Ass.
sumpt.

eadem sententia sumus, vnde etiam Sophronius: Legimus quia multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & venerunt, in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis, de quibus profecto nonnulli Doctorum serferunt, & etiam in suis reliquerunt scriptis, quod iam in illis perpetua sit completa resurrectio: fatentur enim quod veri testes non essent, nisi & vera eorum esset resurrectio. Vnde & Beatus Petrus, dixisse legitur cum de David loqueretur in testimonium: Et sepulchrum eius, inquit, apud nos est, quasi non sit ausus dicere, quod ipse & corpus eius, apud nos est, sed tantum sepulchrum, quo conditus fuerat. Hunc autem resu rexisse, eum cum cæteris Sanctis, & ideo vacuum remansisse, Mausoleum, ut nunc Beatissima MARIÆ cernitur. Quod quia DEO nihil est impossibile, nec nos de Beatissima MARIA Virigine, factum abnuimus: Verè igitur, exaltata es Sancta Dei Genitrix, super Choros Angelorum, ad caelestia Regna

II. Plurimarum
rationum con-
geries è S. Au-
gustino.

Vtinam hic esse posset S. Augustinus, qui integro libro, corporalem Deiparæ translationem, in cælum probavit: Vtinam, inquam, coram, in præsentia vestra, validissima sua Argumenta, verbis suis proponeret, & omnes Hæresiarchas, eam pernegantes, confunderet: Singula breuiter percurramus, omnia enim ad longum,

ver-

verbatenus allegare, tempus non finit; Audite eius verba: Si voluit Christus integrum MARIÆ amare pudorem, cur non velit incorruptum, à putredinis seruare factore? Qui enim in vita, præ cæteris, illam gratia sui conceptus honorauit, pius est credere, singulari saluatione, eam in morte, & speciali gratia honorasse, & incorruptam seruasse.

Lib. de Assumptione Virginis Tomo 9. Operum.

1. Conceptus sine corruptione car non mortua & assumpta sine corruptione?

Aliud ex eius ore Argumentum accipite, ab vnitatem carnis Christi, cum carne MARIÆ: Christus in cælos ascendit, & carnem quam de Matre suscepit, super astra transuexit, honorans omnem humanam naturam, sed multo magis Maternam. Si igitur natura Matris, est Filius, conueniens est, vt sit & Filij natura Mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem, & potestatem, sed quantum pertinet ad eandem reciprocam substantiam, vt homo de homine, Caro de Carne, Mater à Filio, Filius à Matre, non ad vnitatem, Persona, sed ad vnitatem Corporalis nature & substantie. Quod si Filij humanitas residet incorrupta in cælo, quomodo Matrem corrumpi sinet, in sepulchro?

2. Ab vnitatem Carnis Christi cum Carne Matris.

Pergit porro vltcrius hoc ipsum corporalis translationis Mysterium, è sacra scriptura confirmare: Si vnitatem potest facere gratia, sine proprietate specialis nature, de qua Christus dixit: Pater quos dedisti mihi volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum: & rursus: Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & ille, qui tecum & mecum vnus est. Si igitur eos habere secum vult, & Matrem suam in Carne, secum habere potest, qui omnia potest, quid æstimandum? Vbi dignius habebitur, quam in presentia Filij?

3 Ab vnitatem cum Christo per gratiam & naturam. Ioann. 17.

Nec dum verò hic subsistit fluens imperus Argumentorum: Sic enim vltcrius ratiocinatur: Tanta sanctificatio, qua Mater DEI fuit repleta, dignior cælo est, quam terra, Quoniam Thronum DEI, thalamum Domini, Domum atque Tabernaculum Christi, dignum est ibi esse, vbi ipse est. Tam preciosum thesaurum dignius est cælo seruari, quam terra. Tantam integritatem, merito incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur. Illud autem sacratissimum corpus, Notate verba, sig-

4. Ad dignitatem & præstantiam Naturæ Matris.

nate Mysteria, de quo Christus carnem suscepit, & Diuinam naturam humanam uniuert, escam uermibus tradidit, & futurum de uermibus puluerem: Quia sentire non ualco, dicere perimiesco.

5. A ministris
Christi.

Ioann. 21.

Aliud denique, non minus forte, è sacra scriptura depromit Argumentum ab ijs, qui Christo fideliter feruiunt, mutuatum: Promissio Christi est, Vbi ego sum, illic & minister meus erit: Si hæc est generalis sententia, omnium, per fidem & operationem bonam, Christo ministrantium, quanto magis, & quodammodo specialius est MARIÆ? MARIAM namque operis exhibitione, ut quæ Christam generarit, Infantem nutrierit, lactauerit, pauerit, educarit, & insuper, fidei rigidissima ueritate Ministram fuisse Christi, præ omnibus alijs hominibus, omnis qui sanè sapit, intelligit: Si ergo cum corpore ibi non fuerit, ubi Christus ministros suos esse uult, ubi erit? Si erit, annon maiori gratia, quàm alij ministri, anticipata carnis resurrectione! Nam si solum æquali gratia cum alijs ministris Christi, ubi æqua Dei censura, quæ uniuertique reddit secundum merita? Si ergo merito, MARIÆ uiuenti, præ omnibus donata est gratia, mortua erit minuenda? absit, Quia si omnium Sanctorum mors est preciosa, MARIÆ sane est preciosissima, quam tanta comitata est gratia, ut Mater DEI dicatur & sit.

6. A preservatione aliorum
Sanctorum.
Ibidem.
Ioann. 21.

Dan. 6.

Dan. 3.

Subnecto ad extremum aliud Argumentum S. Augustini & finio: Si in potestate Saluatoris est, de Sanctorum capite, capillum non perire, est & Matrem suam; in anima & corpore, integram posse seruare. Quod si nullus fidelium dubitat, id esse posse, cur diffidendum est, etiam cum uelle? Legitur Ionam in ventre ceti, præter naturalem usum, seruasse incorruptum, sola Misericordia: MARIAM ergo incorruptam, præter naturam, non seruabit gratia? Seruatus est Daniel sub intemperatissima fame Leonum: Non est seruata MARIA, tot decora merito dignitatum? Si elegit Diuina uoluntas, inter ignium flammæ, puerorum uerimentis seruare illa, cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Potuit ergo à putredine & puluere alienam facere,

quæ

quæ ea nascens potuit virginem reliquere. Quod si potuit, quin voluerit, non est in dubium reuocandum. Ecce hisce validissimis quasi arietibus, S. Augustinus, hæreticam concutit, & prosternit impietatem: Concludimus itaque cum S. Thoma: *Credimus firmiter, quod post mortem MARIA resuscitata fuerit, & cum corpore in cælum translata.* Verissimè igitur affirmas, O Christi Sponsa Ecclesia: *Exaltata es Sancta Dei Genitrix, super Choros Angelorum ad cælestia Regna.*

7. Conclusio S.

Thoma.

Opusc. 8. Et 2. parte.

Summ. q. 27.

a. 1.

III. Rationes alia.

I. A plenitudine gratia.

Quinnimò, si & ipsam rationem adhibeamus, inueniemus eam in corpore & anima assumptâ in cælum; Et primò quidem: Annon gratia plena, ab Angelo salutata fuit? plene certè gratia in Anima, plena in Corpore, in quo ipse Deus, nouem mensibus corporaliter requieuit:

Eccles. 24.

Qui creauit me, inquit, requieuit in Tabernaculo meo. Vnde S. Hieronymus: *Ceteris per partes, MARIAE verò, se tota infudit gratia plenitudo.* Cum ergò gratia sit Semen gloriæ, cum gloria Patriæ, correspondeat gratiæ viæ; Ergo quam primum ex hac peregrinatione decessit, in patriam, debatur illi gloria, tam in corpore, quam in Anima; vnde rectè tecum concludimus, S. Pater Bernarde: *Quantum gratia in terris adeptæ est præ ceteris, tantum & in cælis, obtinet gloria singularis:* Quis igitur abnuat Dei Filium, Matrem, à mortuis resuscitatam, cum Corpore & Anima, in cælum transtulisse?

Serm. Cogit. de Assumpt.

Serm. de Assumpt.

Quis ignorat, Corporeæ resolutionis, atque incinerationis Vulnus, ob solum Originale peccatum, humano generi esse inflictum? Singularem DE I gratia, præseruata fuit; Beatissima Virgo, ab Originis labe, quidni à reatu corruptionis? Caruit culpa, quidni & pœna? Multa Sanctorum Corpora, Deus ingenti Miraculo, adhuc integra & illæsa, sine corruptione asseruat; An quòd Seruis Priuilegium vltro concedit; Matri abnuat & recuset?

2. Ad Immunitatem à peccato Originali.

Rursum

3. *A perfecta
liberatione Viri
& femina.*

Rursum, solet Deus pro sapientia sua, Principia medijs & fini conuenientissimè adaptare. *Qualis ergo fuit prauaricatio in Paradyso terrestri, talis debebat esse Restauratio in Paradyso cœlesti:* At illic fuerunt Vir & Fœmina, *Adam & Eua;* Ergo in cœlesti Paradyso, oportuit etiam inueniri, *Secundum Adam, & Secundam Euam,* Christum & Matrem eius: Vt igitur ostendatur perfecta redemptio, Christus Dominus & Mater eius, corporaliter debuerunt introduci, in Paradysum cœlestem, sicut ad ostendendam plenam damnationem vterque sexus eiectus fuit è Paradyso terrestri.

4. *A conueni-
entia loci cum
locato.*

Psal. 103.

Philosophicum insuper Axioma est, *locum oportere proportionatum esse locato:* Vnde Sapiens Architectus locat res omnes, in locis sibi contententibus, secundum earum dignitatem: Quod ipsum & Deus obseruauit, qui *omnia in sapientia fecit:* Sic maiores orbis cœli, supra minores collocauit, sic graua deorsum vergere, lenia sursum ferri voluit. Cum ergo post sacratissimum Corpus Domini nostri IESU CHRISTI, sanctius nullum sit, corpore Sacratissimæ Virginis Matris suæ; Quidni sicut & Corpus Christi, collocatum sit in cœlo?

9. *Virginitas à
Vermibus Im-
muni.*

Eccles. 3.

6. *A meriti
suis magnitu-
dine.*

Addo; DE I Filius Matris Virginitatem, non in mente solum, sed & in carne illibatam seruaui. Quod si corpus eius, ita sibi Filius vendicauit, vt noluerit illud alteri homini communicare, & filios, ex eo alios generari; nunquid illud communicauerit Vermibus? absit tantum nefas cogitare: *Dedecus Filij est, Mater sine honore:* Quin potius, summum meritum, summum exposcit à Iustitia Diuina præmium. Excedebat meritum Virginis, & Materna eius dignitas, meritum omnium Sancto- rum, immò & Angelorum: Ergo præ illis altius debebat honorari: Igitur alij Sancti cum corporibus iam transfati essent in cœlum, vti complutes è Sanctis Patribus, as- firmant,

firmant, hoc Matri suæ, omninò filius negare non debebat, vnde scriptura ait: *Multa corpora Sanctorum, ratio-* Epist. ad Heliodorum de obitu Nepotians.
cinatur S. Hieronymus, qui dormierunt, resurrexerunt cum Christo, et introierunt in sanctam Ciuitatem, alias, vti S. Hieronymus ait, *non fuissent vere testes, resurrectionis;* quin etiam eadem de causa, ipso asserente, *cum corporibus ascenderunt in cælum.* Et S. Ambrosius asserit, S. Ioannem Euangelistam cum corpore translatum esse in cælum, ac proinde in sepulchro non inuentum. Cum ergo nulla gratia Sanctis alijs, concessa, Deiparæ Virgini sit neganda, non dubium est, quin cum corpore & anima, sit assumpta in cælum, & *super omnes Choros Angelorum exaltata.*

Stat per verbum tuum S. Pater Anselme: *Non dubitandum est, Beatissima MARIE merita, apud Deum incomparabiliter excelluisse, nec aliquem sanctorum singulariter, nec etiam omnes communiter, illi soli equari posse: Iustum est autem, ut cum maiora sint eius apud Deum merita, excellentiora etiam percipiat premia, Deum porò constat, nihil quod iustum est negligere. Quapropter MARIAM gloria resurrectionis iam dotatam, et immortalitate vestitam, nostra credulitas, firmissimè presumit. Iure illa Sanctos omnes precessit in premio, qua precessit in merito.* Serm. de Assumpt. Virg.

Quid plura! innumera, quæ passim Deus, ad eius inuocationem, edit miracula, testantur ipsam cum corpore & Anima, cum Christo Filio, in cælo regnare ac triumphare. Referunt Iuuenalis Patriarcha Hierosolymitanus, & Nicephorus, cum S. Ioanne Damasceno, S. Thomam Apostolum, qui Diuino nutu non fuerat præfens, quando Beatissima Virgo, ex hac vita emigrabat, tertia die superuenisse, cumque infelicitatem suam calentibus lachrymis deploraret, petijt à cæteris Apostolis, diu noctuque ad sepulchrum Virginis vigilantibus, & Dei laudes concinentibus, sepulchrum pro solatio suo aperiri: auauerunt illi piæ petitioni, Monumento itaque IV. Miraculo deniq; comprobatur, sepulchro referato Epist ad Marcianum Imp. & Niceph lib. 2. cap. 22. Damasc. & Bonifacius lib. 15. c. 8.


que aperto, corpus non fuit inuentum, sed tantum fasciæ sepulchrales, mirificam odoris fragrantiam spirantes. Auditi sunt insuper Angelorum Exercituum Cantus: *Exaltata es S. Dei Genitrix, super Choros Angelorum ad caelestia Regna.* Quibus Apostoli, ipsam verè à morte suscitaram, & cum corpore in cælos assumptam, vna cum alijs fidelibus assensum & hymnodiam suam superaddiderunt. Eat nunc, nescio quis infidelis Hæreticus, & neget, quod tota, cum Apostolis, Ecclesia, semper credidit, & asseuerauit.

Eia age DEI Mater, in cælos iam, & *super omnes Choros Angelorum exaltata*, quæ tota afflictis, corporis vitam atque salutem, aut restituiti, aut restitutam à periculis illæsam seruasti, tu nos Patrocinio, Maternæque tutela, quam enixissime commendamus, vt nobis toties ingrauiſſimis peccatis, occumbentibus, gratiæ vitam recuperes, & ad Diuinæ prædestinationis scopum, infallibili certitudine assequendum, vsque ad vitæ finem, tuearis atque conserues, vt te Saluatoris Matrem, vna cum

Saluatis omnibus æternis laudum & gratiarum actionis, encomijs, iugiter concelebremus.

Amen.





S E R M O IX.

Quas ob causas, Dei Filius, Matrem suam, cum
Corpore & Anima, transtulerit in
cælum,

*Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata
varietate. Psalm. 44.*

*Exaltata es S. Dei Genitrix super Choros Angelorum ad cele-
stia Regna.*



Nihil utilius post Deum memoria, Matris eius, affir-
mat S. Pater Anselmus, Virginis Matris homi-
num & Angelorum præcipuis cultor, *nihil sa-
lubris eius cultu; nihil fructuosius eius inuocatione: Pa-
teor ita rem habere, & quis id non est expertus? Ideo nam-
que Filius eius ipsam in celestibus Regnis exaltauit, tum vt condig-
nam, excelssimisq; meritis eius condebitam mercedem, in aterna-
summi boni possessione, acciperet, tum etiam, vt Christi in terris,
relictæ Militanti Ecclesie, & fidelibus omnibus, & singulis interces-
sione sua, Patricinioque, auxilium, opemque exhiberet. Cum igitur
præcedenti Sermonem ostenderimus, si de illis quos
impensius diligimus, & benigniori mentis affectu, pro-
sequimur, libentius etiam sermocinamur, par est, vt de
Matre Saluatoris nostri, quam post Deum meritò, sum-
mo amoris ac fidelitatis studio colimus & obseruamus,
lubentes volentesq; loquamur, & eius laudibus audien-
dis, occupemur. Exaltatam igitur esse, Sacrosanctam
Deiparam, cum Corpore & Anima, Super omnes Choros An-
gelorum, in cœlestibus Regnis coronatam, Reginam homi-
nem & Angelorum, cum probauerimus, iam vlterius quæ-*

*Lib. de Excel-
lent. Virg. glo-
riosa. cap. 6.*

stio erit: Cur eam Deus adeo cum Corpore & Anima honorarit, & in Throno Maiestatis Regiæ, iuxta Filium collocarit? An ab eius exaltatione, nobis aliquid proueniat, emolumenti? Ecclesia sancta in sacrificio Missæ, Vigiliæ, Assumptionis, breuiter ac dilucide respondet: *Idcirco eam de presenti seculo transfulisti, vt pro peccatis nostris, apud te fiducialiter intercedat.* Ecce causam exaltationis DEI Matris, intuitu humanæ, qua omnes laboramus, infirmitatis: Vtilitas nostra, necessitas nostra, commodum nostrum, Diuina Bonitas præcipue spectabat, vt pro peccatis nostris, apud Deum, tantò maiori fiducia, intercedendo, vt nobis patrocinareretur, vt nos defenderet ac tueretur, vt non solum temporali, sed & æternæ salutis nostræ, promouendæ, inuigilaret, vt electos ad æternæ Prædestinationis Effectum conducatur. Quæ omnia, & longe plura, diuinam, Virgine Deipara, gratiam, impetrante, præsentis sermone explicamus. Tu O Benedicta Mater nostra, ad te corda nostra attrahe, vt æternæ salutis compotes re ipsa efficiamur. *Exaltata es Sancta Dei Genitrix, super Choros Angelorum ad caelestia Regna.*

I. Causæ Exaltationis Matris Dei.

I. Vt sit propitiatorium humani generis. Exodi. 26.

Præcipiebat Deus olim Moyli in cultura tabernaculi sui, cum alia omnia iam ritè disposuisset: *Pones ergo Propitiatorium, super Arcam Testimonij, in Sancta Sanctorum.* Sic postquam Dei Filius, Ecclesiam suam, iam fundasset, & non solum per Apostolos, sed & Benedictam Matrem suam, quam annis quindecim, post Ascensionem suam, in viuis reliquit, satis superque instruxisset, informasset, confirmassetque, Arca verè animata nostri Saluatoris, benedicta Mater eius, in quam non tabulæ veteris legis, sed ipse Legislator, non corruptibile Manna, sed panis qui de celo descendit; Non virga Sacerdotalis, sed ipse Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, recludebatur, translata est in Sancta Sanctorum, in Tabernaculum cœleste, in eaq; positum

S Ioann. Damasc. Orat. 2. de dormit. Dei. pare. Ica.

positum est Propitiatorium, vt omnes, qui Dei Filium, ob peccata, infensum experiuntur, propitiationem & gratiam, per ipsam valeant obtinere; ideo namque *Exaltata es Sancta DEI Genitrix, super Choros Angelorum ad caelestia Regna.*

Hic ecce tuum, O Propheta Balam impletur vaticinium: *Orietur stella ex Iacob, consurget Virga de Israël, & percutiet Dures Moab, vastabitque Filios Seth: Et erit Idumaea possessio eius, hereditas Seir, cedet Inimicis suis, Israhel vero fortiter aget.* Orta fuit hæc stella ex Iacob, quando miraculose concepta, & sine peccato nata, Virgo benedicta, prodijt in hunc mundum, Confurrexit hæc stella, se seque instar Virgæ erexit, ex omnibus tribubus Israhel, quando in corpore à mortuis resuscitata, gloriose assumpta est in cælum. Percussit hæc virga, potestate sua *Duces Moab, Principes tenebrarum,* quibus in semine suo, caput contriuit: Vastat adhuc omnes *Filios Seth,* omnes hæreticos, qui honorem eius impugnant, vnde Ecclesia eam præconizat: *Gaude MARIA Virgo, cunctas Hæreses, sola interemisti, in vniuerso Mundo.* Et facta est *Idumaea,* hoc est Ecclesia Militans, in terris, ex Idololatriis gentilibus, coadunata atq; collecta, *Possessio eius;* nam omnes eius deuoti Filij, Virginem, vt Dominam, Reginam ac Matrem suam, amplectuntur, suspiciunt, & venerantur. *Hereditas Seir,* male dictum Ignis æterni, superueniet inimicis eius, *Israhel vero fortiter aget:* Electi ad hoc prædestinati, vt olim emenso huius exilij cursu, Deum facie ad faciem, non iam amplius per speculum in ænigmate, videant, fortiter, agent in eius cultu & honore; immò pergent, quidquid obganiant hæretici, *MARIÆ acerrimi hostes: Exaltata es Sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum ad caelestia Regna.*

Volebat olim Dominus Deus, vt Iosue in terra promissionis, gladio parca, ac Filijs Israhel iam distributa,

2. Vt Impleat vaticinium Balam. Numeri. 24.

1

2

3

4

5

6

7

1. Cor. 13.
3. Vt sit Assylum caeleste.

Assyla, Iosue 20. & 21.

Asijla, Ciuitatesque refugij erigeret, & aperiret, ad quæ confugiens, *quicumque animam proximi percusserit, nescius, ita possit euadere iram proximi, qui est ultor Sanguinis illius*: Sic verus Iosue noster, IESVS DEI Filius, cum nos per Iordanem Sanguinis sui traduxisset, & terram promissionis, cœleste Regnum, gladio crucis, & igne amoris sui, acquisisset, postquam primarium Asijlum, præcipuamque Refugij Ciuitatem, benedictam humanitatem suam, ad Patris dextram eleuatam, constituisset, aliud nobilissimum Asijlum, ad dextram Maiestatis suæ, erexit, quando Matrem suam in Throno gloriæ, *super omnes Choros Angelorum* collocauit: Ecce cur Dei Mater cum Anima & Corpore, translata fuerit in cælum: *Exaltata es Sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum ad cœlestia Regna.*

4. *Prænotua sit*
Judith & Hæst-
ber.

Judith. 5.

Heb. 14. & 15

Hæc est *Judith* nostra, pro populo suo, *ab infernali Holoferno* obsessio, admodum anxia & sollicita, quomodo hoste prostrato, ab eius Tyrannide nos eripiat, & in æternæ salutis securitate constitutos, perenni iucunditate cumulet atque perfundat. Hæc est vera *Esther* nostra, interueniens iugitur pro populo suo, placans iram cœlestis Assueri, eamque à nobis, in colla & perniciem inimicorum auertens, atque reflectens. Audite ipsammet vos alloquentem, & causas aperientem, cur assumpta fuerit à Filio, in cælum? Percipite, quid ab eius benignitate ac liberalitate sperare possitis: *In me omnis Spes via & Virtutis: Ego Mater pulchre dilectionis, & agnitionis, & timoris, & sanctæ Spei.* Qui viam ad Filium meum, qui est *veritas & vita* ipsa, nosse desiderat, qui virtutes, quibus veluti gradibus ad ipsum ascenditur, assequi sperat, apud me inueniet, non duram nouercam, sed piam Matrem, quæ filiis à me, quidlibet petentibus aures facile præbeo, ac deuotorum meorum, voluntati subscribo: *Ego Mater pulchre dilectionis; Ego repleo meos deuotos amore Dei & proximi,*

Eccl. 24.

mi, sum *Mater timoris*, imbuo meos clientes, salutari Numinis timore, vt dicant cum Regio vate: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*: Sum *Mater agnitionis* Psalms. 118. & *sancta Spei*, in nulla calamitate meos vnquam defero, aut eos ad me clamantes, absque solatio à medimitto. Quid moramini? quid tergiversamini ad me confugere? Ecce *Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel* & *Ibidem.* *fauum*: *Gustate & videte, quam sim suavis, quam dulcis, quam mansueta*: Eia itaque, *transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini, Venite ad me omnes,* Psalms. 33. Ibidem. Eccl. 14. *qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos*: *Iugum enim deuotionis meæ, Suauis est, & onus meum leue*: Nam labor, nam sumptus, & sudor, qui pro honore meo suscipitur, à Filio meo multipliciter compentatur: Quid aliud desideratis? Ego ero deuotis meis, *Tabernaculum in vmbaculum diei, ab æstu, & in securitatem, & in absconsonem, à turbine & pluuia*. Ego defendam eos, qui se se in tutelam meam recipiunt, ab æstu variarum Tentationum, à periculis, à malis, præsentibus, & futuris: Ego eos ad æternæ felicitatis possessionem, indubitanter promouebo, Ego vobis ante tribunal Filij, diligentissimè patrocinar, & iucundissimam sententiam, à Iudice impetrabo, Fidem vobis facio: *Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: *Ego enim sicut accepi gratiam, in alterutrum illam administro sicut bona dispensatrix, multi formis gratia Dei*. Hæc præcipuà est causa, cur exaltrata sim *super choros Angelorum ad caelestia Regna*. Prov. 8. 1. Petri. 4.

Alloquor itaque te O Serenissima, potentissimaque Regina, verbis S. Patris Augustini: *Ad hanc gloriam tu gloriosa profecta es, vt superno Rege, nihil babeas superius, in supernis: Qua Angelicam transfens dignitatem, vsque ad summi Regis thronum es sublimata. Vbi enim posuit idem Rex Filius tuus, quod ex te suscepit, ibi te posuit Reginam, ex qua suscepit; Nec enim fas est abicubi* II. Testimonia Patrum de Causa Exaltationis eius. Serm. de Assumpt. Deipara

Serm. 29. in
Cantica.

alicubi te esse, quam ubi est id, quod à te genitum est: hinc nos per te hereditamus misericordiam miseri, in grati gratiam, veniam peccatores, sublimia infirmi, cœlestia terreni, Deum homines mortales, vitam & patriam, peregrini: Ecce cur assumpta sit in cœlum: Vnde non incongrue monet S. Bernardus: O homo securum accessum habes ad Deum, ubi habes Matrem ante Filium, Filium ante Patrem, Filius ostendit Patri vulnera & latus, Mater ostendit Filio pectus & ubera; nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot sunt Charitatis insignia. Et verè; quid mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? nonne qui pomum manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte, pomi seruabit odorem? Quantum ergo viscera illa, virtus pietatis affecerit, in quibus nouem mensibus, diuina pietas requieuit? Nam & ante mentem, quam ventrem repleuit, & cum ex vtero processit, ab eius animo non recessit. Ecce denuò causam, cur assumpta fuerit cum corpore & Anima in Cœlum, vt nobis patrocinetur, vt pro nobis omni tempore interueniendo, & materno affectu misericorditer opitulando succurrat: Exaltata es Sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum ad cœlestia Regna.

II. Variæ Virginalis Patrocinijs
Inuocationes à
S. Patribus facte.

I
In Euang. de
Annunc.

2
In Encomio
Deiparæ.

Et vt ulterius procedamus, sic eam inuocat S. Athanasius: Ad te clamamus, recordare nostri, Sanctissima Virgo, que ideo aſtas ad dextram Filij, vt nos audias & exaudias, & pro nobis cum fiducia, interuenias. Retribue nobis, pro exiguis eloquijs magna dona, ex dimitijs tuarum gratiarum, tu qua gratia es plena. Hac eadem de causa: sic ipsam inuocat, S. Ephræm: Sub alis tuis custodi me, O Regina, & protege me, miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quam plurimis, Deum meum ac Iudicem, offendi, ne aduersus me gloriatur Satanas exitiosissimus. Ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne Seruum tuum, à tui spe destitui cognoscam. Non mihi alius portus. O Virgo inuiolata, & presens auxiliatrix. Quid de potissima causa assumptionis Deiparæ, respectu nostri dubitamus? Aduocatam premisit peregrinatio nostra, ait S. Bernardus, qua tanquam
Iudicis

Iudicis Mater, & Mater misericordia, suppliciter & efficaciter salutaris nostræ negotium pertractabit.

Serm. 1. de Assumpt.

Et tam quidem est certum, & indubitatum, hoc Virginis Patrocinium, apud Deum, ut etiam Rabbi Simeon, insignis quidam Hebraicæ ac Iudaicæ Synagogæ Doctor, multo tempore, ante natum Messiam docuerit, *Venturi Messiam Matrem, potissimum pro filij sui sequacibus oraturam quando eos, antequam sistet tribunal. Peiores ergo Iudæis Hæretici, merito censentur, qui nobis, immò Ecclesiæ contradicunt, quæ sic Christum affatur: Idcirco eam de presenti seculo transulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Exaltata es, igitur, O Gloriosissima Dei Genitrix, super Choros Angelorum ad cœlestia Regna,*

III. Rabbi Simeon Iudaicus doctor credidit Virginis Intercessionem In c. 17. Proo. Salomonis apud Galat. lib. 7. cap. 4. de Arcanis.

Aiunt Hæreticæ nostræ, *Credimus quidem MARIAM potuisse pro alijs orare, apud Filium, dum viueret. At nunc dum mortua est, minimè credimus, eam amplius aliquid posse. Mortuæ namque, concessio etiam, quod cum Christo regnent in calis nostræ amplius non curant: Ad hæc facile respondeo: Quid ais? Anne DEI Mater cum Christo regnans, in cælum, cum Anima & Corpore translata, tibi mortua sit? Si Salomon de alijs Sanctis, qui tantum salui sunt, & cum Christo regnant, quoad animam, affirmat tamen: Iustorum anima in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis; Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace: Quantò magis Dei Mater cum Filio, regnans, iam verè viuet, quantò potentior erit ad succurrendū nobis, dum iam Charitas ipsius, ex coniunctione perfecta, cum Deo est completa, & numeris omnibus absoluta?*

IV. Obiectio Hæreticorum soluta atque reiecta.

Sap. 3.

Quæso vos, O Hæretici, obtrectatores, honoris Matris DEI. Annon Angeli præsunt singulis prouincijs, Regnis, Principatibus, Episcopatibus, Parochijs, Ciuitatibus, & Domibus, & singulis Personis? Annon preces nostras Deo afferrunt? Annon pro nobis orant?

Dan. 10. Apoc. 1. 2. 3. Matth. 18. Tob. 12. Luc. 15. Apoc. 12.

Luc. 14.
Psal. 90.
Act. 12.
Ioann. 5.

Annon conuersionem nostram procurant, & de ea gaudent? Annon *Michael Archangelus* & *Angeli eius*, pugnant cum *Dracone*, & *Angelis eius*? Annon in nostris necessitatibus nos eripiunt, liberant, custodiunt? Annon *S. Petrum* è *Carceribus* educunt? Annon *Angelus Piscinæ probaticæ*, motione, ægrotos sanabat? Annon morientibus assistunt, vt *Lazaro mendico*, è *uiu*is excedenti? Hæc omnia valeant, hæc possint *Angeli*; valeant, inquam, effecta dare serui, apud *Regem*, *Intercessione*, *Patrocinio*, *ope*, *auxilio*, *interuentu*, *succursu*; *Orcs stupenda*. *Mater Regis Angelorum*, & ipsa *Regina*, & *Domina Angelorum*, & *gratia* & *gloria sublimata*, *super omnes Choros Angelorum*, minus possit, quam ipsimet, serui? Vbi hic ratio? Vbi discursus? Dixit *Christus* de alijs *Beatis*: *Erunt in caelo, sicut Angeli DEI*; Si sicut *Angeli DEI* in caelo, alij sancti; Annon magis, annon plus poterit, ipsa *Regina*, non solum *Sanctorum*, sed & *omnium Angelorum*? Nulli sanè *Angelorum* vnquam dixit: *Mater mea estu*; dixit autem *MARIE*, quæ *Mater eius* verè fuit. Quidni plus seruis *Mater* præpolleat apud *Filium*?

Luc. 20.

V. Regina in
Regno Filij.
3. Reg. 2.

Esai. 49.

Cogitate eam esse *Augustissimam Reginam*, in *Regno Filij*, quid non possit apud *Filiam*, in *Filij Regno*, *Mater Regina*? Si *Matri suæ* iuxta se *sedenti*, in *Regio Throno*, *Salomon* dixit: *Pete à me Mater mea, non enim est equum, vt auertam faciem tuam*. Quanto minus *DEI Filius*, *Charissimæ Matri suæ* quid abnuet, aut negabit? *Salue*, ergo *Regina*, *Mater misericordie*; si non solum *Regina*, sed & *Mater*, immò *Misericordie Mater*, quomodo *filiorum*, *curam* deponet? *Nunquid potest Mater obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui*? Multo minus *pijsissima Mater illa miserorum mortalium*, *Clientum suorum* obliuiscetur. *Eia ergo aduocata nostra*, *illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*, *nostræque salutis negotium*, *fideli-*

ter

terapud eum tractare, non desine, vt qui nostræ Iudistiæ fiduciam non habemus, merito & interuentu, atq; optulatu tuo, ad optatissima Conciuium Supernorum consortia, euehamur. Ideo namque *Exaltata es super Choros Angelorum ad caelestia Regna.*

Ratum habetore, Virginem Deiparam in cælum assumptam, non solum singulis fidelibus separatim, sed & vniuersæ Ecclesiæ Patrocinium suum benignissime exhibere: Vultis intelligere, quomodo Vniuersalem Ecclesiam, iuuerit? Id ex historijs Ecclesiasticis, aperte constat: Cum Pauli Samosatheni hæresis, Arrianæ impietati affinis, longe lateque pullularet, Beatissima hæc Virgo, vna cum S. Ioanne Euangelista, apparuit S. Gregorio Thaumaturgo, & quæ nam Catholica veritas esset, de diuinitate Filij sui, eidem aperuit & manifestauit, iussitque vt illam omnes edoceret, vt suum ac sui Filij hostem, euerteret; eique in signum tradidit formulam Professionis, veræ Catholicæ fidei, qua mediante, deinceps Vir Sanctus, innumerabiles in fide constabiliuit,

Annon succurrit toti Christianitati tempore S. Basilij Magni, cum *Iulianus Apostata*, Christianam Religionem, penitus excindere, in animum induxisset? Nam S. Basilio Cæsareæ in Cappadoeia, in Ecclesia DE I MATRIS cum populo suo ieiunante & orante, visa est, pro fidelibus Filium suum interpellare, & eo exorato, S. Martyrem Mercurium, cuius corpus in illa Ecclesia quiescebat, & arma asseruabantur, ad Iulianum, tum in castris contra Persas degentem, mittere, vt hostis interficeretur. Eadem hora, vt visio comprobaretur, sacrarium iustratur, & Arma Martyris abesse, sed paulo post adesse, reperiuntur, hasta quidem cruentata, apparente. Comperit non ita multo post, eadem hora, Iulianum, ab

III. *Virginis Intercessio Historijs probata.*

I. *Succurrit Ecclesia Orientali.*

1. *Extinguit hæresim Pauli Samosatheni.*

Gregor. Nyss.

sen. in vita

Thaumaturgi.

Euseb. lib. 7.

hist. cap. 22.

Basil. in Epist.

ad Gregor.

Nyss. Niceph.

lib. 6. cap. 17.

2. *Iulianum*

Apostatam e medio tulit.

Amphiloch. in

vita S. Basilij.

ignoto quodam equite, qui postea non amplius comparuisset, miserimè interfectum.

3. S. Ioannem
Chrysostrum
& S. Cyrillum
reconciliat Ni-
ceas Choniatres
lib. 4. cap. 28.

Annon succurrit Ecclesiæ, maiorem in modum turbatæ, tempore S. Ioannis Chrysostrum? Dissentiebant inter sese, Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ Episcopi, ob eiectum S. Ioannem Chrysostrum in Exilium; vigebat perniciosum, inter utrosque, dissidium, alios alijs excommunicantibus. Cyrillus insuper Patriarcha Alexandrinus, Ioanni Chrysostrum præcipue infensus erat, licet alias deuotissimus cultor esset, & Encomiastes Beatissimæ Virginis Matris. Apparèt ergo Beatissima Virgo Cyrillo, seruo suo, corripit eum, & reprehendit, monetque vt innocentem Chrysostrum, defendat. Efficit is protinus, autoritate sua, vt pax Ecclesiæ paulò post redderetur, & Christi fides longe lateque propagaretur.

4. Ecclesiæ opem
tulit Copronij-
mo & Leone
Armenio Iconoclastis
var. ss. Tom. 2.
Sana.

Annon succurrit afflictæ Ecclesiæ, cum ab impijs-
simis Tyrannis, Constantino, Copronymo, & Leone
Armenio Iconoclastis; sædè laniaretur, ita vt non solum
Reliquias, & Imagines Sanctorum proculcarent, sed &
omnem Deiparæ Virginis honorem abrogarent? Nam
Beatissima Dei Genitrice, quod plurimis pijs & Sanctis
viris reuelatum fuit, pro fidelibus supplicante apud Fi-
lium, Copronymus celesti vindicta correptus, cum aper-
te fateretur, se iam viuum gehennæ flammis inuisibili-
ter excarnificari, eò quod Reginæ Virginum, honorem,
adeo atrociter læsisset, desperatus obiit. Mater vero Leo-
nis, qui & ipse similis Tyrannus erat, vidit in somnis, ac
si Deipara in æde, Constantinopoli, in Blachernis ei de-
dicata iuberet, vt ei propinaretur de Vase cruoris, Eccle-
siæ pauimentum, cooperientis: quod cum illa auersaretur,
dixit Regina Virgo: *At qui filius tuus, haud finem facit,
persequendos illos, qui me colunt, & sanguinem eorum profundere*

non cessat, ideoque iram meam breuis sentiet: Etece post paucos dies, Leo in sanguine suo extinctus periit.

Annon Ecclesiam in Occidente mirabiliter iuuat, quando Fridericus secundus Imperator, nihil non agebat, vt Sedem Diui Petri, ferro flammaque vastaret & Oriens totus, ferè, à vera Apostolica Dei Ecclesia, esset alienus: Et Saladinus Rex Syriæ, ibidem Christianorum Exercitum ad interuersionem deleuisset? Vidit tunc S. Dominicus sub oratione raptus, in extasin, Christum humano generi atrocissime minitantē, fulmina; complura horribilia, manu vibrantem, & cælicus, in homines peccatores, detorquere, iam iam volentem. Sed MARIAM Dei Matrem, protinus Christo supplicantem, rogasse per Vulnera & Sanguinem eius, per Vbera sua, ex quibus ipse materno lacte pastus esset, per amorem, quo ipsam perpetuò prosequeretur, vt iram deponeret, & humano generi placaretur: Quod & factum est, vt visio non friuola indicauit; Nam illico secuta est vbiq; maxima in Ecclesia tranquillitas; Hæretici Albigenes exterminati sunt, Prussia, Liuania, Lithuania, Christianam fidem & Baptismum receperunt, Mahumetani ex Hispania depulsi, quæ res fidem Christi longè lateque propagandi, occasionem subministravit.

Annon succurrit toti Ecclesiæ, sub Henrico IV. Imperatore, grauiter fatiscenti, circa annum Domini 1117. cum maxima vbiuis signa fierent, quæ imminentem Dei vindictam portendebant: Inundationes nempe, quæ integras vrbes euerebant, & absorbebant; Terræ motus ingentes, Varia Monstra; Fluuij murorum instar sese erigentes; pluuia sanguinis; armorum strepitus in aère; Nauigabilium exiccatio fluuiorum; Indictis ergò per totam Italiam Ieiunijs & supplicationibus, Cremonæ, infantulus recens natus, in cunis iacens, loqui cœpit: Vi-

11. Succurrit
Ecclesia Occi-
dentali.
1. Sub Frideri-
co II. Theodori-
cus in vita S.
Dominici apud
Suriam.

2. Sub Henrico
IV.
Sigbertus in
Chronico. Be-
zium lib. 24. de
signis Ecclesie
cap. 5.

disse se in cælo DEI Matrem, coram Tribunali Christi, instantissimè supplicantè pro genere humano, ne grave illud Iudicium, quod ob hominum, peccata, constituerat in homines, Iustus Iudex, cum omni sua Iracundia, & vindicta, effunderet & exerceret. Quo dicto, obmutuit iterum, & loquelam deposuit, vsque ad tempus, à natura definitum: Sensit fanè tota Ecclesia, non multò post, supplicationem, Virginis, haud irritam fuisse, cum celsantibus malis, omnia dissidia, inter Pontificem & Imperatorem, componerentur.

3. Modernum
tempus Intesti-
no bello tota
Germania fla-
grante.

Quid de modernis calamitosissimis temporibus dicam? Ego mihi firmiter persuadeo, totam Germaniam, pessum ituram fuisse, ni DEI Mater Patrocinio suo, eam conseruasset: Quis enim *Palatinum perduellem, pijsissimi Cæsaris Ferdinandi II. Iuratissimum*, hostem triplicem, à sacro eius Capite, Coronam, violenter abstrahere fatagentem, *prope Pragam*, adeo mirabiliter vicit, fudit, superauit, in exilium eiecit? haud dubiè, Patrocinium, Beatissimæ DEI Genitricis MARIÆ, sub cuius auspicijs, *Serenissimus Bauaria Dux & Elector Maximilianus*, prælio cum

1. Serenissimus
Dux Bauaria
Electo, Bea-
tissima Virginis
Victoriam par-
tam transcribit.

2. Vnio Calui-
niana in nihilò
redacta.

hostibus inito, triumphauit. Quis *Vnionem illam Caluinianam*, quæ planè inuincibilis vulgo existimabatur, & insuperabilis, Palatino ex asse deuota erat, in puluerem atque in nihilum plane redegit, & velut aquaticam bullam difflauit? Beatissima & Gloriosissima Virgo MARIÆ, *omniũ HÆRESVM INTEREMPTRIX*. Quis tot victorias optimo Cæsari contra alios Rebelles procurauit? Eadem *Serpentis Infernalis victrix*. Quis nouum illud, cum *Caluinistarum*, cum quorundam *frigide Catholicorum Principum fedus*, contra Ius & rationem initam, mox dissipabit? Illa ipsa Virgo, deuotorum Clientum suorum, ac totius Ecclesiæ, feruentissima, & benignissima Proteatrix: Nec dubitate dilecti, Virginis Cultores, sicut to-

3. Multa Victo-
ria parata.

4. Anglicum
& Hollandicis
sedus.

eius Ecclesiæ, ita propriæ vniuscuiusque salutis, solertissimè inuigilabit, dummodo eius tutelæ, vos fideliter, mancipetis.

At igitur, O gloriosissima humani generis Patrona & Protectrix, vnicè flagitamus, vt sicut vniuersalis per orbem diffusæ, Ecclesiæ, tutelam semper exercuisti; ita & nos omnes & singulos, Materno amore tuo, complexa in viam salutis dirigas, & ad æternæ prædestinationis effectum, fortiter omnia suauiterque disponens, perducas. Amen.

S E R M O X.

Deipara Virgo est in summa gratia, apud Deum, vt valeat pro alijs orare & exaudiri à Deo promereatur.

Exaltata es Sancta Dei Genitrix, super Choros Angelorum ad caelestia Regna.

Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate. Psalm. 44.



Vemadmodum ignis, quantò sæpius insufflatur, tantò vehementius accenditur: Sic etiam Virginis deuotio, quantò sæpius de eius patrocinio agimus, tanto vberius corroboratur: Quia igitur Sermonibus præcedentibus probatum dedimus, contra Hæreticos, Virginis Patrocinium & intercessionem apud Deum pernegantes, ipsam cum corpore & Anima pariter, assumptam esse in cælum, ibidemque gloriose cum Filio suo, regnare, & summa eius gratia in cælo

cælo perfrui: Aggrediamur nunc *primum Fundamentum*, in quo eius Patrocinium & Intercessio pro nobis, consistit: Et quod nam istud? *Eam in summa gratia esse apud Deum*. Ad hoc enim, ut aliquis pro aliquo apud Principem intercedere possit, eique in necessitatibus patrocinari, ut sic in eius gratia est necessum; alioquin à limine illico repellitur, & nihil impetrabit. Eodem modo Sacratissima Virgo, ut pro nobis intercedere possit, oportet, ut sit in gratia apud Sanctissimam Trinitatem; quam eius gratiâ, ut præsentī sermone demonstramus, Tuam O Virgo Mater, opem & assistentiam imploramus: *Exaltata es Sancta DEI Genitrix, super Choros Angelorum ad celestia Regna*.

I. An Beatissima Virgo sit in gratia apud Deum. Quodita x. Probatum e scripturis.

Genes. 26.

Exod. 32.

Baruch. 3.

In quæstionem igitur venit; Num Beatissima Virgo, in gratia sit apud Filium & Sanctissimam Trinitatem? Est haud dubie, & quidem in tanta gratia, quantum nulla vnquam pura, nec Angelica creatura astiterit apud Deum: Nam si Patriarchæ veteris Testamenti, dum adhuc essent in limbo, in tanta gratia erant apud Deum, ut ipsorum intuitu Deus etiam posteris eorum beneficeret: Deinde Deus ad Isaac inquit: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, propter Seruum meum Abraham*, qui iam pridem mortuus erat, & in limbo degebat; Et in Exodo, irato Deo proponit Moyses: *Recordare Abraham Isaac, & Israhel Seruorum tuorum*: Et paulo post sequitur: *Placatusque est Dominus, ne faceret malū, quod locutus fuerat, aduersus populum suum*. Quanto magis, Regina ac Domina Patriarcharum, cum Filio regnans in cælo, gratia & fauore apud Deum florebit? Sic Baruch Propheta, ad Dominū orat: *Domine omnipotens Deus Israhel, audi nunc orationem mortuorum Israhel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te*; Vbi flagitat, ut Abraham, Isaac, Iacob & Ioseph, alijque Patriarchæ, pro posteritate sua, totoque Israëlitico Populo

pulo, qui adeo grauiter in Deum peccauerat, exorare dignentur, vt illorum intuitu, & intercessione, lapsis ignoscat. Quod si eos, in tanta gratia esse existimat, licet nec dum in cælo existentes, diuinamque faciem contemplantes, limbi carcere adhuc detinerentur, nihilominus tamen illorum respectu, posteris parceret, ignosceret, illorum delicta minime castigaret: Annon magis in gratia, Dei erit Mater, cum Filio gloriose regnans, atque triumphans? *Aue igitur gratia plena Dominus tecum: Exaltata es enim super Choros Angelorum ad cælestia Regna.*

Sic enim de alijs Sanctis, asserit David: *Mibi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum, in Regno tuo cœlesti, ad quod assumpsisti eos; quanto magis honorificata fuerit, Mater, quanto robustius ac firmitus, confortatus fuerit eius Principatus? Immo & Regnum eius, in quo vt Regina assistit Filio suo, à dextris, in vestitu deaurato, varietate circumdata; quanto gloriosus auctum & stabilitum? Et quidem, eo ampliori dignitate cumulatum & exaltatum, cum Filius eius, de ipsius Regia dignitate, per os Davidis prædicat: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis; Id est, Regia dignitas eius, splendorem suum, sicut sol, nunquam amittet; Et sicut Luna perfecta, & plena, splendorem suum à sole, demutuatur: Sic Mater mea, Regiam Dignitatem à me accipiet, perpetuaque possessione retinebit: Et hæc eius dignitas, testis in cælo fidelis & omni exceptione maior erit, summa sacrosanctæ Trinitatis, eam præ alijs omnibus puris Creaturis, gratia potiri.**

Et quid ni sit in gratia apud Deum? Quo maius est meritum, hominis apud Deum, eò maiorem sibi conciliat gratiam. Cuius vnquam meritum, excessit meritum Matris DEI? Ne hominis vilius, nec Angeli, nec Ar-

2. Ab honore aliorum Sanctorum Psalm. 138.

Psalm 44

Psalm. 88.

3. A magnitudine meriti Virginis.

Prou. vi.

Sap. 7.

Cant. 4.

Hest. 5.

Simile

Luc. 1.

II. Patrum Te-
stimonia. Eccle-
siast. Hierar-
chia cap. 7. par.
1.

Serm. de obitu
Hilcherri.

changeli: *Multæ Filia congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas: Multæ animæ sanctæ, magni meriti apud Deum extiterunt, tu omnes superasti, vnde in maiori apud Deū gratia fuisti, quam vlla Creatura. Nec mirum: Tu enim candor es lucis æternæ, & speculum omnis Sanctitatis sine macula. Tu tota pulchra es, & macula non est in te;* nullius peccati culpa, quod soli homini gratiam, aut imminuit, apud Deum, aut tollit, in te reperitur: Vnde sicut Rex Assue- rus, auream virgam, quam manu gestare solebat, in signum clementiæ Reginæ Hester protendit: Sic & Deus gratiam suam in te copiosissime cumulatiſſimeque profudit: Nam si tibi, nec dum in DEI Matrem exaltatæ Angelus affirmavit: *Aue MARIA gratia plena: Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Dominum: Ecce concipies & paries Filium:* Quanto magis in gratia extiteris, postquā Filius tuus, nomen mensibus, in vtero tuo corporaliter, requieuit? *Ecce præter has omnes prerogatiuas exaltata es super Choros Angelorum ad caelestia Regna.*

Quod si Dionysius Arcopagita, de alijs ex hac vita emigrantibus, Sanctis, Dei amicis asserere non dubitat: *Norunt profecto, se totos in singulari gratia Dei, positos, ac percepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cum ad presentis vitæ finem, peruenierint, viamque ad immortalitatem suam, à vicino, iam clarius intuentes, diuinitatis laudant munera diuinæq; gestiunt lætitia, non iam ad deteriora, conuersionem metuentes, sed parata bona, se firmiter, perpetuoque habituros, probe noscentes. Quanto magis re ipsa, intuentes vultum DEI, facie ad faciem, erunt in gratia DEI? Side pio quodam viro, B. Pater Bernardus, per Apostrophem asserere non dubitat: *Ecce coram te est Pater dulcissime, fons ille puritatis, quem tanto ardore sitiebas; Ecce immersus es in illam, Diuinæ pietatis abissum, cuius memoriam abundantis suauitatis, tam deuote eructare solebas, iam cum coregnas in calis, quem in terris, & sincere ama-**

sti, &

si, & ei fideliter inbasisti. Annon, quibus Sors ista contingit, sint in gratia DEI? contingit autem omnibus planè beatis, & quanto magis benedictæ Virgini MARIÆ, Matri DEI, *Reginæ Angelorum*, cum corpore & Anima translata in cælum? Quis ergo indubium reuocet, eos esse in gratia DEI? Et quancò magis Mater Dei, præ alijs sanctis? *Aue igitur gratia plena, Dominus tecum: Exaltata es enim O Sancta Dei Genitrix, super Cboros Angelorum ad caelestia Regna.*

Recte igitur Andreas Cretensis Deiparam vocat: *Diuinum, inter Deum & homines, conciliationis perfugium, & thesaurum vite immortalis:* Non immerito asserit S. Augustinus: *Facta est MARIA, scala caelestis, quia per ipsam, Deus descendit ad terras, ut per ipsam, homines ascendere mereantur, ad calos.* Summo Iure hoc encomium, ei tribuit S. Bernardus: *Virgo Regia, est via, per quam Saluator ad nos aduenit: Tenentes ergo viam, studeamus & nos dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam, ad nos descendit, per eam venire, in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit.* Et rursum *Si quid spei in nobis est, si quid gratis, ab ea nouerimus redundare, quæ delitijs affluens, gloriose ascendit in calum:* Et si quidem res ita habet, nemini dubium esse potest, quin sublimissimè, Diuini Numinis gratia perfruatur: *Aue igitur gratia plena, Exaltata enim es, sancta Dei Genitrix, super Cboros Angelorum ad caelestia Regna.*

Considerate obsecro, Signa, ex quibus humanitus constat, terrenum apud Principem, gratia, quem pian alijs præpollere, & sole clarior apparebit, num Beatissima Virgo, iu gratia sit apud Deum constituta: Signum est aliquem in Principis esse gratia, si Princeps crepro eum, ad alloquium suum admittat: & Mensæ suæ quotidie assidere permittat: Quod si Christus Dominus tam amplis remunerationibus, alijs seruis suis, fidelia eorum, obsequia, & seruitia sese repositurum pollicetur: Vos

2. Salus per Virginem speranda
assequenda
Orat. in salut. Angelicam.
Serm. 11. de Natiuit.

Serm. 2. in aduentu Domini de verbis Esaia
Pete tibi signum.
Serm. 7. super Missus.

III. Signa gratia apud Principem.

1. Mensa communio.

Luc. 12

estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis Regnum, sicut disposuit mihi Pater, ut edatis & bibatis, su-

Ioann. 19.

per mensam meam, in Regno meo, quanto familiarius, aget

cum charissima Matre sua, quæ in nulla eum tentatione,

nec in fuga in Ægyptum, nec sub cruce, vnquam deser-

uit aut reliquit, quanto principalius, eam, in capite cæ-

lestis mensæ, in optima gaudiorum, cælestis Patriæ por-

tionem, vbi ipse transiens, Beatissimis ministrat, vtrique collo-

cabit? Si alijs Sanctis promisit: Vos amici mei estis si fecerit-

is qua precipio vobis: Quanto amicior erit, Mater ista, Fi-

lio, benedicto, quæ eius voluntati, ne in minimo quidem

vnquam, rebellauit aut restitit: quinimò, omnes co-

gitationes, verba, opera, intentiones omnes, semper ad

Filij beneplacitum direxit? Eam igitur in gratia apud

Deum esse, nemini veniat in mentem, dubitare: Ave

igitur gratia plena Dominus tecum; Exaltata es enim S. Dei Ge-

nitrix, super choros Angelorum ad cælestia Regna.

Luc. 17.

Ioann. 15.

2. *Larga don-*
ationes.

Signum gratiæ apud Principem, vulgo censetur, si

multa cuiquam donet, si eum exalter, & præ alijs hono-

ret: Annon DE I Mater præ omnibus hominibus, à Deo

honorata est, dum ex ipsa sola, Dei Filius Carnem nostrâ

assumpsit? Annon ei summa gratiæ & beneficentiæ suæ

munera, ac priuilegia concessit? Ipsa id vltro fatetur: quis

ambigat? Quia fecit mihi magna, inquit, qui potens est, &

sanctum Nomen eius: Magna ei dona ac priuilegia conces-

sit, in gratia huius vitæ, magna in gloria, perennis illius

Patriæ: Quis ergo gratiam anxie flagitet, aut quæritet,

in omni gratiæ, perenni scaturigine, & viuo fonte? Ave

Luc. 11.

3. *Principis*
mandato à sub-
ditis honoran-
das.

Signum gratiæ apud Principem est, si Princeps exigat,

vt is quem amat, à subditis suis honoretur, sicut contigit

Iosepho, quem Rex Pharao: Mardocheo, quem hono-

rari

rari voluit Rex Assuerus; Et Danieli, quem obrevelationem & explicationem somnij, honoravit Rex Nabuchodonosor: Annon vult Dei Filius honorari Matrem suam? Adorant eam & venerantur, *Angeli & Archangeli, de Reginam suam*, eique homagium præstantes, ad nutum, omnia quæ præcipit, exequuntur: Respiciunt in eam *Che- rubin & Seraphin*, vt in Matrem Regis & Creatoris sui, eiusque dignitatem ac Maiestatem, vt S. Patres loquuntur, perpetuis laudum encomijs prosequuntur. Honorant eam, vt Dominam & Reginam suam, omnes *Patriarchæ, Propbeta, Apostoli, Martyres, Confessores & Virgines*, in Ecclesia Triumphanti. Tota similiter *Ecclesia Christi Militans*, in terris, eam vt Reginam, Matrem & Patronam, & Ad-uocatam suam, apud DEVM quotidie inuocat, & eius o- pem implorat. Dubitet ergo, qui sine ratione ac funda- mento, dubitare non dubitat, eam esse in summa apud Deum gratia: *Aue gratia plena Dominus tecum: Exaltata es Sancta DEI Genitrix, super choros Angelorum, ad caelestia Regna.*

Sephoris. Sermon de Assumpt. Illustrius Serm. 3. Assumpt.

Signum gratia apud Principem est, ei familiarem esse, & cum ipso semper inueniri: Quis in hac vita frequen- tius, cum Filio Dei fuit inuentus, ac Mater eius benedicta? Cum Filio reperitur *in Incarnatione*; cum eo inuenitur *in Natiuitate à Pastoribus & Magis*; Cum Filio reperitur *in Fuga in Ægyptum*, cum Filio inuenitur *in reditu ex Ægypto*: Cum Filio inuenitur *sub Cruce*; Cum Filio inuenitur *in eius ascen- sione*: Quidni cum Filio iam reperiatur in cælo? *Astitit*, inquit Dauid, *Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circum- data varietate: Aue igitur gratia plena Dominus tecum, Exal- tata enim es super Choros Angelorum ad caelestia Regna.*

4. Familiaritas Cum Princip.

Luc. 1. Luc. 2. Math. 12. Ioann. 19. Psalm. 44.

Memorat S. Ambrosius, de S. Agnete Virgine & Martyre, cum iam varijs cruciatibus atque tormentis, fortiter superatis, effuso sanguine, Martyrij palma inde- pta, in cælis coronata triumpharet, parentibus, ad eius

IV. Historia. Serm. 90. de Sanctis.

sepulchrum incessanter fientibus, amictu, instar solis splendente, conuesticam, eximioque Virginum pulcherimarum Choro, circumdatam, & agnellum niuei candoris dextro brachio gestantem, apparuisse, ac simul etiam, in hæc verba monuisse: *Ne me parentes mortuam lugatis; vna cum his Virginibus, viuo apud illum in calis, quem in terris posita, tota mente dilexi.* Si ergo S. Agneti, à Sponso suo, Christo Domino, pro cuius amore vitam posuerat, gratia ista, in cælo est collata, vt in Societate sacrarum Virginum, Verum Agnum Virginis Filium, cuius simulachrum in brachio gestabat, incessanter sequi, & in eius obtutu & oculis, perpetuo versari concedatur; An ille idem Virginis Filius, gratiam quam famulæ concessit, Charissimæ Matri suæ denegabit? Quid enim talis Filius, tali Matri negare aut velit, aut possit? Apage incredulitas, quæ Virginis gratiam, atque fauorabilem familiaritatem, in dubium reuocare conaris: Ecce O Regina nostra: *adstans à dextris Filij Regis Potentissima Regina, & Augustissima totius orbis Imperatrix, Ave gratia plena Dominus tecum: Exaltata es super Choros Angelorum ad celestia Regna.* Visus est Pius II. Pontifex Maximus, à sanctissimo quodam Camaldulensis Eremitæ incolæ, splendidissimo ornatu, & Angelorum ac cælestis Patriæ conciuuium, festiuo comitatu, in cælum deduci, & Christo Domino magnificè offerri ac præsentari, è cuius illico manibus, triplex ei aurea Corona, triplicis Victoriæ meritum, imponi, Et matri similes, immo longe gloriosiores, ob perfectissimè triumphatum, Mundum, Carnem, Dæmonem, Coronæ denegatæ fuissent? Alexander B. Mechtildis frater, Regis Scotiæ filius, ab ægroto, ad eius tumulum, orante, Monacho, visus est, duas coronas, vnam in manibus, alteram in capite gestare; rogatus quid vtraque significaret? *Corona, quam gesto in manibus, respondebat, mihi data*

2. Pius II. Pontifex.
Ioann. Anton. Campanus In
vita.

3. Alexander,
frater B. Mechtildis.
Thom. Cantip.
lib. 2. Apum.
cap. 10. §. 4.

data est, pro Regno temporali, quod Dei causa reliqui, & contemp-
psi: Quam gesto in capite, communem cum alijs sanctis accepi: Et
ut tibi fidentius in hac visione credatur, secundum fidem tuam sa-
nuseris, ab omni incommodo; quo torqueris: Et Augustissima
hominum & Angelorum Regina, à simili gratia exclu-
datur? absit blasphemix tali fidem exhibere, quin tu po-
tius, *Aue gratia plena, exaltata es super choros Angelorum ad ce-
lestia Regna.*

Quod si Miracula, quæ mediante Sanctorum inter-
cessione, fiunt, sunt apertissima signa, & Argumenta,
eos apud Deum viuere, & in eius gratia florere; Nemo e-
nim potest hac signa facere, nisi fuerit Deus cum eo, Deiparam,
Matrem, in summa certe, Dei gratia esse, oportet, ad cu-
ius vel solam inuocationem, passim per totum Mundū,
tot miracula contingunt. Perlustrate vniuersum Chri-
stianum orbem, nulla est Natio, nulla Prouincia, nullum
Regnum, nullus Principatus, in quo non sit Ecclesia, Deipa-
ræ Virginis, erga ipsius Inuocatores, miraculosis benefi-
cijs, illustris: Sola vobis Ecclesiæ Virginis Deiparæ
Weyerensis, Miracula, in mentem reuoco: Quot ibi à
sauiissimis morbis, & ex ipsis quodammodo, mortis fau-
cibus erepti! quot à grauissimis periculis liberi? Quot
à mortuis, sola Virginis ope reuocati? Quin inamò, ne
longius abeamus, plurimi vestrum, qui ante hanc ipsam
Virginis Imaginem, Virginis in cælo regnantis, opem
implorastis, eius interuentum, beneficentissimumque
Patrocinium, multipliciter estis experti: nec dubitate,
quo deuotius, Beatissimam Virginem, per hanc eius
Imaginem honoraueritis, tanto plura, ipsa apud Deum
impetrante, beneficia, cœlitus accipietis.

Nos ergo, O *Gloriosissima Regina*, qui de tua apud
Deum, singulari gratia, ne hilum quidem dubitamus, te
cum S. Augustino, toto cordis affectu, omnes & singuli
inuoca-

*V. Miracula ad
Virginis Inter-
cessionem.
Ioann. 3.*


*2. Miracula
Virginis Deipa-
ræ Weyerensis.*

*Serm. 2. de
Annunc.*

inuocamus: *Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus, super caelorum peregrinis; Et cum te let autem semper aspicias, fletus nostros quæsumus ipsa ad Deum proferas, eumque, ut proprium Filium, pro nobis interpelles. Nos cum S. Anselmo tibi omnes & singuli supplicamus: Subueni nobis O Domina, Pijissima, & non considerata peccatorum nostrorum multitudine, velle tuum, ad miserendum nobis inspecte. Tibi erga nos commendamus, tu procura ne pereamus. Pie Domine, parce Seruo Matris tua; Pia Domina, parce Seruo Filij tui. Et cum S. Ephræm, te deuotissimè obsecrando, concludimus: Adsis mihi semper Virgo Misericors, clemens & benigna, in presenti quidem vita feruens protectrix & auxiliatrix, hostiles impetus repellens, & me deducens ad salutem: ac in supremo vitæ momento, miseram animam meam, conseruans, & tenebrosos, malorum Demonum aspectus, ab eo remouens, & procul abigens. In terribili autem die iudicij, ab æterna damnatione me liberans; postremo inaccessæ Filij tui gloria, hærcdem efficiens, gratia & miseratione eiusdem Filij tui, qui est benedictus in sæcula. Amen.*

*Lib. de Excell.
Virg. cap. VII.*

In orat. de laudibus Dei Matris.



S E R M O XI.

Gloriosissimam Virginem nosse quid nobis desit; audire quoque & se inuocantes eorum preces exaudire.

*Regem in decore suo vident oculi eius, cernunt terram de longe.
Esaia. 33.*



Vo infensus, quo acerbius, Moderni Hæresiarcha, honorem ac Patrocinium Gloriosissimæ DEI Genitricis, impugnatum, ac penitus euersum, & stirpitus euulsam eunt, tanto alacriori animo

mo, atque industria, æquum est, ut nos, eius devotionis homagio peculiariter addicti, Clientes eius, Dignitatis ipsius Amplitudinem tueamur, propugnemus, ac defendamus: Declarato itaque Virginis Deiparæ favore & gratia, quam habet apud Deum, sequitur ut exploremus; an sciat quid nobis desit? An audiat preces nostras & petita concedat! Annue Virgo gloriosa, ut & in isto Patrocinijs tui fundamento, filij tui, gratia opitulante, veraciter instruamur.

Negavit istam scientiam, Sanctis & Matri Dei etiam *impieus Vigilantius*, teste S. Hieronymo; Negarunt etiam *Waldenses* Hæretici, teste Guidone Carmelita, & Nicolao Aimerico. Negavit omnium pertinacissimè *Martinus Lutherus*, quem in hoc errore & hæresi, omnes Lutherani & Calvinistæ discipuli Magistros sequuntur. Sed quoniam fundamentum niteris mi Luthere? Loco illo Salomonici Ecclesiasticis: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio neque scientia erunt apud Inferos quo tu properas.* In quæ verba impius Lutherus: *Videtur Salomon, mortuos sic dormire, ut prorsus nihil sciant, & plane credo non esse in scriptura locum fortiorem, pro mortuis dormientibus, & nihil intelligentibus rerum nostrarum, contra Sanctorum Inuocationem, & purgatorij fictionem.* Nulla est, inquit Salomon, cogitatio, ars, scientia, cognitio, sapientia: *Sensit ergo mortuos omninò dormire, & nihil prorsus sentire: iacent ibi mortui, non numerantes dies & annos, sed excitati, videbuntur sibi, vix momentum dormisse.* O Impie sacræ scripturæ Violator & adulter. De sepulchro loquitur Salomon, quando post mortem, anima à corpore separata, iam extra terminum viæ & vitæ huius, veluti mercatu transacto, non habet amplius occasionem, ansam aut facultatem, aliquid boni, aut statuendi, aut operandi. Ecce nullam plane mentionem Sanctorum facit, Salomon, quid ergo nugaris?

1. Impugnatorum Patrocinijs Virginis.

Cap. 3. contra Vigilantium Guido de Waldensibus.

Ecclesi. 9. In cap. 9. Ecclesiasticis.

Epist. ad Ephordenses.

Epist. ad Georg. Spalatinum.

Lib. de preparat. ad mortem.

2. Lutheri fundamentum stramineum, pensum reiectum.

Sap. 3.

Annon alibi expressè te confundit, asserens: *Iustorum anime in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitia: Vise sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace: Et non solù Deum vident, facie ad faciem, sed & omnia norunt, quæcunque in cælo, vel in terra, nosse desiderant. Ignoras quid de Sanctis in cælo cum Deo regnantibus, docet Esaias Propheta? En tibi eiusmet verba, sine fuce & omni colorata larua: Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiã ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum: Iste in excelsis habitabit, munimenta Saxonum, sublimitas eius panis ei datus est; aqua eius fideles sunt. Regem in decore videbunt oculi eius, cernent terram de longe. Quid est Regem videre in decore suo? annon videre Deum facie ad faciem? Quid cernere terram de longè? annon scire quæ in terris aguntur? annon audire, quæ ab ipsis petuntur? Id si affirmet Propheta, de alijs Sanctis, quantò veracius de Sanctorum omnium Regina? Regem in decore suo vident oculi eius, cernunt terram de longe.*

Esaiæ 33.

NB

3. Ab Adami scientia in statu Innocentia.
Gen. 2.

Psalm. 35.

Nam si Adam, in statu Innocentiæ, speciali DEI gratia, cognoscit omnium rerum naturalium naturas & proprietates, vt vnamquamque proprio suo nomine, appellaret. Nec latuit eum, quid Eva in Somno profundissimo, diuinitus immisso, è costa sua formata, significaret: Quanto magis beati, in statu completæ beatitudinis, intellectu lumine gloriæ illustrati, & ad conspiciendam Diuinam Essentiam, eleuati, de quo Mysterio David: *Domine apud te est Fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen*, in lumine, inquam, vulcus tui videbimus aliud lumen, id est scientiam, omnium Creaturarum, quanto, inquam, magis, quanto præstantius, beati cognoscent omnia naturalia, & quæcunque in terris sunt? Idque tanto excellentius, quanto securior, quanto præstantior, quanto

quanto felicior est, beatorum status, quam Adami in Paradiso: Quando demum certius, quanto excellentius, Dei Mater cum Filio regnans, in cælo, tali scientiæ dono sanctis alijs præualebit? *Regem in decore suo vident oculi eius, cernent terram de longe.*

Si Samuel Propheta Domini, Sauli Asinas Patris⁴ sui quærenti promittere potuit, & re ipsa etiam præstare: *Omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi:* quin etiam Asinas quas non viderat, inuentas annunciare, & ipsum Regem inaugurandum, asserere & prædicere, ac re ipsa vngere: potuit Elizæus famulum Giezi, munera à Naaman Syro accipientem, absens videre, & cum ille negaret, in faciè exprobrare: *Nonne cor meum in præsentè erat, quando reuersus est homo, de currusuo, in occursum tui?* Si potuit idem Propheta, intima ac secretissima consilia, Regis Assyriorum scire, Regique Israhel pandere, cum adhuc mortalis⁴ degeret in hac vita: Et sancti in cælo, cum Deo regnantes immò & Mater Dei, cum Filio in corpore & Anima, gloriose triumphans, quæ in terris fiunt, ignorent? ad se directas preces, non audiant? non intelligant? ad omnia mortalium petita absurdescant? Minime gentium: *Regem in decore suo vident oculi eius, cernent terram de longe.*

Dauidi, Esaia, Hieremiæ, Danieli, Ezechieli, alijs⁵ que Prophetis, non præsentia solum, & præterita, sed & futura, speciali dono gratiæ, Spiritus sancti, reuelata fuerè, dum adhuc in mortali corpore in terris oberrarent: *Sanctis iam non amplius per speculum in enigmate, sed facie ad faciem, Deum videntibus, immò & Dei Matri, à dextris Filij in Throno gloriæ conreguanti, negerur eorum cognitio, quæ in in terris contingunt? In veteri Testamento, dum nullus Sanctorum, Christo nec dum in carne passo, diuinam faciem poterat intueri, vidit Iudas Machabæus,* *Oniam Summum Sacerdotem, manus extendentem, &*

4. Scientia
Prophetarum.

1. Reg. 9.

4. Reg. 3.

4. Reg. 6.

5. Prophetis
præterita præ-
sentia & futura
reuelata.

1. Corinth. 13.

Psal. 44.

2. Machab. 15.

pro Populo Iudaico, incessanter orantem; similiter & Hieremiam, de quo Onias dicebat: *Hic est qui multum orat pro populo, & pro Ciuitate Sancta Hierusalem.* Hieremias Propheta Domini; qui sane, si Populi calamitates ignorassent, orare non potuissent: quomodo Sanctos, iam cum Christo triumphantes, & ipsam DEI Matrem *super omnes Choros Angelorum exaltatam*, nostræ necessitates latebunt? *Regem in decore suo vident oculi eius, cernunt terram de longe.*

6. Christum hanc
in scientiam
exorauit Ioann.

27.

Quid est, quod tu, O Domine IESU, pro fidelibus tuis, à Patre tuo orasti, & exorasti? *Pater, quos dedisti mihi, uole, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Si Sancti tui, si præcipuè Mater tua, benedicta, sunt in tenebris ignorantiae omnium eorum, quæ in terris fiunt, quomodo videbunt claritatem tuam, in qua omnia, ut in speculo, relucent? Quid tu S. Petre promisisti fidelibus, quando scripsisti: *Certus sum, quod est uelox depositio Tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster IESVS CHRISTVS reuelauit mihi: Dabo autem operam frequenter habere vos post obitum meum* (in orationibus commendatos) *ut horum memoriam faciat is: ut ea seruetis, quæ scripsisti, & predicauit uobis.* Si ignoras, an seruaturi sint, quæ docuisti, nec ne, quid orabis? Annon *Regem Deum iam vident oculi tui in decore suo, & cernunt terram de longe?*

2. Petri. 2.

7. Melior con-
ditio Beatorum
quam damnato-
rum.

Enc. 16.

Obsecrononnè est melior conditio Beatorum, quam damnatorum? Est haud dubiè: Potuit uero damnatus Epulo è medijs tormentis videre Patrem Abraham & Lazarum in sinu eius, potuit scire malam & scandalosam fratrum suorum vitam, & pro illis deprecari, ne in eadem tormenta, culpa sua uenirent: Quanto certius sancti in cælo, & *Sanctorum omnium Regina, Dei Mater*, noverunt, quæ fiunt in terra, & pro fidelibus, sese deuote implorantibus Deum orabunt? *Regem in decore suo, vident oculi eorum, cernunt terram de longe:* quis eos pro nobis orare prohibebit?

Sic

Sit quicumque Hæreticus aut Hæresiarcha, non poterit sane negare, Sanctos Angelos, re ipsa Dei vultum intuentes, videre tamen, ut Christus affirmat, quid circa nos agatur, audire preces nostras, eas Deo pro nobis offerre, de bonis nostris gaudere, nos protegere, ac defendere, Morbos à nobis propulsare, à periculis nos liberare Quod si ipsius Christi Testimonio; *Sancti in celo, sunt sicut Angeli DEI*, ergo non minus, quam Angeli sciunt, quid in terris agatur, non minus quam Angeli preces nostras, cognoscunt; Quid plura? videbunt omnes & singuli *Regem in decore suo, cernent terram*, id est terrena omnia, de longe. At multo præstantiori gradu, omnia terrena cognoscis, Tu, O Mater DEI, quæ clarius quam ullus Sanctus vides *Regem in decore suo, & cernunt oculi tui terram de longe*. Ecce tam gloriose *super omnes Choros Angelorum*, ad filij dextram es exaltata.

8. *Ab Exemplo Angelorū*
 Matth. 18.
 Tob. 12.
 Luc. 16.
 Psalm. 90.
 Ioann. 5.
 Act. 12.
 Matth. 27.
 Marc. 12.
 Luc. 20.
 Esai. 1. 3.

Ita res habet cum sanctis in celo regnantibus, ut tu recte adstruis S. Pater Gregori: *Quia in illa æterna beatitudine, omnes communi claritate, Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, qui scientem omnia sciunt?* Ita est, ut tu ais S. Pater Venerabilis Beda: *Qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possunt.* Afferit hoc idem S. Athanasius, *De animabus Sanctorum*, inquit, *non est dubitandum: nam & post mortem, & in die iudicij, cognoscent omnia.* Idem etiam S. Basilius affirmat: *Nullus est ex beatorum Spiritibus, qui non singula ubique consideret: Et senim oculis carnis minime conspicui sunt, incorporeis tamen obtutibus, ad cognitionem complectuntur omnia, & comprehendunt.* Et S. Augustinus probat longo discursu: *Si Deo non est impossibile, viventibus ad huc mortalibus, futura & procul distantia manifestare, adeoque mirabiliter patefacere, & reuelare, quanto certius erit, posse eum beatissimis omnibus, quæ in terris sunt, manifestare? quanto mirabilius & abundantius tunc omnes hoc munere affluent, cum erit Deus omnia &*

II. *Scientia Beatorum in genere.*
 I. *Sancti Omnia cum volunt, sciunt.* lib. 4.
 Dial. cap. 33.
 In cap. 16. Luc.
 Quæst. 11.
 Antioch.
 Lib. de Vera Virginitate.
 Lib. 22. de Genio, cap. 29.

2. Vigilantij
obiectio à S.
Hieronymo re-
lecta.
Contra Vigilant
sup. 2.

in omnibus. Vnde S. Hieronymus Vigilantium id perne-
gantem, seuerè admodum redarguit, & inanem eius con-
tradictionem, quam & Lutherani & Calvinista modò
obiectitant, ex ipso Veritatis fundamento, refutat: *San-
ctos, aiunt, mortuos esse, & requiescere sub Altare Dei, nec posse
inde exire, & hinc inde vagari: Tu DEO leges, inquit, pones? Tu
Apostolis vincula iniicies? ut vsque ad diem iudicij teneantur cu-
stodia, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est: sequuntur
Agnum quocunque icrit: Si agnus ubiq; Ergo & hij, qui cum agno
sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum Demones, toto vagentur
orbe, & celeritate nimia, ubique presentes sint; Martyres post effu-
sionem sanguinis sui, carcere operientur inclusi, & inde exire non
poterunt? Nemo sanae mentis, hoc poterit iudicare. Quod
si de alijs sanctis, id certum est, quantò certius de Dei Ma-
tre? Quidni clarius illa Regem Filium, in decore suo conspi-
cit, & terram de longe cernit.*

III. Scientia
Beatissima Vir-
ginis.
Serm. 2. de
Assumpt. Dei-
para.
Serm. 1. super
Salua Regina

Vnde sic eam inuocat Germanus Constantinopo-
litanus: *Omnia obseruas MARIA, omnia contueris, & inspectio
tua ad omnes se porrigit. Quamobrem, licet oculi nostri, impe-
diantur, ne te videre queant, tu tamen Sanctissima Virgo, dignis
te ipsam patefacis operibus. Caro enim, Spiritus tui virtutem & ef-
ficaciam, nihil quicquam moratur. De hac ipsa Virginis cog-
nitione sic S. Bernardus: Oportet ut nobis presentem esse dica-
mus, quam parentem salutamus, ut totam Animam Trinitatem, in
eam dirigamus, quam tam deuotissimis precibus, exoramus. Agnos-
cit certe diligentes se, & prope est omnibus inuocantibus se, praefer-
tim hos, quos videt sibi conformes factos, in castitate & humilitate.
Et quod plus est, ut Doctissimus idiora affirmat, Ipsa pre-
ces & sacrificia seruorum suorum, & maxime, que sibi exhibentur,
representat in conspectu Diuinae Maestatis, quia est Aduocata no-
stra apud Filium, sicut Filius apud Patrem; immo apud Patrem
& Filium, procurat negotia & petitiones nostras, quia Thesaurus
Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius. Ceteri sancti, iure
quodam*

L. b. de contem-
plat. Mariæ SS.
Dei Genit. in
prolog.

quodam Patrocinijs pro sibi specialiter commissis, plus possunt prodesse, in curia altissimi, quam pro alienis: Beatissima vero Virgo MARIA, sicut est omnium Regina, sic etiam omnium Patrona & Advocata, & cura est illi de omnibus. & quomodo illi cura esset de omnibus, nisi omnium necessitates, probe perspectas haberet? Ideo namque videt Regem, in decore suo, & terram de longe cernit.

Quod si quæras, quomodo Sancti, & Potissimum Gloriosa Virgo, cognoscunt res terrenas, sciunt & audiunt petitiones nostras? An per proprias rerum species, & in propria Natura? Respondeo ego quod minimè hoc naturali modo, res nostras cognoscant, sed ut sunt in Essentia Diuina; quæ quoniam cum intellectu animæ Beatæ vnita est, id supplet, quod res creatæ alioquin, per species, facturæ fuissent, intellectu nimirum humano, dictas creaturas, quas eminenter in te continet, Essentia diuina repræsentante: Do Exemplum: Quemadmodum qui speculum videt, simul etiam, eiusdem speculi beneficio, cernit omnes Imagines, in speculo illo, repræsentatas: Sic etiam qui videt Essentiam Diuinam, eius quoque beneficio, videt etiam creaturas, in ea repræsentatas. Si oggeras: Est distantia grandis, à cælo in terras; quomodo tam cito possunt cognoscere, quæ sunt in terris? Sicur cognitionem nostram, nullū obstaculum, vel spacium impedire potest, quin in momento ab Oriente in Occidentem, è Germania in Indiam, pertingat; Ita glorificatos, quin liberè possint esse, vbicunque voluerint, sine impedimento scire & videre, quæcunque expetierint & quæcunque circanos aguntur, in quantumcunq; obscuris & tenebrosis specubus latitemus, sine mora, clarè & apertè peruidet & cognoscunt: quia vident Speculum, in quo omnia resplendent. Et quid ni possent? Angelis hoc datum est, ut scriptura apertè probat, varijs vtriusque Testamenti locis, cur. non & sanctis & præcipue

IV. Quæstio:
dua de hac Sancti
Glorumscientia.
I. Quæstio. An
Sancti videant
res terrenas per
propriam species,
vel ut sicut. in
Essentia diuina

Simile.

Quomodo tam
cita terrena à se
distantia valeant
cognoscere:

Dan. II. 31.
Luc. 15.
Matth. 18.

pue

puè Matri Christi, omnium Sanctorum Regina? Nec mirum:
Nam, omnium luculentissime videt Regem in decore suo, &
cernit terram de longe.

II. Questio:

Quenam sancti
videant in ver-
bo?

I. Species Om-
nium rerum
Creatarum.

S. Thom. in 1.
q. 12. a. 8. Et
lib. contragen-
tes cap. 59. A-
lexand. Al. 3.
p. 9. 13.

II. Mysteria Fi-
dei qua hic ob-
scure credimus.

I. Cor 13.
III. Quae perti-
nent ad statum
suum.

IV. Orationes
ad ipsos factus.

V. Quid de ve-
ritatibus alijs.

In 1. p. 9. 12.
a. 6.

VI. Apparatio
Samuelis facta
Sauli Regi.
Ecc. 46.
2. Mach. 15.

Quod si ex merursum quæras: Quasnam res Sancti
videant, in verbo uti loquuntur Theologi, hoc est in Essentia Diui-

na? *¶* Vident in verbo, species, omnium rerum creatarum, quæ vnquam productæ sunt & creatæ à Deo. Si rationem efflagites, hæc est: Beati, naturale quoddam, habent desiderium, res illas cognoscendi: Verum Beatitudo, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, omnia ista desideria complere debet. Ergo necesse est, vt naturalia illa pernoscant: Vident in verbo omnia, quæ in hac vita, sola fide apprehendimus, & hoc est, quod S. Paulus affirmat: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*: Nam beatifica illa visio, qua potiemur in cœlis, succedit obscuræ cognitioni, quæ hic de rebus fidei habemus, in terris. Præterea vident omnia quæ ad statum suum pertinent, vt Pater familias, quid de familia sua agatur; Rex quid fiat in Regno suo. Vident insuper & intelligunt Beati orationes, quæ ad ipsos funduntur: tum quia, postulationes eiusmodi, ad statum eorum pertinent, nitè perficiendum; tum quia desiderium habent, restales cognoscendi. De reliquis tandem omnibus rebus, quæ vel creatæ sunt vel creari possunt, anima tantò plus, vel minus cognoscit, quantò plus vel minus, pro meriti sui Quantitate, de lumine gloriæ est affecuta: Atque hæc omnia expresse docet Sanctus Thomas.

Sanctos porro agnoscere, & scire res terrenas, quis in dubium vocare aulit? Si enim *Samuel Propbeta*, post mortem apparuit Sauli, vt scriptura expresse asserit; *Post hæc dormiuit Samuel, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*. Si *Onias & Hieremias*, apparuerunt Iudæ Macchabæo, cum

eum contra hostes populi animantes, & gladium ei por- Matth. 17.
Luc. 9.
rigentes; Si Christo Domino, *Moyfes & Helias*, in monte
Thabor apparuerunt, cum eo de futura Passione sua, dis-
currentes: Quid locuturi, quomodo collaturi aut sermo-
cinaturi fuissent, de rebus, quas nunquam cognouissent?
Sic rerum, quæ in mundo gerebantur, nullam profus-
notitiam habuissent, quo nam pacto de illis consultare
potuissent? Quod si notitiam talem habuerunt, degen-
tes adhuc in limbo; Quanto magis Sancti, & in primis
Beatissima Virgo, Deum clare intuentes, in cælo? trium-
phantes cum Christo? Audi me, & abijce scrupulum om-
nem. *Vident Regem in decore suo, cernunt terram de longe.*

Quod autem Beatissima Virgo, res terrenas curet, V. Historia.
I. B. Virgo ap-
paruit S. Iacobo
Apostolo. Chri-
stoph. à Castro.
in histor. Virg.
cap. 18.
S. Vinc. Serm.
de S. Virg.
Guil. Durand.
lib. 7.
S. Anton in
1. p. hist. tit. 6
cap. 2.
quod de alijs sollicita sit, vel ex eo colligite, quia dum
viueret adhuc, S. Iacobo Apostolo apparuit. Dolebat
S. Apostolus, cum Dei verbum in Hispania sat diu dis-
feminasset, sed non nisi paucos, ad fidem conuertere
potuisset, proindeque iuxta maris littus prope Cæsar-
Augustam, dolenti ac mæstè deambulanti, Beatissima
Virgo, quæ nec dum in cælos erat assumpta, in columna
marmorea, visibiliter & corporeis oculis aspectabilis
apparuit, consolans eum, & iubens, bono vt sit animo:
fore, vbi diuino nutu, Martyrio cursum vitæ consumas-
set, & corpus eius in Hispanias reportaretur, vt tota Hi-
spania in Christum crederet. Et relicta ibi imagine, seu
potius effigie sua, in statua candida, supra columnam
marmoream disparuit. Vbi postea S. Iacobus, insigni
facellum construxit, quod in hodiernum diem visitur, &
S. *MARIA de Pilari* appellatur, vbi quotidiana in hunc
diem miracula, coruscant. Si viuens & mortalis adhuc,
distantia potuit cognoscere, quidni regnans iam glorio-
sa in cælo? Dum *videt Regem Filium in decore suo*, & illumi-
natissimis oculis, *cernit terram de longe.*

2. *S. Musæ Vir-
ginis Greg. lib. 4
Dial.*

3. *S. Alfonso.
Iulia. Tolet. Pra
fat. in lib. 5.
Alfonsi, de
laudibus Bea-
tissimæ Virginis.*

4. *B. Arnul-
pho. Listardus
eius vita cap.
49.*

5. *S. Heriberto
Rupertus. Abb.
vita S. Heriber-
ti.*

6. *Ioanni Patri-
tio Romano.
Breniar. Rom.*

Si apparuit *Virgini* cuidam *Musæ* nomine, eamque admonuit vt ad trigesimum diem ad nuptias Sponsi cœlestis, sese disponderet ac pararet, Ergo condito die, iterum à Dei Matre visitata, in ipsius comitatu, summo cum gaudio, & animi promptitudine, in cœlum demigravit. Sic *S. Alfonso* Archiepiscopo Toletano, apparuit, ipso Festo suæ sacratissimæ Assumptionis, eique admirabilis texturæ atque Candoris vestem, quam Casulam vocant, quæ hodieque visitur, induit, monens, vt in eo Diuinum officium perageret ac sacrificaret. Sic apparuit *B. Arnulpho*, vna cum *S. Michael*e Archangelo, eique diem obitus sui, inter ipsa, suæ assumptionis gaudia, denunciauit: Sic apparuit *S. Heriberto* Archiepiscopo, Colonienfi, eique iudicauit locum, vbi Ecclesiam, in honore ipsius, exædificare, sacroque ritu inaugurare deberet. Sic apparuit *Ioanni Patritio* Romano, & Coniugi eius, qui cum liberis non haberent, omnes suas facultates, Beatissimæ DEI Genitrici, deuouerunt, rogantes, vt ipsa significaret ad quod potissimum opus, facultates suas omnes, impendi vellet? Noctu igitur, per visionem vtrique, Beatissima Virgo, sicut & *Liberio* Papæ, tum in Cathedra Apostolica sedenti, ac separatim singulos monet; vt manè collem Esquilinum ascenderent, & in ea montis parte, quam nix miraculose, vtpote Quinto Mensis Augusti, quando in Vrbe Roma, intensissimi Caniculæ ardores, defæuiunt contexisset, Ecclesiam sub Nomine suo, in honore DEI, extruerent: quam postea *Liberius* Papa, Ecclesiæ solennitatibus adhibitis, dedicauit, & nunc *S. MARIA MAIOR*, in hodiernum diem nuncupatur. Apage, incredule Vigilantij Sectator, Hagiomache; nouerunt sancti, nouit Sanctorum omnium Regina, DEI Mater, viuentium necessitates, & ad eas subleuandas, Maternum suum adhibet interuentum: *Vident enim Regem Filium in decore suo, & terram cernunt oculi eorum de longe.* Quid

Quid pluribus probem, Beatissimam, Virginem, 7. Miraculosa liberatio capti- ui.
 MARIAM, cum Christo regnantem, scire & cognoscere, ea quæ hic in terris agantur, audire preces, suscipere vota, DEO in honore ipsius facta? Annon Apertissimum, Testimonium perhibent, quotidiana eius Miracula, quæ apud memorias eius, passim designantur? Vnum adduco ex historia Weyerensi, Spectatissimum eius noticiæ, atq; cognitionis Exemplum: Ciuis *Leogastensis, honesti viri Filius,* Hist. V. Weyerens. lib. 1. cap. 31.
militiæ nomen dederat, & sub Inuictissimo Imperatore, Carolo V. in Vngaricis contra Turcas, expeditionibus, non paucis annis stipendia meruerat, nec infeliciter: nam multis perfunctus periculis, ad officia militaria, per gradus inferiores iam iam ascendebat. Ut porro varia, est fors, euenumque bellicorum mutabiles vicissitudines, in velitari pugna à Turcis capitur, Belgradum adducitur, ac ferreis nexibus & compedibus, in collo & brachijs & cruribus, grauiter oneratus, in horribilem carcerem detruditur. Adduntur in dies grauiora tormenta, & cruciatus incredibiles, ut diues litrum pro eius dimissione & libertate extorqueatur. Quid ageret miser? à Christianis auxilium non suppetebat, nam procul nimium, à Christianorum finibus abiunctus erat; à Turcis nec sperare, multo minus petere audebat. Ergo dum ad Deum & cælites confugit, Deipara Weyerensis conterranea, popularium magnæ Patrona, recordatio mentem subiit. Quapropter concepta ingenti, ad eius misericordiam, fiducia, confidenter eo die, vsque in multam noctem, misericordie Matrem inuocat. Nec aërem verberat; nam eadem nocte precum & Patrocinijs Virginalis vim, est expertus, qua propemodum integra precibus impensa, Matutinum versus crepusculum, alio obruitur somno, profundissimeq; indormiscit. Interea nescius tamen, quid secum ageretur, è Turcarum finibus, procul dubio à Sancto Angelo suo auehitur, & in patriam transportatus, ante Aram maiorem, Virginis Gloriosæ in Basilica Weyerensi, ad huc dormiens collocatur. Nec euigilat, donec clara dies illucescat, & apertis Ecclesiæ foribus, ad inusitatum spectaculum, populus è vicinia concur-

rat. Tandem vero, ad se rediens, immensas, libertatis suæ vindicavit. REGINÆ DEIPARÆ gratias debitas refert, beneficium publicè deprædicat, omnesque præsentés, ad tantæ Benefactricis amorem, excitat & inflammat. Et ecce nouum miraculum, priori superadditur; Cathenæ, vincula, & compedes, quibus adhuc restrictus erat, ruptis seris & repagulis, ex seipsis, non adhibita hominis cuiusquam manu aperiuntur, decidunt, atq; à Corpore eius abiliunt; dixisses nouum hic, quo S. Petri liberatio, quondam nobilitata, miraculum reuixisse. In eadem igitur forma, sicut captiui membra deseruerunt, inanimati quidem, sed veri miraculi testes, adhuc asseruantur, & non sine stupore, à peregrinantibus, Diuam Weyerensem, inuisentibus, oculis conspiciuntur, manibus attrètantur; quod etiam miraculum, ab ipsis etiam Lutheranis circumuicinis, tam validum, & irrefragabile testimonium veritatis accepit, ut nemo sit, etiam ex ipsis Prædicantibus, qui contradicere auserit, hæc ex historia Deiparæ Weyerensis. Superflua prolixitati non addo plura, hoc vnum ex iam recensitis colligo: Si tu O Pijsissima Misericordiæ Mater, scelestissimos etiam Peccatores, audis, exaudis, in gratiam recipis, in necessitatibus opetua illis succurris, in firmissimam spem adducor, te, nos Calamitosos Seruos & Clientes tuos, in extremi præcipuè agonis, necessitate minimè deserturam, sed paratissimè subuenturam, ut vitæ huius periodo, felici clausula terminata, ad æternæ Prædestinationis Effectum, diuina opitulante gratia, perducamur.

Amen..



S E R M O XII.

Beatissimam Virginem, per meritum Christi
iam æquè ac dum viueret, aliquid à Deo
impetrare posse,

Pete Mater mea: nequè enim fas est, vt auertam faciem tuam
3. Reg. 2.



VM Beclabea Regis Salomonis Mater, Filium
suum ipsum Salomonem, accessisset, pro Ado-
nia altero Filio suo, intercessura, surrexit Rex in-
occursum eius, inquit scriptura, adorauitque eam,
et sedit super thronum suum: Et positus est thronus Matri Regis,
que sedit ad dexteram eius, dixitque ei: Petitionem tuam paru-
lam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei Rex:
pete à me Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.
Hæc in figura contigere, sine dubio, vt veritas inter-
cessionis Virginalis comprobaretur: Nam si Salomon
Rex, iam inauguratus, Matrem suam, iuxta se, in Regali
throno collocavit: sic eam affatus est: *Pete à me Mater mea,*
neque enim fas est, vt auertam faciẽ tuam, licebit haud dubie, à
Prototypo coniecturare, Beatissimam Virginem, non so-
lum pro nobis, sollicitè, Filium suum deprecari, verum
etiam, pro ea, qua ab ipso colitur, reuerentia, exaudiri.
Atque ita tertium, Patrociniij Virginalis, accedimus Fun-
damentum: Quod illud? Posse DE I Matrem, iam cum
Christo Filio, in cælis regnantem, æque bene aliquid no-
bis impetrare, quam dum viueret, id quod vniuerso pro
alijs etiam Sanctis, militare censendum.

Concedunt quidem aduersarij nostri, Sanctos ad-
huc

*2. Oratio vni-
uersum pro alijs*

in hac vita,
confirmat in-
tercessionem
Sanctorum.

Gen. 17.

Exodi. 6. 7. 8.

Exods. 32.

Num. 11. 14.

I. Reg. 7.

Iob. 42.

Esth. 4.

Matth. 8. & 15.

Act. 12.

I. Cor 13.

Iacob. 5.

Oratio Ecclesie

huc viuentes in terris mortales, potuisse pro alijs orare, at è terris sublato, amplius non posse potissimum, ideo quia terrena amplius non curent, propria sua securitate contenti: Et inprimis, quod sancti in terris viuentes, pro alijs orârunt, nemo erit, qui ausit negare: Orauit *Abraham* pro vxoribus *Abimelech* Regis, *Geraræ*, & *stérilitate* depulsa, pepererunt. Orat *Moyſes* pro *Pharaone*, & à varijs plagis eripitur & liberatur: Orat pro *Populo* *fæpius*, & ab intentata internecone, multisque pœnis, peccando incurſis, præſeruatur: Clamat *Samuel* *Propheta*, ad *Dominum*, & promptiſſimè exauditur. Orat *Job* pro amicis, & offensa *DEI*, *DEO* permittente, illis remittitur. Desiderat *Esther* *Regina*, vt omnes *Iudæi* congregati, pro se orent, & sic quod flagitabat: Orat *Centurio* pro famulo, *Cananæa* pro Filia, & petitionis effectu potiùtur. Orat *Ecclesia* pro *S. Petro*, & è carceribus, per *Angelum*, in libertatem aſſeritur, & vindicatur: Orat *Paulus* sepiſſimè pro alijs, & pro se, ab alijs orari expetit, nec tpe sua frustratur: Inbet *S. Apoſtolus* *Jacobus*: orate pro inuicem vt saluemini: Quod si *Charitas* erga proximos, impellebat *Sanctos*, vt orarent pro alijs, dum adhuc imperfecta eſſet eorum *Charitas* in ſtatu viæ, dum adhuc neceſſe habebant, pro ſuis etiam neceſſitatibus, *Deum* orare, ac deprecari; quanto magis id fiet, à *Sanctis* in *Patria*, vbi *Charitas* eorum iam eſt longè maturior *Immò* planè perfecta, dum ſunt in feliciffimo ſtatu *Summi boni*, æterna poſſeſſione aſſecurati, nec amplius neceſſe habent, pro se orare: *Eu* quanto deuotius *Regina*, *Mater* *miſericordia*, *humani generis* *Optima* *Maxima* *Patrona*, hoc ipſum apud *Patrem* ſuum præſtabit? *Idcirco* eam, *O Domine* *Ieſu* *Rex* noſter, de præſenti ſeculo tranſtuliffi, vt pro peccatis noſtris fiducialiter intercedat: Merito illam alloqueris, eique in gloriæ *Throno* collocatæ promittis: *Bete* *Mater* *mea*, *neq. enim* *fas* *eſt*, *vt* *auerſam* *faciem* *tuam*

Aiunt

Aiunt aduersarij, aliud esse de uiuentibus, aliud de defun-
 ctis Sanctis, uiuentes nosse & posse pro alijs orare, & audiri: De-
 functos, dato, quod uelint, haud posse, nec exaudiri. Obsecro te,
 quid nugaris? Si Sancticum Christo regnantes, non pos-
 sent pro alijs orare, ut uiuentes, Vnum ex his tribus ne-
 cessario eos impediret: Aut quia minus perfectè, uiuen-
 tium necessitates, eis constarent, nec uel intelligerent,
 uel audirent Orationes: Aut quia propter statum beati-
 tudinis, minimè conueniret, eos talia in exploratis habe-
 re; Aut quia meritum Christi, per quod solum orationes
 nostræ, exaudiuntur, in Sanctis non amplius operaretur:
 At uerò nihil horum impedit, & eorum intercessionem
 eneruat. Non impedit *primum*: Nam proximo sermo-
 ne, copiosissimè probatum dedi Sanctos omnia, quæ
 sunt in terris, in *Essentia Diuina*, tanquam in clarissimo,
 limpidissimoque speculo contemplari: Non impedit
secundum, quod Vdalricus Zvvinglius præterdit, & inde
 concludit; Eos beatos, & numeris omnibus, felices esse
 haud posse, si ex compassionis affectu, erga nostras ne-
 cessitates, in gaudio suo perturbentur, quod statui beati-
 tudinis repugnat: Nam affectus isti, compassionis & Mi-
 sericordiæ, etiam DEO adscribuntur erga nos miseros
 Mortales, & tamen in Deo, nullam prorsus imperfectio-
 nem collocant, aut important: Sic etiam non producunt
 ullam imperfectiorem, in beatis, cum ex mera Charita-
 te profluant & oriantur, quæ tantum abest, ut obsit statui
 beatitudinis, ut nihil magis, quod eam solidissimè con-
 firmet, reperiatur: Vnde S. Thomas ait: *Sancti licet post
 hanc uitam cognoscunt ea, quæ hic geruntur, non tamen credendū
 est, quod afficiantur doloribus, cognitis aduersitatibus eorum, quos
 in hoc seculo dilexerunt: Ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis,
 ut dolor in ijs locum non inueniat.* Præterea cognoscunt, per-
 fectè diuinam Iusticiam, Misericordiam & Providentiã,

N. Argumen-
 tum inuincibile
 Valere.

Pro orationibus
 Sanctorum in
 Celo. Vnum
 ex tribus debe-
 ret impedire.

I

II

III

I. Ignorantia ve-
 rum terrenarū
 non impedit.

In opere Artie
 art. 20.

II. Nec Incon-
 uenientia beati-
 tudini repug-
 nans

Affectus com-
 passionis in san-
 ctis Oritur ex
 Charitate.

In 3. p. de Penit.
 q. 27. a. 1.

cur hæc vel illa, permittat fieri circa mortales adhuc viuentes, & in ea suauiter acquiescunt. Quomodo itaque doloribus angi & excrucitari possent?

II. Meritum
Christi apud eos
aque bene, atq;
apud Fideles o-
peratur.

Nectamen impedit tertium: Quia meritum Christi valoris intuitu, per omnem æternitatem, gloriam illam, qua perfruuntur, in illis operatur: Quomodo non operaretur impetrationem, in eorum intercessionibus, quando pro viuentibus orant & interpellant? Et siquidē in alijs sanctis operatur, quanto vberius, quanto fortius, in Dei Matre? Nullo igitur pacto dubitandum, orationes tuas, O Beatissima Virgo, nobis proficere posse, & quæcunque per te exoptamus, impetrare, cum audias à Filio: *Pete à me Mater mea; non enim fas est, vt avertam faciem tuam.*

III. Cura Virgini
pro viuentibus.
Homil. de Zona
& suis Deiparae.

Vnde sic eam affatur, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus: *Quis post Filium tuum, ita generis humani curam, gerit, sicuti tu? quis ita nos defendit, in nostris afflictionibus? quis tam cito proueniens, nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Nullus enim est qui saluus fiet, O sanctissima, nisi per te, O purissima, nemo est cui donum concedatur, nisi per te, O castissima, nemo est, cui misereatur gratia, nisi per te, O honestissima, quamobrem quis te non beatam pronuntiabit? Similiter compellat eam S. Anselmus: *Benignissimus Filius tuus. Dominus noster IESVS CHRISTVS, erit ad concedendum, quidquid voles promptissimus, & exaudibilis, tantummodo itaque velis, salutem nostram, & vere nequaquam salui esse non poterimus. Vt ergo Filium tuum, totius mundi Saluatorem, & te eius reconciliatricem esse, veraciter sentiamus, eo nos propensiori studio, iuuua, precamur, & foue, quos in seculis mundi natos, & alios, potiorileuamine conspicis, indigere.* Agnoui S. Hieronymus, posse Deiparam Virginem, deuotis suis aliquid à Deo impetrare, cum dixit: *Non dubium est illam, que ueruit pro liberandis ferre precium, posse impar-**

Lib. de Excel-
lent. Virgin.

Serm. de As-
sump. Deiparae.

viri, liberatis suffragium. Agnuit Fulgentius Ruspensis⁹
 Episcopus: *Facta est MARIA Fenestra Cali, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines, ascendere mereamur ad calos.* Agnuit Ecclesia sancta, cum dixit: *Idcirco eam de presenti seculo transtulisti, ut pro peccatis nostris, apud tuam Clementiam, fiducialiter intercedat.*

Serm. de laudibus Mariae.

In officio Divino.

Quidimmo, & ipsa ratio id dicit, quod tum sancti alij, tum potissimum ipsa Virgo Deipara, cum Filio regnans in caelo, per meritum Christi, ab ipso Deo, aliquid valeant impetrare. Tamen si enim sint in Ecclesia Triumphantem, & nos etiamnum in militante, annon adhuc sunt membra nostra, sub vno capite Christo, JESU, in vno corpore Ecclesiae sanctae? Sunt utique. Cur ergo ut membra, in virtute & efficacia capitis, cui propius coniuncti sunt, ac nosmet ipsi, nos iuuare non possint? Rursum annon sunt adhuc, in eadem Communionem Sanctorum nobiscum, quam credimus, in Symbolo nostro? Si ergo in virtute Communionis illius, orabant pro nobis, dum viverent, & digni erant, qui per meritum Christi exaudirentur: Cur digni iam non erunt, quando Christo per charitatem inseparabiliter uniti, & quasi toti, in ipsius sacratissimo corde, absorpti, degunt, indigni erunt, quorum preces nostri causa, fusae acceptentur? An indigniores erunt, in Patria, quam extiterint in via?

V. Fundamentum Communionis sanctorum.

Quod si Sancti & beati omnes, in caelo, & potissimum Beatissima Virgo, non solum vident, *vulnera Christi Domini*, in eius gloriosa & benedicta humanitate, instar *quinque Carbunculorum*, mirae pulchritudinis & magnitudinis splendentia, si ex eorum aspectu mirifice recreantur; Si Passionis Christi & *Vulnerum eius meritum*, incessabili gratiarum actione laudant, magnificent, extollunt; si iugiter clamant: *Dignus es Domine accipere librum, & solvere septem signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos in san-*

VI. Sancti in caelo contemplantur Vulnera Christi.

In Cantica.

guinetuo, ex omnibus & lingua, & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum: Quomodo possibile erit, eos indignos esse, ut pro nobis interuenientes, in merito Christi, non exaudiantur? Vnde merito S. Bernardus: *O homo, securum accessum, habes ad Deum, ubi habes Matrem ante Filium, Filium ante Patrem. Filius ostendit Patri Vulnera & latus, Mater ostendit Filio, pectus & ubera, nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot sunt Charitatis insignia.*

VII. Gaudens de merito sanguinis Christi. Psalms. 103. Job. 39.

Quod si caelestis Aquila, quæ expandit alas suas, in cruce, & portauit nos, pullos suos, in humeris suis, sacra inquam humanitas Christi, eleuata in caelum, & confidens ad dexteram Patris, de qua S. Job prophético Spiritu prædixit: *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? in Petris manet, & in praruptis silicibus commoratur, atque in accessis rupibus. Inde contemplatur escam, & longe oculi eius prospiciunt, pulli eius lambunt sanguinem, dum in caelo residet, pullos suos, sanguine suo, id est merito preciosi sanguinis sui, adhuc pascit, adhuc potat, & omni gaudiorum ubertate replet, non minus atque degentes in terra, quos preciosissimo Sacramento, Corporis & Sanguinis sui, adhuc reficit, mirifice recreat ac delectat, quomodo expertes erunt Meriti passionis eius? quomodo, dum interpellant pro nobis, ab eius efficacia, erunt exclusi? Quomodo implebitur, quod de merito Christi, Paulus asseruit: *Pacificans per sanguinem suum, siue qua in terris, siue qua in caelis sunt? Quomodo itaque sancti, & inter eos Sanctorum omnium Regina, non merebitur, per meritum Christi, quæ petierunt, consequi & impetrare? Veritas extra Controuersiam regnat: Audis omni tempore Filium tuum amabilissimè te compellantem: *Pete Mater mea neq. enim fas est, ut auertam faciem tuam.***

III. Historie. sim. Metaph. in vita.

Potuit S. Dorothea, à Christo Sponso suo, Theophilo, media hyeme, vernantes rosas, & lilia Paradisi impetrare, &

re & per Angelum transmittere, eumque sic ad Christi
Fidem conuertere; quidni Mater Sponsi Ecclesie, Beatissima
Virgo, precibus suis, pro nobis, ipsi Filio suo oblatis, pote-
rit omnia nobis impetrare? Potuit S. Virgo Potamiana, Euseb. lib. 6.
Hist. cap. 4.
vni ex satelliticibus Basilidi nomine qui eam ad suppliciū
pertrahebat, & dum gentiles conuirijs eam & probris
impeterent, solum eos repellebat, & suam in Virgine
humanitatem declarabat, potuit, inquam, gratias agere,
eique promittere, se illico post consummationem suam
gratiam & misericordiam ei vicissim, à Deo, ac Domino
suo impetraturam. Et triduo post eidem apparuit, ful-
gentissimam coronam capiti eius imponens, asserens,
eum breui per martyrium ad cœlestia gaudia peruentu-
rum; Vnde ille statim in Christum credidit, baptismum
suscepit, & Martyrio vitam finiuit: Quidni & Beatissima
Virgo, Dei Mater, à nobis honorata, à nobis iugiter inuo-
uocata, poterit omnia nobis à Filio suo, pro merito suo,
impetrare?

Sufficiat denique ad hoc ipsum solidissimè stabi-
liendum, nobile Miraculum, ex historia Deiparæ Weye-
rensis, cui alia duo, aliunde mutuata, suffragantur: Mi-
nus illustre, si personam personis conferas, ac magis ad-
mirabile apparebit, si res ipsas, quod in Bohemia conti-
gisse memorant Weyrenses tabulæ: Lib. 2. Hist. Weyrensic. 15.
*Mulier ob uehementem
suspicionem criminis siue masculium id fuerit, siue infanticidium,
siue utrumque simul, ut credibile est, in Bohemia, à Magistratu Ci-
uili, capta, in carceres compacta, & questionibus subiecta, ac diu-
multumque acerrimè excarnificata flagitij reatum tandem confi-
retur. A Scabinis igitur, ac ceteris ludicibus, morti adindicatur,
& submersionis ac suffocationis sententia, in caput eius pronuncia-
tur. Fit executio; ad supplicij locum, is erat profundissimus Flumi-
nis gurgis, educitur. Tum protinus manibus pedibusq. vincula, pre-
longis alligatur perticis, quibus à Iustitiæ ministris, sub aquis stri-*

Etim fortiterque prematur, oris insuper hiantis, capedini, interstiale lignum iniectum, sic stabilitur, ut eijci aut excuti, nulla vi, queat, & hoc ritu sitique, in aquas, cum impetu precipitatur, atq; infundo, longioris temporis spacio, detinetur. Stupendum ecce prodigium Deipara Weyerensis opera patratum: Ab omnibus, qui aderant iam pridem aquis suffocata, & enecta putabatur, misera muliercula: Verum extracta, manibus pedibusque, ut erat adhuc vincta, aperto hiantique ore exanimato cadaveri similis, oculos aperit, labia & membra mouet, clamando, quoque, ut poterat, labijs deductis, vite indicia prodit. Hic igitur obstupescere omnes, intentique ora tenebant. At Iudex, è pauore, paulisper animi cogitationes recolligens, oris impedimentum eximi iubet. Tum, quid rei subit, quod vitam sub aquis non amiserit, interrogat; illa cordatè respondet: Gloriosa Virgo, Dei Mater, multis, in Weyerensi Ecclesia, miraculis illustris, me seruauit; cui me non solum in carceribus, sed & aquis iam iam obruenda, calentissimis precibus deuotè commendauit: Illa, inquam, Misericordiz Mater, hoc tanto beneficio, me indignam beauit; huic omnem deinceps vitam meam lubens acceptam fero. Attoniti spectatores, tanti miraculi, communi calculo, vitam ei donandam edicunt, & approbant, cui beatissima Virgo, vite prorogationem, tam luculento prodigio, impetrasset. A Magistratu itaque, libera dimittitur; liberata, præpeti cursu ad Weyerensem Basilicam contendit, miraculum, publicis etiam attestationibus, roboratum euulgat, & benefactricis Clementianis, debita gratiarum actione, pro viribus compensat: Videor mihi, quodam ueluti è speculo prospicere, Hæreticorum nostratium calumnias, si in quoduis aliud, in hoc præcipuè Virginis beneficium, assolita temeritate, sacrilegis linguis effutiendis. Quis ille, inquit, Deus? que illa Dei Mater? qui sceleratis hominibus, atque à Magistratu damnatis Maleficis, sospitatem & immunitatem faueant, uelint, procurent? quid? an non summe iustus Deus est? Iniustitiam igitur tam apertam qui operabitur? Quomodo gladium, quem Magistratui, ad vindictam malorum, stringendum, usurpandumque demandauit,

uit, ipsemet iubebit recondere in vaginam? An sibi et contrarius erit? & quam semel tulit legem, denuò resiget atque cassabit? Verum audi blasphemum os: tunc terminum pones misericordie Dei, quæ præponderat, iustitie eius? annon misericordia Domini super omnia opera eius? tunc legem Deo præscribes ut iuxta excerebratum corruptumque cerebrum tuum non cuicumque humiliter supplicanti misericordiam impendat, sed te dictante, te imperante, huic abnuat, alteri annuat? Tunc cognouisti sensum Domini, & Rom. xij. consiliarium eius vòquam egisti? Iudicia DEI abissus multa, ac præsertim in casibus eiusmodi, à via Iuris ordinaria, speciali priuilegio exemptis.


Vita cuiuscunque hominis, etiam criminosi, mortisque sententia condemnati, in manu & potestate Dei est: ipse directus vita Dominus est; Quidni citra omnem Magistratus & ordinaria, inter homines, potestatis, iniuriam, præsertim in gratiam dilectissime Matris, cuicumque lubeat, eam condonare, sit potis? nec alia desunt historie per multa è quibus aperteliquet, complures itidem, mortis reos, sub ipsa extremi supplicij inflictione, similem à Deo, gloriose Virginis interuentu, gratiam consecutos. Vnum duntaxat Exem Lib. 4. Hist. Lauret. cap. 17
plum, ex Horatij Turfellini Historia, Lauretana, de promptum, temeritatem vestram egregiè confundat: Rei Seriem, verbis Antboris, recensitam, accipite: Ceterum, inquit, illud vel maxime admirabile: Samnitum Prætor Lauretum petens, Ciuitatellam diuerterat. Ibi nefarium hominem deprehendit, assuetum in Deum, ac Virginem Lauretanam, impia subinde verba iactare. Ergo incensus ira protinus exempli prodendi causa, vasanam magniloquentiam, exsecta sacrilego lingua, vindicauit Neque hoc contentus, eundem in custodia traditum, asseruari sedulo iubet, quoad ipse, Laureto egressus, decerneret, an esset pœna grauiore mulctandus. Itaque miser ille supplicio sumpto, ager, intentato sollicitus, aliquando resipuit, & scelere in cultum verso, dies noctesque Lauretanam Virginem, tacitis placare precibus, votisque institit, obsecrans, ut in sensam sibi Pro Regis leniret iram: Daretque facultatem, ani-

mi labes, sacra confessione expiandi. Nec ingrata Virgini, irritant extiterunt, impij hominis, respicientis preces: Haud multo post, species Deiparæ, illi in somnis oblata est, iubentis eum bono animo esse: breui fore, ut custodia emissus, ad Lauretanam Ædem pergeret: ibique peccata confiteretur, noua lingue subsidio. Prædictionem comprobauit euentus: Ex perrecto, quædam quasi lingua renascenti cepit, qua haud sane egre sensa expromeret mentis. Et Pro Rex Laureto reuersus, recognita, parcendum existimauit, cui Virgo ipsa pepercisset. Confestim igitur eum liberum dimittit, monitum, ut suo post hac periculo saperet. Datisq; ad Pœnitentiarios literis, miraculi testibus, Lauretum destinat, gaudio gestientem, ad vota reddenda. Quo ubi venit, haud magis Pro Regis epistola, quam res ipsa miraculi iudex omnibus fecit. Quippe patefacto oris biatu, simul recisam linguam, simul lingulam quædam subnascentem, videbant, & tamen ubi ille vellet, quæquam blefo ore, audiebant loquentem. Neque hic stetit res. Postquam domum reuertit, noua lingua, ad istam magnitudinem, nauo excreuit miraculo. Itaq; Lauretum denuo, ad agendas Deiparæ grates, profectus, ijs ipsis, qui exsectam paulo ante linguam viderant, (quorum ex numero Eaphael Rier a fuit, qui hæc memorie prodidit) immortalis Beatissima MARIÆ donò reuerentiam ostendit, cunctis rei nouitate atque admiratione attonitis, & tam eximium, tamque illustre miraculum B. Virgini gratulantibus.

Ab hoc eodem scopo, non abludit Infanticida femina, Laundinenfis historia, quæ ad rogum condemnata, Patrocinijs Virginialis protectione, communita, ab igne nec potuit ledi, nec exuri, aut oscidi. Sigeberti verba, ut nostra miraculo, maior fides adstruat, lubet, apponere: & hæc sunt: Vixit circa annum Domini 1094. non procul ab urbe Laundunensi, quadam mulier, quæ arcanum homicidij crimen, à se commissum, in Exomolegesi de texerat Sacerdoti, ac deinde post acceptam mortis sententiam, ut flammis ardentibus traderetur, ad supplicij locum ducebatur. Et quomiam per Deiparæ Templum, iter habuit, ubi toti populo, peccatum suum confessa

confessa est, Virgini Matri magna etiam fiducia supplicavit, seque totam eius Patrocinio commendavit. Hinc digressa, & iam in ignem, semel atque iterum coniecta, tantum Dei & Virginis beneficium, sensit, nihil ut ab igne, quamvis copioso & vehementi, caperet detrimenti, immo non modo carnem, sed & vestem etiam ab omni flammaram iniuria, servavit semper illasam. Cum hinc admiratio ingens animos populi occuparet, ad dictum MARIE Templum cursum sitatum est, ut una cum bona muliere DEO & Virgini, gratie agerentur, tantumque miraculum, ad Virginis invocationem, gestum, communi omnium letitia celebraretur. Hæc Chronista ille: Tam proclivè est Patrocinio Virginis hominem illasum servare in undis, quam in flammis, quæ ergo effectum, dedit istud, in sua habuit potestate & illud, eadem utrobique fide, & veritate. Ista Omnia ex historia Deiparæ Weyerensis.

Tuigitur O Gloriosissima Virgo, quæ interuentu tuo, istos, quos recensuimus, à flammis, aquis, & ab alijs malis eripuisti, & nobis per Filij merita, impetrare digneris gratiam, ut ab Iræ Divinæ diluio, & gehennæ incendijs, asseruati, ex hac miseriarum valle, in patriam, feliciter emigremus.



SERMO XIII.

Beatissima Virgo promptissimæ voluntatis est ad succurrendum nobis.

Manum suam apernit inopi & palmas suas extendit ad pauperem. Prou. 31.



Vo diutius masticatur arida Glycyrrhiza, eo delectabilius, radicis istius dulcedo percipitur, & palatum hominis indulcoratur. Idem etiam

etiam deuotis Virginis Deiparæ Cultoribus vsuenerire solet; Quo diutius Virginis laudes vel deprædicant, vel audiunt, tanto libentius ac suauius, vel eas pertractant, vel illis audiendis, immorantur. Hoc igitur elogio, & vos meritò Auditores mei, condecoro & exorno: nec enim tædij, aut vllius fastidij signum, in vobis hæctenus deprehendo. Pergo itaque Virginis intercessionem tantò alacrius defendere & propugnare.

Probato iam, quod Beatissima Virgo sciat, quid ab ea flagitemus, quodq; per meritum filij sui, adhuc exaudiatur, ab ipso, cum orat pro nobis, restat, vt Quartum patrociniij eius fundamentum etiam substruamus, quod promptissima sit, quin etiam vltro se offerat, ad patrocinandum nobis, Et quis verè Christianus, O benedicta Mater, hanc promptitudinem tuam, in dubium reuocet, quis eam in incertis et fallibilibus euentibus, reponat?

*L. Scriptura Ex-
empla.
Gen. 24.*

Promptissima fuit *Rebecca* Filia Bathuelis cum *Eliezer* Seruus Abraham ei occurreret, dicens *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe, de bydria, et vltro respondit: Bibe, Domine mi, celeriterque deposuit bydriam, super Vnam suam & dedit ei potum. Cumq; ille biberet, adiecit: quin & camelis tuis bauriam aquam, donec cuncti biberint, effundensq; bydriam in canali- bus, recurrit ad puteum ut bauriret aquam, & bauriam omnibus camelis dedit. Quid ni cælestis nostra Rebecca Sponsa Sanctissima Trinitatis, promptissima sit, ad sicentes animas nostras, vbertate fontis cælestis gratiæ porandas? Promptissima fuit *Rahab Hierichuntina* ciuis, ad suscipiendos, & abscondendos, atque à vitæ periculo liberandos Exploratores Iosue, dum per funem eos, è fenestra demisit, atque in tutiorem viam direxit: Quantò magis Dei Mater, cum Filio regnans, in cælo, nobis in omni periculo succurret, nos proteget, nos defendet, ne ingruentibus hostium insidys, aut superuenientibus à Diuina pro-
dentia*

Iosue. 4.

dentia, vel immixtis, vel permissis calamitatibus peribundi, succumbamus? Mulier illa in oppido Thebes, Judic. 9. quod Abimelech cum Exercitu obsederat, confugientibus incolis, ad turrim in media Ciuitate, cui Abimelech ignem subijcere tentabat, illa inquam, Mulier, plusquam virili animo, vltro, sua sponte, à nomine monita, incitata aut rogata, arrepto fragmine Saxi molaris, desuper iaciendo, illisit Capiti Abimelech, & cerebrum, eius confregit, & suos à terrore hostis liberauit. Quanto magis DEI Mater, à nobis sollicitata, & dum ab hostibus nostris premimur, pijs precibus exorata, Saxo potentiae suæ, desuper in eos ciaculato, protinus omnem eorum vim, à nobis propulsabit, omnem eorum violentiam dissipabit? Vltro sua sponte, *Heroïna Iudith* suscepit curam Populi sui, & non solum orando Deum, omnesque modos exquirendo, quomodo Hostem Israhel, Holofernem prosterneret, paratissimam voluntatem suam, palam ostenderit, sed & reipsa, hostem aggressa, mirabili Stratagemate, trucidarit: Judith. 13. Quid ni *calcatrix* illa *Serpentis Diaboli*, Capitalem hunc hostem, nostrum, nos adeò malitiose impugnantē, contereret, & quādocumq; nobis vim inferet, plusquam Materna benignitate, terrorem eius à ceruicibus nostris auerteret? *Mulier Thecuitis* vltro Gen. 3. ex compassione, in se receperit, reconciliationem Absalonis, Exulis & fugitiui, qui ob necem Amnon fratris sui, quem ex insidijs trucidarat, Hierosolymis exulare cogebatur, suscepit, & effectum dederit vt Dauid Rex, eius Pater, in gratiam illum pristinam receperit, vt ab exilio, in domum suam, tuto redire posset, Et benignissima Virgo, Mater itidem & Patrona nostra, nos exules & peregrinos, à vera patria, procul constitutos, fauore suo non prosequatur vt post hanc vitam, Deo perfecte reconciliati, caelestem illam Hierusalem, quæ est Mater & Patria, 2. Reg. 14.

nostra efficaciter impetremus? *Regina Hesther*, instinctu Mardochæi, se apud Assuerum Regem, lubens volensque interposuerit, ut populus eius, ab interuentione, & insidijs maligni Aman, liberaretur; Et nostra mitissima *Esther*, Dei Mater, in afflictionibus nostris, curam nostri, potissimum à nobis rogata, deponet? nobis opem suam subtrahet, & subducat? Rursum; viginti quatuor seniores qui stant ante Thronum Dei *habebant singuli Cytbaras*, quibus Deum perpetuo laudant, & *Pbialas aureas*, mundissimorum cordium, *plenas odorum, quas sunt orationes Sanctorum*, non pro seipsis, quia necesse non habent, sed pro uiuentibus effusæ; quanto magis Dei Mater gratissimum odorem intercessionis pro nobis, ante Thronum Diuinæ Maiestatis, iugiter. emitteret? quanto certius ipsa pro nobis orabit, Filium, & exorabit? Annon *manum suam aperit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem?*

Psalm. 2.

Hæc ipsa dulcissima Mater nostra, pro Neonymphis in nuptijs Canæ Galileæ ultro & non rogata, viso uini defectu, Filium rogauerit, ut Diuina potestate sua, de qua minime dubitabat succurreret: Et nostras videns necessitates, nostras perspiciens angustias, à nobis suppliciter obtestata, sileat, obmutescat, nos negligat, non exaudiat, opem auxiliumque deneget, & nos desolatos, derelinquat? Quid plura? Mater illa, quæ seipsam appellat, *Matrem, pulchram, & amabilis dilectionis*; quæ nos omnes ad se inuitat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & generationibus meis implemini*: Mater illa quæ suauitatem, Spiritus sui deprædicat: *Spiritus meus super mel dulcis*: Mater illa, quæ venditum iustum nunquam derelinquit, sed à peccatoribus liberat eum, descenditque cum illo, in foueam: Mater illa, quæ semper ab initio suæ Exaltationis in cælo, *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*; illa Maternum Cor suum à nobis auerrat, dum

Eccl. 24.

Sap. 10.

Prou. 31.

dum eam inuocauerimus, non audiat? nec exaudiat in nostris necessitatibus? nostri curam non agat? absit, absit: dicimus & firmiter credimus, cum S. Bernardo: *Sileat* Serm. super Missus est. *miserationes tuas, O benedicta, quisquis te in necessitatibus inuocatum sibi neminit unquam defuisse.*

Cur te ô gloriosa Virgo, S. Martyr Ignatius, vocat, II. Praeconiæ SS. Patrum. *miseris & afflictis coafflictam?* quia tibi nihil magis propriū, quam afflictis succurrere, velle, quam calamitosis opem auxiliumque præstare. Cur te S. Ambrosius præconizat? Epist. ad S. Iohann. Euang. *Beatissima Virgo MARIA, privilegio virtutum insignis, emicuit, Saluatorem edidit, à quo glorificata in calis, nunquā terrigenis patrocinari desistit.* Et quid ni hoc faciat, siquidem vt S. Bernardus loquitur, Serm. de Natiuitate. *nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas.* Serm. 1. de Assumpt. *Regina celorum est, misericors est, denique Mater est, Vnigeniti Filij Dei.* Quamobrem, te, cum S. Athanasio iugiter inuocamus: Serm. in Euan. de S. Deipara. *Inclina aurem tuam, ad preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui; ad te clamamus, recordare nostri, Sanctissima Virgo. Intercede Hera, & Domina & Regina, & Mater Dei pro nobis.*

Memini me in S. Thoma legisse; Ad hoc, vt quis vestri patrocinium suscipiat, tria requiri: III. Efficacia Patrocinijs requisita. *Scientiam, facultatem, & Voluntatem: Scientia, vt sciat defectum; Facultas, vt possit emendare, aut abolere defectum: Voluntas vt sit paratus & promptus, ad iuuandum: Annon sciat, quid in terris fiat Dei Mater, quæ Deum omnia videntem videt? 1. Scientia. Esai. 23. Regem in decore suo, vident oculi eius; cernit terram de longe: vt verbis Prophetæ utar: Quid enim latere possit, quæ lucidissimū, perspicacissimè speculum intueretur, in quo omnia, summa claritudine, resplendescunt? Annon facultatem habeat Mater in Regno Filij, & quidem talis Mater, 2. Facultas. Gen. 27. in Regno talis Filij? Annon ei dixerit Filius? *Esto Domina Fratrum tuorum, seruiant tibi tribus & populi, & incuruentur ante te, Filij Matris tue? Annon Domina es, omnium,**

Luc. 1.

Hebr. 12.

3. Reg. 11.

Eccl. 24.

Sep. 12.

3. Voluntas.

Ioann. 19.

Marc. 76.

Hebr. 1.

Esai. 49.

Patriarcharum & Propbetarum, & Patrum veteris Testamen-
 ti, qui tui secundum carnem, fratres extiterunt? Annon
seruiunt tibi Tribus & Populi, cum ex hoc nunc eo ipso mo-
 mento, quando facta es Dei Mater, *Beatam te dicent*, omnes
 generationes: Ergo etiam *incuruentur ante te, Filij Matris tuae*:
 quæ nam Mater tua, pariter & nostra? *Quæ sursum est Hie-
 rusalem celestis, Mater & Patria nostra*. Qui huius Matris?
 Filij? Angeli Sancti, qui te vt Reginam suam, suspiciunt,
 honorant, & omne obsequiorum genere venerantur: *Te
 assumam, compellaris à filio tuo, & regnabis super omnia, quæ de-
 siderat anima tua*: tuum verbum est: *In omni populo, & in
 omni gente primatum habui*. Quid ni ergo cum Salomone te
 concelebremus, firmiterque credamus: *Misereris omnium
 Domina, quia omnia potes: subest tibi eum volucris, posse: Facul-
 tas ergo tibi non deest, quæ manum tuam aperis inopi, &
 palmas tuas ad pauperes extendis*.

Quid de voluntate tua dicendum? quid sentiendum?
 Annon te Filius tuus nobis in cruce Matrem dedit? cum,
 dixit: *Ecco Mater tua?* Et vere Matrem nostram te esse,
 negare non valebis: Nam si IESVS CHRISTVS, Filius
 tuus, frater noster est secundum carnem, vt seipsum mul-
 toties nominavit; *Vade, inquit, & dic fratribus meis: Ascendo
 ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. Et Paulus eum appellat
primogenitum in multis fratribus, inter alios; ad vitam æter-
 ternam prædestinatos: Quid ni tu Mater etiam nostra sis,
 si Christus Filius tuus est Frater noster? Si Mater nostra,
 ergo non dedignaberis, morigeris præsertim Filij, opem
 ferre; *Nunquid potest Mater obliuisci infantem suum, vt non mi-
 seratur Filio vteri sui?* Ergo ad te clamamus cum Ecclesia:
 MONSTRATE ESSE MATREM, SVMAT PER
 TE PRECES, QUI PRO NOBIS NATVS, TVLIT
 ESSE TVVS. Nostis Odilecti, Virginis Germani Filij,
 quanto labore Matres Filos parturiant, quanta sollicitu-
 dine

dine nutriant, foueant, quàm ægrotantibus condoleant? quid non faciant, vt benè sit illis. Ne dubitate, non secus pro vobis laborat, Mater ista, O peccatores vt vos in gratiam Filij sui pariat, vt vos cælestibus donis, nutriat, vt vos genuina veste Charitatis, erga Deum & proximum amiciat: *Omnes enim domestici eius, vestiti sunt duplicibus*, vt optime vobiscum agatur, in vita, in morte, in agone, & iugiter in cælo bene habeatis?

Prov. 31.

Adiungite huic Maternitatis titulo, alium, eam minime dedecentem, Appellatur quippe MISERICORDIÆ MATER: Non solum, quia Dei Filium, qui est ipsa Dei Misericordia, vtero concepit, & peperit, sed etiam, quia ipsa verè Misericors est, & nemini, potest gratiam suam, & fauorem denegare. Habent magni Principes Eleemosynarios suos; Tu verè ac propriè es Eleemosynaria Domini Dei; Nam vbique passim Pauperibus & afflictis te inuocantibus, das Eleemosynam cælestium gratiarum., dispensas de te vere dici potest: *Dispersit dedit pauperibus, largitia eius manet in seculum seculi*: Ad oculum omnia patent: Nam vbique per totum orbem, beneficia tua miraculosa, ita liberaliter distribuis, vt nulla Prouincia, nulla Ciuitas, nullus locus, inueniatur, in quo templa tuis miraculis, ornata, non inueniuntur: Iustitia & Clementia tua, manet in seculum seculi. *Non recedat laus tua ab ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini, quia manum tuam aperis inopi, & palmas tuas ad pauperes extendis.*

II. Mater Misericordia & Eleemosynarum cælestium Dispensatrix.

Psal. 111.

Judith. 14.

Quin etiam *aduocata nostra*, ab Ecclesia insuper salutaris: & quidem gratuita sine vlla mercede; Magnum beneficium pauperibus præstitit S. Iuo Presbyter, qui pauperum caussas, in iudicijs, gratis, propter Deum agere solebat, *quod pauci Iurista & Legis periti sine Minerualis compensatione, facere consueverunt*, & quidem paucorum ille; At tu totius mundi pauperum, populorum, afflictorum,

III. Aduocata Clemens dulcissima.

S. Iuo Aduocata pauperum.

126 *Sermo XIII. De Promptissimo*

rum, Patrona & Aduocata, es apud Deum. Et quod multo gratius & iucundius, *Clemens, pia & dulcis Aduocata* audis, & appellaris: Clementia, Pietas & Compassio, hominibus præsertim afflictis, gratiam admodum dulcedinem, quodammodo instillant *sicut nubes pluuia in tempore siccitatis*. Superat autem pietas, Benignitas, & dulcedo tua omnium plane hominum Clementiam, & Benignitatem, sicut aurum superat plumbum: Enatat, sicut oleum aquis, supernatare confuevit.

Mittamus *Vespasianum Casarem*, quem aiunt ita affabilem & benignum extitisse, erga quoscumque, præsertim calamitatibus oppressos, homines ut neminem plane à se depulerit sed omnibus & singulis, opem suam detulerit, monitus quandoque, ne forte plura polliceretur, quam re ipsa præstare posset respondit: *Non oportet aliquem à Casaris colloquio, tristem abscedere*, fateor, non abnuo, magna hæc erat, in Ethnicò Principe, Clementia; sed quid ad Clementiam Dei Matris? poterat ille temporalia beneficia, polliceri & præstare: hæc cælestia & Diuina, ad se recurrentibus, non tam promittit, quam re ipsa exhibet & indulget: Iunge Pietati, Clementiæque liberalitatem, *qua, ut Cicero affirmat, nihil est naturæ hominis accommodatius*, & videbis illam, ab hac virtute, mirifice denuo, illustrari. Fulgebat huius Virtutis splendor, in *Cyro Persarum Rege*, teste *Xenophonte*, tam in suos, quam alienos, radios suos extendens. Vulgare erat *Ptolomæo Philadelpho*, Ægypti, Regi dicere: *Mallo se alios ditare, liberalitate sua, quam ditescere*. *Alexander Seuerus* in more habebat, quotidie aliquid è thesauro Regio, in subditos suos liberaliter effundere & erogare. Virtutis huius laudem, vulgo cum *Cuspiniano* etiam tribuunt *Constantino Magno*. De *Econe X. Papa*, Principe liberalissimo, memorat *Iouius*, solitum dicere: *Eos Principe loco, indignos, qui nequaquam benefica ma-*

nu,

Ecol. 35.

*IV. Exempla
Clementiæ &
liberalitatis.*

*1. Vespasianus.
Sueton. in eius
vita.*

*Liberalitas Cle-
mencia sociata.*

Lib. 1. offic.

*2. Cyrus Persa-
rum Rex in Cy-
ripædia.*

*3. Ptolomæo
Ægypti Rex
Eliæ: in va-
ria hist.*

*4. Alexander
Seuerus Æ-
lii Lampridius*

*5. Constantinus
Magnus Cuspin.
de Casaribus.*

*6. Leo X. lib. 4.
Hæc.*

nu, in suos vterentur. Ac quid liberalitas istorum, ad tuam liberalitatem, O Regina omnium Principum, & Principissarum? *Oleum effusum Nomen tuum*, Clementia tua, Pietas tua, Liberalitas tua, *O Clemens, O dulcis, O pia, O dulcis Virgo MARIA*: Tu enim omni momento, *manum tuam aperis inopi, & palmas tuas ad Pauperes extendis.*

Quam multa huius tuæ Benignitatis, & Liberalitatis Exempla, commemorari possent? Ac nolo esse prolixus, nolo fastidium vobis ingenerare: Memoratur Nicephorus, de *Narfete Eunucho*, insigni Cultore Beatissimæ Virginis, quod nunquã signa cum Gothis contulerit, nisi de consilio Virginis, p̄ Orationes crebras, impetrato, aut nisi aliqua ipsius apparitione, de ineundo cum hostibus certamine, admoneretur. Atq; ita Virginis ope, non solũ innumeras Victorias, ab hostibus reportavit, sed & totam Italiam ab eorum Tyrannide liberavit, & ab Hæresi expurgavit. Refert Paulus Diaconus, *Heraclium Imperatorem*, accepta à Stephano Cycizeno Episcopo, Virginis Imagine, cum se, totumque Exercitum suum, eidem Virgini, obnixè commendasset, cum Chosroa Persarum Rege, qui Phocæ Tyranni desidia illectus, cunctas Asiæ Regiones, Chalcedonem vsque delecto Christi cultu, occupauerat, prælio conflixisset, & licet viribus longe inferior esset, paruo tamen negotio, numerosissimũ exercitum superasse. Totam denique Syriam, Ægyptum, & Lyciam, Christianorum potestati restituisse. De *Georgio Castriotto Scanderbego* à Turcis nuncupato, Epyri Principe, memoratur, cum insignem, Dei Matris, Cultorem semper extitisse, quæ illi, inter alia dona, innumerabiles, contra Turcas, victorias, diuinitus impetravit, ita ut sæpissime cum quingentis, quos semper manu promptos, penes se habebat, militibus, viginti & plura Turcarum millia, inuaderet, funderet, fugaret, ad internecionem deleret. Ecce quam prompta sit erga suos Cultores, Princi-

Cantic. 1.

IV. Exempla
Promptitudinẽ
Dei Matris.

1. Narfes Eunuchus. Lib.
17. cap. 17.

2. Heraclius.
lib. 6. hist. Longob.

3. Gregorius
Castriotus Epyri
Despota.
Bernardinus
Scandemonius &
Paulus Iovius in
Elogijs illustriũ
Virorum.

Principissa illa, quæ *manus suas aperit inopi & palmas suas ad Pauperes extendit.*

Est, O Virgo Clementissima, promptitudo tua in propatule; in omniũ oculos, luculentissime incurrit, innumeris etiam sese modis in sinuat & ad opitulandũ offert. In nos ergo, indignos liberalitatis tuæ sinum, quoties indigebimus, expande, vt beneficia tua, grata animi vicissitudine, recognoscentes Beneficentiam tuam, celebremus & extollamus, in sæcula sæculorum, Amen.



S E R M O XIV.

Virgo Deipara, Clientibus re ipsa patrocinetur
in cælo.

Obuiabit illi quasi Mater honorificata. Eccl. 15.



Ollocatis ædificij fundamentis, quod reliquũ est, facilius superstruitur & ex ædificatur, vt fabrica inchoata, perfectionem debitam acquirat: Audistis iam, deuoti Virginis Cultores, summa, ipsam, gratia & authoritate non solum apud Sanctissimam Trinitatem, florere, dignissimamque censendam, quæ per Filij Meritum exaudiatur, verum etiam perspicacissimè, omnes nostras petitiones, cognoscat, & ad succurrendum nobis, paratissimam sese exhibeat: Rerum ordo postulat, vt breuiter etiam disquiramus, quomodo re ipsa nobis, in cælo, patrocinetur, & in omni necessitate succurrat, ad quod tuam, O Virgo Gloriosissima, & in æternum Benedicta, gratiam imploramus.

Scimus igitur, & verè experimur, quoties te inuocamus

camus, O Clementissima Mortalium, Imperatrix Augustissima hominum, & Angelorum, Regina, Te nobis idem esse, quod *Arca Noë*, Mortalibus, tempore diluuij Vniuersalis, Seruauit *Arca Noë* paucos homines, ne cum alijs interirent: tu seruas innumeros peccatores, ne diluuiio Iræ diuinæ intereant, ne à spe salutis excidant, ne ab æterna beatitudine excludantur. Experimur te nobis non idem solum, sed & plus esse, quod *Arcus Iridis*, quem posuit Dominus Deus in cælo, loquens eum Noë: *Arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit signum fæderis inter me & terram.* Tu enim non solum significasti fædus, inter Deum & homines; sed & per Filium, genus humanum, irato Deo, plenissimè, perfectissimeque reconciliasti: O verè cælestem Arcum, in salutem humani generis, *super omnes choros Angelorum exaltatum.* Experimur te, nobis idem esse, quod exiit *Scala Iacob*, in qua ipse vidit Angelos ad terram descendentes: Tu enim nobis es *Scala Cæli*, cum per te ascendimus ad Deum, vt Angelorum consortijs perenniter inseramur: O dignissima *cæliscala* quam felix est ille qui per te connititur peruenire, in patriam illam, supernam: Tu nobis es quod *Virga Moysi*, qua bis petram percussit, vt fons copiosus, ad potandum & refocillandum, populum sic itabescentem inde promanaret: quem enim cælestis Moyses, Filius tuus, *Virga patrociniij tui*, bis percussit, primum vt *declinans à malo*, deinde *faciat bonum*, in eo sine mora oritur, *fons aque viue, salientis in vitam æternam.* O nobilis *Virga*, felicem eum, quem tu percusseris, non vt lædas, non vt prosternas, sed vt sanes, vt erigas, vt salues: Experimur te nobis esse, immò & plus esse, quam fuerit *Abigail Nabal* viro suo, quæ eum cæco & stulto imperu, in perniciem ruentem, suo apud exacerbatum Dauidem interuentu, ab interitu seruauit: Si enim nos insensatos, velut Lymphatico furore, correptos, præcipite

1. *Arca Noë*
Gen. 6.

2. *Arcus Iridis*
Gen. 9.

3. *Scala Iacob*
Gen. 28.

Virga percussions
Petram.
Num. 20.

Abigail.
Reg. 25.

tesque in Infernum currentes, tueris, protegis atque defendis, ne ab irato Dauide Filio tuo, pro demeritis nostris, castigemur. O placabilis, O prudentissima Abigail, à quam multorum ceruicibus extremam, æternamque perniciem propulsaſti? Experimur te nobis esse verissimum *ſignum Adiuutorij*, in cuius virtute, si velut Macchabæi cum Nicanore, ita cum *Diabolo, Carne & Mundo*, certamen ineamus, Victoriã haud dubie ſimus reportaturi. *O cæleſte ſignum, O ſignum Magnum*, quod Ioanni apparuit, in cœlo, *ſac nobiſcum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt nos, & confundantur, quia tu Domina adiuuiſti nos.*

Quid de Patrociniõ huius Auguſtiſſimæ Reginæ, dubitatis, O deuoti eius Cultores? Vbi ipſa veſtri Patrocinium ſuſceperit, quod indubitate faciet, à vobis ſupliciter inuocata, videbitis, ſentietis, rei ipſa experiemini, quod Regius Vates, eius nomine pollicetur: *Flabit Spiritus eius & fluent aqua*, quis Spiritus flabit? Spiritus *Miſericordiæ*, Spiritus *Clementiæ & Benignitatis*; Spiritus enim meus inquit *ſuper mel dulcis*; Et *fluent aqua*, Tribulationes, quæ vos diuexabant, deſluent atque decurrent, *hyems* triſtitiæ abſcedet, *æſtas* lætitiæ redibit. Si tibi graue & periculofum certamen, cum hoſtibus tuis immineat, bono animo eſto, Virginem Patronam habens, in parte tua, audi quid Sapiens tibi, de illa promittat: *Super ſcutum & Lanceam aduerſus Inimicum tuum pugnabit pro te*. Si tibi quælibet aduerſa immineant, audi quid de ipſa pollicetur. Propheta: *Super omnem gloriam perfectio*, ſcilicet Matris Dei. Et *tabernaculum erit, in vmbra culum diei, ab aſtu, & in ſecuritatem & in abſconſionem, à turbine & pluuiã*. Si tibi ex hac vita, inter vehementiſſimas Dæmonum tentationes emigrandum: *Eiſi ambulaueris in medio vmbra mortis, noliti-mere mala, quia ipſa tecum eſt; Virga & baculus eius, te conſolabuntur, obuiabit namque tibi, quaſi Mater honorificata, nec*

partic-

ſignum Adiu-
torij 1. Mac-
cab. 8.

Apo. 12.
Pſalm. 11.

Patrociniõ
uendo.

Pſalm. 147.

Ecl. 24.

Ecl. 19.

Eſa. 4.

Pſalm. 22.

Ecl. 15.

B. M. V. In cælo pro Clientibus.

131

patietur, ut coram hostibus tuis confundaris & erubescas.

Nautis mare transcurrentibus, vocare opus est, Stellam Maris, II. Patrocinijs
Virginalis vir-
litas.
longe à supremo cali cardine coruscantem, inquit S. Ambrosius, Serm de Nati-
ui. Virginis.
& ex aspectu illius, dirigere cursum, ut possint portum destinatum
apprehendere. Simili modo fratres, oportet vniuersos Chisticolas,
inter fluctus huius sæculi, confugere ad **MARIA M.**, qua supremo
rerum cardine, Deo proxima est, & respectu exempli eius, cursum
vite dirigere: quod qui fecerit, non iactabitur vana gloria vento,
nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur voragine, vo-
luptatum, sed prospere perueniet, ad quietis æterna por-
tum. Ita est, ut tu ais S. Pater Augustine: Serm. de Af-
sumpt. Per te O Gloriosa
Virgo hereditamus misericordiam, miseri, ingrati gratiam, veni-
Peccatores, sublimia insani, cælestia terreni, Deum homines, mor-
tales vitam, patriam peregrini: atque ita nobis quodammo-
do, omnia facta es; Vnde meritò cum S. Bernardo; Super Salve
Regina. De
hoc auxilio, O Sancta Sanctorum, ad te clamamus exules, ut inter-
uentu tuo, ducatu tuo, adiutorio tuo, possimus ad cubiculum veri a-
tis repatriare: Meritò te cum Andrea Cretenfi compella-
mus: In Encomio de
Virginitas derini-
tatione. Placa Dominum, pro communi sigmento; Nam quamdiu
quidem versabaris in terris te habuit parua terra portio; ex quo
autem translata es è terris, te vniuersus mundus continet, commune
Propitiatorium. Quis non lætetur, dum cogitet, se habere
te tam fidam Patronam, & apud Deum Interuentricem,
& in omnibus periculis vindicem ac liberatricem; Quem
hæc fiducia non omni solatio recreet, non mirifice in ad-
uersis corroboret, atque confortet? In Portu nauigau-
Salus vestra, O Vos omnes, qui Dei Matrem deuotè ho-
noratis, qui vos eius Patrocinio, assiduè commendatis:
Audite S. Ioannem Chrysostrum, ad hoc ipsum deuotio-
nis Exercitium, vos excitantem: Serm de Nat.
Virg apud Si-
meonem Mo-
nacho. Ad hanc igitur San-
ctissimam Virginem, & Dei Matrem occurrentes, eius patrocinijs
utilitatem assequamur; Illa enim pulcherrimam, preciosissimam,

R 2

Et in-

est incorruptibilem, aeterna beatitudinis possessionem, vobis conseruabit, & addit, quibusdam alijs Elogijs interiectis: *Aue* igitur, *Mater*, *Calum*, *Virgo*, *Thronus Ecclesia nostra*, *decus*, *gloria*, & *Firmamentum*; assidue pro nobis precare, *IESVM Filium tuum*, *Dominum nostrum*, vt per te *Misericordiam inuenire in die Iudicij*, & *qua reposita sunt ijs, qui diligunt Deum, consequi possimus, gratia est benignitate Domini nostri IESV CHRISTI.*

III Elogia Pa-
trocinij Virgi-
nis.
Cantic. 6

Scimus porrò, O *Caelestis Regina*, promptissimam tuam erga nos voluntatem, de tua virtute & potentia, nos iuandam, nullo modo ambigimus. Si es nobis in hoc mortali exilio degentibus, *Aurora consurgens*, & *Aurora*, teste *Isidoro*, est quasi *rorans aura*, annon cordibus nostris, tristitia qualibet, exiccatis, rorem gratiae, atque consolationis tuas, copiosius insperges? Si *Pulchra vt Luna*, inticularis, dum potissimum est plena, & in omnibus creaturis auget humores; Annon tuos deuotos, replebis humore gratiae, vt fructificent, & de virtute in virtutem exerescant, in omni bono? Si es *Electa vt Sol*, Annon caecitatem nostram, illuminabis? Annon nos igne Diuini Amoris nos inflammabis? Annon nos corroborabis ne in diuersis fracti, sub pusillanimitatis onere, concidamus? Si es *terribilis, vt castrorum acies ordinata*, tam visibilibus quam inuisibilibus hostibus, tuorum deuotorum, velut acies potentissimi cuiusdam Monarchae, exanimat, hostes, potentia inferiores, terrori & formidini eris eosque in effusam fugam compelles. Si vt *Cedrus exaltata es in Libano*, Ecclesiae Triumphantis, odore suauissimo *Misericordiae & benignitatis tuae*, recreabis tuos deuotos, & redolentia potentiae tuae, fugabis *Infernales Serpentes*, confundens, omnes *Hæreticos*, & *Hæresiarchas*, qui tibi & honori tuo, è diametro aduersantur. Si vt *Cypressus exaltata es in monte Sion*, & *Cypressus* in cortice, in folijs & floribus, in fructu denique, est arbor medicinalis: Sic tuus

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Ecol. 24.

Ibidem.

Cortex

Cortex, id est exterior Conuersatio, quam imitamur; Sic *flores tui*, id est, piæ cogitationes tuæ, quas veneramur; Sic *folia*, id est verba tua, quæ iugiter contemplamur, Sic *fructus*, id est auxilia & beneficia tua, quibus potimur, nobis quotidianam præbent medicinam. *Si ut Palma exaltata es in Cades*, & Palma est signum Victoriæ, Ergo deuoris tuis haud dubiè, contra *Peccatum, Mortem, Mundum, Carnem & Demonem*, Victoriæ exhibebis; Si es *Plantatio Rosa in Hiericho*, annon post te nos trahes, vt curramus in odorem *Vnguentorum tuorum*, quem virtus tua, de se longè lateque per totam militantem Ecclesiam, diffundit? Si *exaltata es, quasi oliua speciosa in campis*, Ergo oleum *Misericordiæ tuæ*, *Valneribus nostris*, affatim infundes; ergo oleo *Beneficiæ tuæ* dolores nostros vtique lenies, & percurabis. *Si ut Platanus exaltata es iuxta aquas*, & Platanus vtile alimentum ouibus præbet, ne tu nos oues *Pascue Filij tui*, patrocini tuo destitues; *Si ut Cynamomum & balsamum aromatizans*, odorem dispergis: Vt *Cynamomum* calefacies & siccabis, & vt *Balsamum* nos, qui quasi Iumenta, computruimus in stercorebus peccatorum nostrorum, impostum ab eiusmodi sanie ac putredine, potentissime præseruabis: Si velut *Myrrha electa* suauitatem odoris exhalas, sicut inquam, *Myrrha electa*, licet suauem odorem præbeat, per gustum tamen supra modum amara videtur: Ergo *Myrrha vera penitentia*, quæ quidem Deo, & cælesti curiæ est grata, attamen ad speciem penitenti, valde acerba; Ergo, inquam, hac *Myrrha Penitentia & vera contritionis*, præsertim in exitu huius vitæ: nos misericorditer vnges, & ad recipiendam veram peccatorum veniam, nos rite dispones: Si denique es *Castellum*, in quod ipse Dei Filius, *Fundamentum & Fortitudo nostra*, intrauit: Quid ni & nos ad te confugientes, receptabis, & contra hostes defendes & propugnabis? Si *Martha* nostra es, si

pro nobis sollicita es, quid ni nobis in necessitatibus succurres? Si *MARIA* es, & optimam partem in gratia, optimam item in gloria elegisti; Si iam non secus pedes Filij tui, sed ad dexteram eius, in cælestibus sedes, Quid ni & nobis optimam partem impetrabis in gloria cælesti? Quid ni, exeuntibus velut, è corporis Ergastulo, & carceribus quasi Mater honorificat a obuiabis, tuoque comitatu in cælum perduces?

¶. Quale oleum Virginis deuotes effundat.

Bozium lib. 15 de signis Ecclesie. Marcus Marius Colum. de vita & gestis S. Matthæi.

Ambrosii Leo. Lib. 2. de sinu Nola.

In Nouella de ferijs.

Lib. 9. hist. Polonica.

Thom. Bozium lib. 15 de signis Ecclesie.

In vita S. Walburgæ.

Quod si è plurimorum Sanctorum corporibus Oleū iugiter featuriens, promanat, & ad omnis generis morbos ritè sanandos, admiranda salubritate adhibetur; Si è *S. Apostoli Andrea* corpore, in Ciuitate Amalphitana requiescentes, liquor effluit, variorum malorum expulsiuus; si in *S. Matthæi reliquijs* in Ciuitate Salernitana, tumulatis, similis odoriferi liquoris stillicidium, visitur; & variis defectibus medicandis cum fructu & effectu, applicatur: Si idem miraculum consingit apud corpus *S. Felicis Martyris*, in Ciuitate Nolana, sepulti: Si ut *Emanuel Græcus*, Imperator attestatur, *S. Nicolai Myrensis Episcopi*, ossa, in Ciuitate Barriensi, perpetuū olei liquorem, febres etiam pestiferas, atque contagiosas, depellentem exudant: Si ex ossibus *S. Eutimij Abbatis*, & è *Beatæ Elisabethe*, Vngariæ, & *Salomeæ Boleslai Poloniæ Regis Sororis*, quæ Anno Millesimo, Ducentesimo Sexto, in cælos abiit, vti *Cromerus* refert, Corporibus, oleum fluere solebat, quo innumerabiles ægroti sanabantur: Si *S. Catharinæ Virginis & Martyris* corpus, ab Angelis in Monte Sina, sepulturæ honore condecoratum, è tumulo, velut perenni & inexhausto dolio, mire salutiferum oleum effundit: Si eodem miraculo floruit corpus *S. Glyceriæ Virginis*, corpus *S. Hedvvigis Poloniæ Ducissæ*; si hoc ipsum Miraculum adhuc in hodiernum diem Aichstadij cernitur, vbi

S. Walburgæ

S. Walburgis Virginis ossa per durissimum saxum, olei liquorē, sudoris instar emittunt, qui febribus, alijsq; morbis, tanquam prælentissimum remedium applicatur: Si, ut Procopius refert, Iustinianus Imperator morbo quodam incurabili tentatus, cum omne medicorū consiliū iam expirasset, ad se afferri petijt Reliquias quasdam, tunc recenter forte inventas, genibus, ubi maximus dolor erat, imponi iussisset, non solum illico dolor evanuit, verū etiam olei suaucolentis liquor, ex aridis ossibus, per ipsam arculam prorupit, quo et Lipsanorum asseruatric, Theca, & vestes Imperatoris, purpureæ, copiosissime perfunderetur: Quanto magis, tu, O Gloriosissima hominum & Angelorum Regina, cuius Nomen Oleum effusum Misericordiæ tuæ oleum, & Charitatis tuæ preciosissimum, in nos Balsamum tuum, in omni vica, cum vero potissimum, ante tribunal Filij tui, comparituris, obuiabis, quasi Mater honorificata, copiosissime effundes?

Orat. 1. de edificatione Iustinianus

Canonic. 2.

Ingens prodigium est, quod de imagine Virginis Miraculosa recenset Arnoldus Lubecensis, ex quodam Baronijs mutuauit, in hæc verba: Item à Damasco, ad tria milia est locus quidam in montibus situs, qui Sadaneida vocatur, & à Christianis habitatur. Et est ibi Ecclesia, in rure sita, & in honorem Gloriosissima Virginis dedicata, in qua Moniales duodecim, & Monachos octo, assidue Deo seruiunt, & Beatissima Virgini. In hac Ecclesia vidi tabulam ligneam, ad mensuram unius Vlnæ longam, & latam, ad modum dimidiæ Vlnæ, retro Sanctuarij, in fenestra positum, & ferro laquealiter cancellatim, firmatam; in qua tabula, effigies Beatissima MARIÆ Virginis, aliquando depicta, fuit, sed nunc, quod mirabile est, pictura super lignum est in carnata & oleum odoriferum, super odorem Balsami, incessanter ex ea manat. De quo Oleo, multi Christiani, Sarra ceni & Iudæi, à diuersis linguoribus, sæpe curabantur. Et nota quod oleum illud, nunquam imminuitur, quantumcunque inde sumitur; & cum à quocunque, cum deuotione & fide sincera, sumptum fuerit, pro honore Sanctissimæ

V. Oleum miraculosum ex Virginis Imaginibus.

In itinere Terra Sanctæ apud Baronium Tom. 10 ad annum 870.

*Lib. 3. de locis
terra Sanctæ.*

*In vita S. Theo-
dori Archi-
mandrita.*

Genes. 1.

Psal. 44.

*ma Virginis, ab incurfis calamitatibus, indubitanter liberatur. De alia simili Virginis Imagine, in vrbe Constantinopolitana, memorat Venerabilis Beda: Quam cum Sacrilegus quidam Iudeus, humano stercore, ausu Diabolico, fedissime conspurcasset, & Christianus, à sordibus abluc, emundasset, summaque sedulitate absterfisset, ex omnibus eius membris, ac veluti poris, Olei sudor guttatim emerfit, quo delibuti, variorum morborum pressuris, angustiati homines, calamitosi, eodem momento, pristinae sanitati restituebantur. De alia Miraculo simili, decorata Imagine, in Ciuitate Sozopolitana, refert Gregorius Presbyter, quæ certis anni temporibus, olei cuiusdam odoratissimi liquorem exudabat, quo peruncti, quocunque morbo affligerentur, illico, & sine alio medicamine confanescebant. Et quod huius Miraculi dignitatem, non parum exaggerat, vt Virgo Dei Mater, cultori suo, longe feruentissimo Theodoro Archimandrita, eorum Monachorum, qui rigidissimam vitam, in speluncis, terræque Cauernis agebant, Patri atque Antistiti fauoris indicium præberet, eiusdem Miraculosi Olei copiam, in faciem orantis, ac Deum in Matre Vnigeniti Filij sui laudantis, insperfit. Quis hinc, O Gloriosa Domina & Regina, non facile colligat, non apprehendat, quid Olei liquor ab Ecclijis tuis profluens, innuat? quid importet? *Oleum effusum Nomen tuum: Oleum, inquam, Misericordia tuæ, in nos &rumnos peccatores, affatim sparsum Nomen tuum: Hoc enim oleo, unxit te Deus, Filius tuus, cum è Carne tua, carnem nostram & Sanguinem suscepit: Et quidni Oleum effusum Misericordia tua, obquam mater Misericordiæ, toties ab Ecclesia, consalutaris, eamque affatim, copiosissimeque dispertis, cum quasi Mater honorificata, Clientibus tuis, hanc vitam deferentibus, obuias & occurris? Nec ouum, tam est ouo simile, quam misericordia & Benignitas tua, Oleo naturali.**

Oleum

Oleum supernatat liquoribus alijs: Tuarum Misericordiarum copia, te superexaltat, atq; celebriorē efficit, omnibus alijs sanctis, immò & Angelis Vniuersis, Rigida oleum emollic: Tu Adamante duriora peccatorum peccata, Misericordiæ tuæ Vngvine perfundendo, ad pœnitentiã flectis, & obstinationis duritie propulsata, ad Deũ conuertis. Contracti nerui, & membra, oleo sæpius perlita, relaxantur: Tu *in via Mandatorum Dei*, claudos & mancos, cespicientes ac lubricos, à se ipsis nec progredi, nec boni aliquid præstare volentes, dum corruunt, apprehendis, & apprehensos roboras, & corroboratos erigis, ne penitus elidantur: Oleum cibos condit: Tu *unctione Misericordiatua*, huius vitæ Clades & miseras indulcoras, ne austeritate sua, pauidos Mortales percellant. Oleum vires collapsas instaurat: Tua ex Filij ore vox est: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego vos reficiam*: Ignem in Lampade, Oleum fouet ac conseruat: Tu *Diuina Charitatis* flammam, ne extinguatur, ne per eat Misericordiæ tuę oleum, nunquam non affundendo, nutris & adauges: Politiori lima rite defricata, dolata leuigataq; ferramenta, oleo intincta, vix vnquam rubigine obsolescunt: Sic Exomologesi sacra, perpurgatæ, tuorum Clientum mentes, oleo misericordię tuæ humectatæ, grauiorum scelerum squaloribus deturpatæ, vix vnquam obfordescunt. O quam verè *Oleum effusum Nomen tuum*, Diuinæ Misericordiæ Mater, ac Dispensatrix: quã gratũ nobis accidet, quanti beneficij loco reponemus, si hoc oleo nos perunctura, in extremo agone nobis, *quasi Mater* amabilis debitaq; veneratione à nobis *honorificata*, obuiabis.

Vtinam & nobis, in alterius vitæ biuio, constitutis, idem beneficium impertias; quod B. Reginaldo, Sanctissimi Patris Dominici, Socio, vltro tua sponte conuulisti: Nam vt memorat Hieronymus Platus, cum ille in extre-

I
VI. Olei Proprietates Misericordia Virgini attributa.

2

3

4

5

Math. II.

6


7

II. B. Reginaldus Oleo caelesti Vinctus à Beatissima Virgine. Lib. 2. de bono Starum Religio. si.

*Lib. 2. de bono
factu Religios.*

misiacens, iam animam ageret, monebatur à Confratribus, vt se ad vltimam luctam, vnctione extrema comuniret: *Sacramentum quidem non respuo, sed certamen cum Diabolo, non amplius, vti solebam, reformido, quin potius hilari corde expecto; iam enim visitauit me Beatissima Virgo, & inuisibili quodam oleo, & vnguento me perunxit, mirisceque contra Diabolum corroborauit, & omnem formidinem exemit, Vnde cupidissime ad ipsam & Filium eius proficiscor: atque ita sub Virginis Gloriosissimæ tutela, ad cælestia securissimè tranfuiit.*

Dignare itaque, O Gratosissima Mater, & Virgo, in æternum benedicta, nobis extremam vitæ periodum, mox clausuris, eodem auxilio & opitulatu, obuiare maternoque affectu subuenire, vt coram Tribunali Filij tui, ab omni pœnæ metu ac reatu absoluti te cum ipso, in cælesti patria iugiter contemplemur. Amen.



SERMO XV.

Quis Fructus è pio & sedulo cultu Deiparæ Matris hauriendus? Spes indubitata æternæ salutis.

Qui creauit me requieuit in Tabernaculo meo, & dixit mihi In Iacob inhabita, & in Israel hereditare, & in Electis meis mitteradices. Eccl. 24.



Ompleuimus *Tricesimales* Deiparæ Virginis laudes, Deo dante, quibus hodie de more colophonem imponemus. Æquum porro est, vt vobis omnibus & singulis, qui triginta proxime elapsis diebus huic, deuotioni operam dedistis, ob honorem & obsequium Reginæ, debitæ agantur gratiæ. Quod vt ipsa haud dubie realiter & personaliter licet vobis,

vobis inuisibiliter facit in cælo: Ita & ego ipsius vice, visibiliter in hoc loco, pro vilitate mea factitabo: Et vobis omnibus & singulis, pro seruitio *Augustissimæ Calorum Regine*, Impenso, gratias & ago, & habeo, pollicens in ipsius Persona, vos eiusmodi cultum & honorem, neque in hac, neque in altera vita, irremuneratum, sed summo cum favore, compensatum, relatu-ros.

Nolim verò verbis solum, sed & Xeniolo aliquo, loco *Regine nostræ*, vobis gratificari, & tali quidem munusculo, quod votis utriq; gratissimum sit futurum: Quod sit instar alicuius Spiritualis distributionis, quam vulgo præsentias appellat. Quæritis, quid nã elargiri prætendã? paucis mentẽ meã referabo. Affirmo vobis & constanter affero, vos omnes & singulos, & quotquot sunt Catholici Christiani, q. Deiparã Virginẽ amãt, q. eam deuote colũt, q. se eius Patrocinio, sedulo comendant, qui ipsam in Patronã adoptarunt apud Filium; ex hac ipsius deuotione, habere probabilissimũ signũ, æternæ ad salutẽ prædestinationis: Et plus dico, Aio & adstruo Nullum plane hominẽ, qui B. ^{mæ} Virgini, vere deuotus, & ex corde addictus est, posse damnari: Nam *Mater gratiæ & Mater Misericordiæ*, suis cultoribus id accidere non permittit. Magna hæc res est, quæ meritò corda vestra, intimè penetrare, & summa Beatissimæ Virginis deuotione replere debeat ac possit. Repeto adhuc semel, Nisi quod protuli, ex sacris scripturis, alijsque fundamentis probauero, optionem relinquo, vt mihi fidem habeatis, vel denegetis.

Quod igitur Deuotio erga B. ^{mam} Virginem, sit euidentissimũ signũ æternæ Prædestinationis, & Electionis ad vitam æternam, ipsa diuina Sapientia, in persona DEI Matris, cui Ecclesia hæc verba in Epistola quotidiana, huius Tricesimi applicat, grauitèr ad stipulatur:

Qui creauit me inquit requieuit in tabernaculo meo, Verbum,

*I. Signum Prædestinationis re-
ra deuotio Vir-
ginis.*

*Testimonium
ex Ecclesiastico.*

Ecl. 24.

I
 Joann. 1.
 Luc. 1.

2

3

4

Gen. 32.

Matth. 24.
 Luc. 19.

2. Quid sit Vir-
 ginis radicatio
 in electis.
 In Electis meis
 mitto radices.

æternum. *in quo facta sunt omnia*, quæ facta sunt, *Caro factum est in utero meo*, & in eo nouem mensibus habita-
 uit; *Et dixit mihi, Fecit q̄ magna, qui potens est, & Sanctum Nomē eius: hoc in super dedit mihi in mandatis: In Iacob inhabitata.*
 Iacob ex Hebraico significat supplantatorem, & denotat omnes Christianos, Ecclesiæ corporatos, qui in Baptismo Diabolo renunciantes, eū quodammodo supplantarunt, & deceperūt eiusq̄; iugū excusserunt: *In Iacob inhabitata*, inter fideles meos constitue habitationem; Isti te colent & honorabunt, te Celi terræque, *Hominum & Angelorum Regnam* agnoscant, atque deprædicabunt: *In Iacob inhabitata*, id est, in vera Ecclesia mea, deuotio tua vigebit Nam Heretici & Sectarij, laudes tuas non curabunt; *Et in Israhel hereditare.*
 Quid Israhel? Ex Hebræo videntem significat: Vnde cum Iacob luctatus fuisset cum Angelo dicens: *Vidi Dominū facie ad faciem, & salua facta est Anima mea* Israel ab eodē Angelo, qui Personam Domini representabat, appellatus est. Qui nam ergo per Israel indigetantur? Omnes qui ad videndā faciem Domini prædestinati, & in libro vitæ sunt descripti, qui ad dextram Iudicis constituti, audient gratissimū illud: *Venite benedicti Patri mei percipite Regnā Euge serue bone & fidelis, qui in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Qui ergo diuinæ visionis Ius per Virginem obtinuerunt, hi sunt *hereditas Dei Matris*, horum corda quasi hereditario Iure possidet, hos promouet ad æternam salutem. O admirabile solacium omnium Beatissimæ Virginis deuotorum.

Verū hic non subsistit Dei Mater vterius pergit: Dixit mihi in super Filius meus, *in Electis meis mitto radices.* Quos ergo specialiter diligo, quos præ alijs amo, quos elegi, in peculiare seruos & amicos meos, *in hisce electis meis, mitto radices.* Quos nam hic agis radices O Dei Mater? Es ne arbor, quæ radices hinc inde mittat & extendat? *O præclara &*

ra & cælestis arbor, ramos tuos, Maiestatē & gloriā tuā non solū inter Angelorū Choros & cælestiū Ciuiū turmas, expandis, solū exhilarans *Ecclesiam triumphantem*: Quin etiam radices tuas prorogas, in *Ecclesiam Militantē*, fibras agens, in cordibus Filij tui Electorum, quas verò fibras? quas radices spargis? *Radices*, in quā tuæ deuotionis, tui amoris, tui promeritissimi cultus. Ofelices ó fructiferas radices, ex quib⁹ & per quas, succus gratiæ attrahitur, & Fructus virtutū & bonorū operū, ad præmiū vitæ æternæ, nutriuntur, atque ad maturitatē perducuntur. Certi estote, firmiter credite Si radices deuotionis, erga Dei Matrē, sentitis in cordibus vestris, vos esse de numero Electorū, & Christi merito saluandorū, dummodo in hac deuotione perseueretis, & radices istas exarescere non sinatis, vos consecuturos vitam æternā. O betā ó securā spē, O desideratissimā beatitudinē, de qua nemini plane in mentē veniat dubitare: *In Iacob inhabitat, & in Israel hereditare, & in electis meis mitter radices.*

Accipite nouā, ex ipsius Virginis ore, vaticinante in eius Persona, Spiritu sancto, securitatē: *Qui elucidant me, vitam æternā habebunt.* Quid est ó potentissima Regina, te elucidare? Laudes tuas, honorē tuū, deuotionē tuā, amplificare, Imagines tuas honorare, ante illas in genua procūbere deuotissimāsq; Rosarij preces, aut alias laudes tuas persolvere, ante dies festos tuos; in Filij tui, & tuū honorē ieiunare, diebus Sabbati, quib⁹ te præcipue colit Ecclesia Sancta, te solito ardenti⁹ colere, vesperi quando, *Salve Regina* cantatur, Nomē tuū præcipue venerari, Cultū diuinum in honore tuo institutū, incunctanter visitare, Imagines & statuas, atq; Altaria tua, condecorare: Nam omnia elucidant & amplificant, honorem Dei Matris: *Qui elucidant me*, inquit illa, hisce vel alijs, quibuscunq; possunt modis, ne dubitent, *vitam æternā habebunt*, & à Filio meo ad perennia gaudia recipientur. Quid obsecro dilecti, ac

3. Quid sit Vir-
ginem elucidare
Qui elucidant
me.
Eccel. 24.

Stimile.

deuoti Cultores Deipare Virginis, quid vos ab eius cultu, seruitio & honore abstrahere possit? Mundani homines, sæpe humanis Principibus multis annis seruiunt, sine omni Mercede, promissione tantū, vt gratiā vel promotiūculā eorundē assequantur, & non raro pessime præmiantur, quin etiā pro sperata gratia, non raro irreconciliabilē indignationē reportant: Istam porro Ingratitudinē, non est cur à Potentissima ista Principissa pertimescatis: Nam sibi deuote famulantes, nunquā deserit, nunquā eos irremuneratos relinquit, re ipsa, quod pollicetur, præstabit: *Qui elucidant me, vitam eternam habebunt.*

4. Testimonium
ex Prouerbijs
Salomonis.
Prou. 8.

Aliamne promissionem, Virginis, è Salomonis ore excipere placet? *Ego diligentes me diligo, inquit, & qui mane vigilant ad me inuenient me; In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitaruū iudicij vt ditem diligentes me, & thesauros, eorum repleam. Beatus homo, qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & habebit salutē à Domino. Qui autem in me peccauerit, ledet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.* Magnifica sane & innumeris mysterijs, repleta verba: *Ego diligentes me diligo: Mater enim sum pulchræ dilectionis, non possum nõ diligere mihi peculiariter addictos, amabilē naturā meā nec exuere nec mutare valeo, nec vnquā negabo: Qui mane vigilat ad me, qui mane, dum surgunt, quando Diabolus primitijs humanarū cogitationum omnium maxime insidiatur, corda sua in me eleuabunt, inuenient me, non solum beneficia diuina liberaliter erogantem, verū etiam experientur, Maligni hostis machinamentis resistentem, nec permittentem, eos cadere, vt Deum grauiter offendant: Quæ mane à Iuuentute sua vsque ad vesperam senectutis, meā deuotionē imbiberint, & se in ea gnauiter exercuerint, inuenient me in hora mortis, auxilium meum infallibiliter persentiscunt.*

Succe-

Succedit alia Munificentissimæ Matris pollicitatio, *In vijs Iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, quasi dicat: Nolite putare, quod sim iniusta, ut obliuiscar operis vestri, & dilectionis quã ostendistis in nomine meo, ut Pauli verbis utar; imitator vestigia Filij mei, qui nec aqua frígida calicem datum in nomine suo, irremuneratum relinquit, ut ditem diligentes me, omnibus gratiæ donis, in hac vita, & thesauros meritorum, eorum repleam in altera vita. Quid ergo? Beatus: Homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Beatus qui hanc admonitionem, meam cordi ducit, & quia ego sum ostium Cali, mane & vesperi precibus suis me pulsat, ante me vigilat, & per me ad Filium meum benedictum intrare contendit. O verè beatum qui audit te, Virgo Mater & vigilat ad fores tuas quotidie, & ad postes ostij tui obseruat.*

s. Quomodo Virgo in vijs Iustitiæ ambulat. Hebr. 6.

Matth. 3.

Audite fructum deuotionis erga Dei Matrem: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Certi estote, qui me ex corde deuote quæritis, qui me diligitis, qui vos Patrocínio meo deuotè comendatis, inuenietis in fine vitæ, mortalis, vitæ æternam, & imortalem, & haurietis salutem à Domino: Nam Filius meus salutis æternæ viam ostendet, & Prædestinationis effectum, conferet, ac Iure perpetuo assignabit. Atque ut contraria iuxta se posita, magis elucescant, addit quod Hæreticis Mariomastigib⁹, atque omnibus inimicis suis euenturum sit: *Qui autem in me peccauerit, ledet animam suam: Omnes qui me oderunt diligunt mortem. Omnes qui laudes meas impediunt, qui deuotionem non curant, misere morientur: Ergo à contrario sensu, qui te amant, colunt, diligunt, tibi seruiunt, diligunt vitam, & sine dubio saluantur: Qui te inuenerit, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino.**

6. Fructus Deuotionis.

Eia agite quid dubitatis? *Non est fas dicere, aio & alsero cum S. Bernardo, O Domina, te posse deserere eum, qui sperem est.*

11. Testimonia Patrum. Serm. 3. super Misero est.

spemponit in te, cum sis pia Misericordia Mater; Data est tibi insuper omnis potestas, in celo & in terra, vt quacunque volueris, valeas seruis tuis procurare. Quomodo ergo finas eos perire, vt non saluentur? O felix MARIA, Tu Mater Regis, tu Mater Exulis, Tu Mater Dei, tu Mater Iudicis: Tu Mater Dei & hominis.

Serm. super signum Magnum.

Cum autem sis Mater vtriusque, discordiam inter filios tuos sustinere nequis; Non sine inquam, vt Filius tuus, Deus ac Dominus noster, filios tuos adoptiuos fratres suos, secundum carnem, proiciat in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium. Nam ut te recte alloquitur, & de te protestatur S. Ioannes Chrysostronus: Ideo tu Mater DEI praelecta es, ab aeterno, vt quam DEVS saluare non potest, per suam meritissimam iustitiam, tu per tuam saluares pietatem & misericordiam. Nobis ô Beatissima Virgo, de te est fiducia, quæ S. Anselmum quoque susten-

Hom. in Hyp. Domini.

tabat: Sicut ô Beatissima, omnis à te auersus & à te despectus, necesse est vt intreat: Ita omnis ad te conuersus, & à te respectus, impossibile est vt pereat. Sicut enim Dominus Deus genuit illum, in quo omnia viuunt, Sic ô tu Flos Virginitatis, genuisti eum, per quem mortui reuiuunt. Ergo Domina Materes Iustificationis, & Iustificatorum, genitrix es reconciliationis & reconciliatorum, parens es salutis, & saluatorum. In te est mihi, O Cæli Regina, eadem fiducia, quæ Hugonem de S. Victore roborauit: Si accedam ad iudicium, & Matrem Misericordiam mecum habuero, in causa mea quis Iudicem denegabit propitium? Confirmat me insuper in hac erga te fiducia, quod S. Ignatius Martyr, dilecti tui Ioannis discipulus, ad te scripsit, dum adhuc in mortali vita degeres, & inter homines obambulares: Impossibile est, aliquem Peccatorem saluari, nisi per tuum, O Virgo auxilium & fauorem. Animum denique addit, quod Cassianus ita confidenter asseruit: Tota salus humani generis constitit in multitudine gratia, & fauoris MARIE. Quem ergo tu saluum

In exposit. Cantic. cap. 39.

Epist. ad B. Virginem.

In Collat. Patrum.

velis,

velis, quomodo damnari possit? *Qui te inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Et ipsa ratio hoc dicitur: Si ego cupiam aliquid assequi, à quo me abstrahat, vel impediatur, vel saltem impedire conetur, potentissimus aliquis hostis, cui ego viribus meis proprijs resistere vix possim; Sit porro Persona Nobilitate pariter & potentia excellens, quæ me promoueat, quæ me defendat, ut quod prætendo, sine omni dubitatione assequar. : Et quod plus est, hostem meum insuper impediatur, vel eum omninò perdat, ne remoram obijciat, meosq; conatus turbet aut retardet, de Effectu desiderij mei, certius ad huc assecurabor; Ad rem ergo: Omnes speramus æternam salutem, & Christus qui neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire, desiderat omnes saluos facere, & ad summum boni possessionem, euehere & promouere; Est porro terribilis ille, & Iuratus hostis humani generis Diabolus, qui tanquam Leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret, qui Saluatoris molimina, modis omnibus cuertere cupiat, & interturbare: idque cum ferio agat, tota hominis vita, potissimum tamen omnes neruos, in fine vitæ cuiuslibet hominis intendit, teste Angelo: *Va terra & mari, quia descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Quam potens sit hic hostis, qui factus est, ut neminem timeret, asserente S. Iob, facile colligere est, ex illis, quæ multoties effecit, dum innumerabiles animas, voluptatum esca, in nassam suam, pellectas, intercepit, & in æterna gehennæ incendia, experientia teste præcipitauit.

Sed quis est, qui hunc iuratum, Salutis nostræ hostem, valeat impedire? audimus ipsum Deum, in Paradiso loquentem: *Ponam inimicitias inter te & mulierem, & inter Semen tuum, & Semen mulieris, & ipsa conteret caput tuum,*

III. Ratio
firma.

1. Tim. 2.

1. Petri. 5.

Apoc. 10.

2. Bonissima
Virgo resistit
Diabolo, ne vos
in assequenda
salute impediatur.

Et tu insidiaberis calcaneo ipsius. Hic Semen Virginis, & semen Serpentis, contraponuntur. Qui sunt Semen Virginis? Omnes eius deuoti. Qui Semen Serpentis! Omnes Heretici & Osores cultus Beatissima Virginis: Sicut ergo serpens, Clientes suos pertrahit ad interitum. Sic Serpentis Calcatrix, seruos suos, ad æternæ vitæ gaudia, feliciter indipiscenda omni remoto obstaculo, veraciter promouet, vt Deo coniuncti, ab eo nunquam possint separari: quid Serpens contrahitur? O verè magnum, ô præstantissimum Solamer, omnium Virginis Deiparæ Cultorum: Verè ô Dei Mater, qui te inuenerit, inueniet vitam, & bauriet salutem à Domino.

5. Obiectio de
conuitali pec-
catorum solui-
one.

Sed audio pusillanimum quendam tergiuersatorem, nobis oggerentem: Ego miser ac maximus peccator, percuperem equidem, Virginis deuotioni me totum addicere ac mancipare; Verum grauisissima, qua iam inde à Iuuentute commisi, peccata, me absterrent; timeo ne patiar repulsam; & ne ab eius favore & gratia reijciar, & excludar, pertimesco. Ast ego tibi respondeo Modicæ fidei, quare de Misericordia Virginis dubitasti? Nescis eam ad saluandos peccatores, in Dei Matrem exaltatam? Filius eius peccatores recipit & manducat eum illis:

Matth. 9.
Luc. 14.

Et tu dubitas, Matrem adeò benignam, peccatores, dum modò resipiscere, & à peccatis cessare velint, à tutela sua repellere, & abominari? absit tantum nefas, tantam eius Misericordiæ blasphemiam, vel somniare, nedum animo concipere & affirmare. Vidit S. Gettrudis virgo, in mentis excessu, intra virginis pallium, vtrinqs amplissima laticudine protèsus, ad pedes eius, omnis generis serpentes, aliaq; sine numero reptilia, venenata. Spectaculum demirata, reuelante Angelo, intelligit & condiscit, bestiarum illarum multitudine, innumerabiles peccatores significari, qui à peccatis liberari, & saluari cupientes, ad gloriosæ Virginis Patrocinium confugissent, vt per eam, gratia filij eius, potirentur: Quid

3. Visio S. Ger-
trudis Ludoui-
cus Blossus in
Monili Spiritu-
uali ex inspi-
rationibus.
Diuina picta-
tibus.

hæsit


hæsitatis igitur, de Misericordia & benignitate, Clementissima
 peccatorum Receptatrix? Verissima S. Brigittæ reuelatione,
 ab Ecclesia in Concilio Constantiensi approbata, Scri-
 ptoris libri illius verba recensendo, te confirmatim di-
 mittam: Fuit, inquit, Beata Brigitta Filius, cui nomen Carolus,
 iuuenis aetate ac moribus, militia deditus, qui ea in aetate mortuus est.
 Anxia erat Brigitta, de Filij aeterna salute, quam hac visione
 Christus Dominus consolatus est. Vidit tribunal iudicis, & in eo
 Christum sedentem, ad cuius dextram MARIA Mater erat.
 Accessit Damon ad iudicium, & ait: Iuste Iudex, aded iustus tu es.
 Ut sperem me à te obtenturum, quod iuste petiero, etiam si contra
 Matrem tuam petam, ego Inimicus, iniuste illa mecum, egit, in
 morte Caroli, in duobus, quorum illud primum fuit, quod die vlti-
 ma vitæ illius, illa cubiculum eius ingressa est, eiq; adfuit in extremis
 laboranti, meq; illa die inde expulit, nec vlllo modo passa est, eò me
 ingredi, ut tentare Carolum possem. Qua in re, manifeste mihi
 vim intulit, ius enim à te mihi concessum est, homines tentandi,
 maxime tamen postrema die, qua vniuersum hominis negotium
 conficitur. Iube ergo animam illius, in corpus redire, & per diem
 mihi concedatur, ut tentem eum. Quod si euaserit, mibiq; viriliter
 restiterit, saluus sit: nunc verò iure, salutem consecutus non est, sed
 iniuria: Secundò verò, mihi à Matre tua irrogata iniuria hæc fuit,
 quod cum ego tanquam apparitor, debeam animas in iudicio præ-
 sentare, ac accusare, Mater tua, Animam Caroli, corpus exutam,
 inter brachia recepit, ad iudicium tuum detulit, meq; iudicium in-
 trare prohibuit, & eum accusare, iudiciumq; sine parte actum est,
 quod contra omne ius est. Respondit MARIA: Licet Damon Pater
 esset mendacij, ibi tamen vera dixisse, quia coram veritate prima,
 ageret, eamq; prestitisse, anime Caroli beneficia præclara, eò quod
 ille in vita, eam summè dilexisset, omniq; die se illi commendasset,
 & insuper, summè eum letatum de bonis MARIÆ, & pro eam vi-
 tam fundere paratissimum; cumq; ille, tanto erga eam affectu fuis-
 set, debuit illa in morte illi adesse, & hæc in eum beneficia conferre.

4. Reuelatio S.
 Brigitta facta
 Concil. Const. in
 p. Card. Turro.
 Ioann: Ofor.
 Tom. 4. Cap. 6.

148 Sermo XVI. De Ratione cur B. V. M.

Respondit Iustissimus MARIÆ Filius: Mater mea, in Regno meo principatur, non ut alij electi, sed tanquam Mater, Regina ac Domina, ac proinde potest dispensare, in legibus à me latis, cum iusta intercesserit causa, iustissima verò fuit causa, ut cum Anima Caroli dispensaret, sic enim honorandus erat, qui Matrem meam tanto dilexisset, affectu, & ea erat morte donandus, quare super hac causa, perpetuum silentium Dæmoni indictum est. Qua reuelatione, intellexit Beata Brigitta, Filium suum, in cœlesti Regno, commorari, adiutrice MARIA, propter ipsius in illam, eximiam deuotionem.

Tu igitur, ô Gloriosa Domina, cuius honori tricesimalia laudum tuarum obsequia dicauimus, nos quoq; fragiles Peccatores, sub Materna Protectionis tue pallio, abscondere, Iram diuinam, à nobis auertere, contra Sathanam in extremo agone, nos propugnare, Calumnias eius ante Filij Tribunal, à nobis propulsare digneris, ut Sacratissimorum eius Vulnerum merito, saluati, te vna cum illo, perenniter glorificemus & benedicamus in sæcula sæculorum, Amen.



S E R M O XVI.

Cur in cœlesti throno ad filij dextram potissimum fuerit exaltata.

Elevata est Magnificencia tua super calos. Psalm. 8.

Sicut Augustissimum Assumptionis Deiparæ Festum, quo ipsa cum Anima & Corpore fuit introducta in cœlum, super omnes Angelorum Choros, exaltata, & ad dextram Filij sui collocata, à tota cœlesti curia atq; supernis Ciuibus, summa festiuitate, gaudio & applausu, quotannis celebratur: Ita

Ita æquum est, vt idem sacratissimum eius Festum, à Militante adhuc in terris Ecclesia, & ab omnibus verè fidelibus Christianis, per totum mundum, quanta fieri potest solennitate, peragatur. Nec sine causa: Sicut enim illi hoc ipso die exceperunt Regis sui, Matrem, & Reginam, ex cuius aspectu & præsentia, tota Hierusalem cœlestis, summa iucunditate, gaudio & voluptate, perfundebatur: Ita nos miseri mortales, in ærumnosa ista miseriarum, valle, adhuc positi, singularem accepimus Patronam, *Advocatam, Protectricem, immò dulcissimam Matrem*, quam Dei Filius, vt Ecclesia sancta orat, cū S. Gregorio Magno, *idcirco de præsentis sæculo transulit, atq; ad dextram suam collocavit, vt pro peccatis nostris, ad ipsum & Patrem cœlestem, fiducia- liter intercedat.* Quod ipsum dum ad gloriam Filij tui, & tuam ipsius laudem, ò Beatissima *Cœlorum Regina*, ex verbo Dei, atq; alijs cœlestis doctrinæ fontib⁹ declaratur, fac ope tua, per gratiam Filij tui, vt omnes qui audiunt, singulari deuotione, ergate, & Filium tuum, inflammentur. Amen.

Eleuata est magnificentia tua super cœlos: dignissima Mater tua, super omnes Angelorum Choros est sublimata: Nec immeritò MARIA optimam partem elegit, que non auferretur ab ea. Sicut optimam & præstantissimam partem Gratiæ nacta est in terris: Ita optimam & altissimam gloriam consecuta est præ omnibus alijs creaturis Rationalibus, id est hominibus & Angelis beatis, in cœlis: quæ sola ex omnibus hodie gloriosa est *eleuata, super omnes Angelorum Choros* atque ad dextram Filij collocata: Annon tu S. David eam hac in gloria, quādo hodiernum eius Triumphum in Spiritu intuebaris, in hoc inquam, Regio splendore, eam conspexisti? *Assitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate:* O Messia, Regina Mater tua, Regina super cœlum & terram, inaugurata, Mater vt-

In Orat. Scote.
ea Vigilia Af.
sumptionis.

I. Virginis Elogia
Varia.
Luc. 10.

Psum. 44

150 *Sermo XVI. De Ratione cur B. V. M.*

pote Regis omnium, *Astitit tibi à dextris, in vestitu deaurato, in summa gloria, diuersisq; gratiarum donis, quibus ipsa quasi deaurata, & splendenti Chlamyde cernitur amicta.*

*1. Cor. Vltimo ad
fili; dextrâ scep
in Cælo.*

Ad quid porrò Regina Mater Mesiæ, ad dextram Filij astitit, in tanta gloria, in tanta Maiestate? Si queritis dilecti respondetur: Præcipiebat Deus Moyse in cultura Tabernaculi sui, cum iam omnia perfecisset; *Pones & Propitiatorium, super arcam Testimonij, in Sancta Sanctorum*: Sic hodie, postquam Dei Filius, Ecclesiam suam fundasset, ac eam satis instruxisset, *Arca vere Animata, non Tabularum Legis, sed ipsius Legislatoris*: Non corruptibilis Mannæ, sed *panis qui de cælo descendit*; Non Virgæ Sacerdotalis sed veri Sacerdotis & æterni Pontificis *secundum ordinem Melchisedech*, hodie collocata est in Sancta Sanctorum, translata in Cælum: In eaq; positum est Propitiatorium, vt omnes qui Deum Filium eius, ob peccata Iratum & insensum sentiunt, per ipsam Propitiationem & gratiam, possint impetrare: Hic ò miseri Peccatores *Fons omnis salutis*, vestro commodo aperitur: *MARIA optimam partem elegit, que non auferretur ab ea in æternum*, vt vobis optimam Reconciliationis Diuinæ partem possit semper exhibere.

*3. Suppletio Va-
uicini; Balam.
Num. 24.*

Hic tuum, ò Propheta Balaam impletur vaticiniū, quo huius Virginis Exaltationem, & causas, cur ad tantam gloriam fuerit euecta, clarissimè descripsisti: *Consurget Virga de Israhel, & percutiet Duces Moab, vastabitq; Filios Setb, & erit Edumæa possessio eius, hæreditas Seir cedet Inimicis suis, Israhel verò fortiter aget*: Orta fuit hæc *Stella ex Iacob*, quando ex Anna & Ioachimo, ex tribu Iudæ oriundis, concepta fuit, & in hunc mundum producta: confurgebat porro hæc ipsa Stella, se seq; instar Virgæ potentis & Sceptri erigebat, ex omnibus tribubus, Israhel, ex omnibus Filiabus Sion, quando in corpore, tertio die resuscitata, hodieq; assumpta fuit in cælum. Percutiebat hæc potens Virgo,
domina-

dominatu suo ac potestate, *Duces Moab*, Principes Infernales, quibus in femine suo, benedicto inquam fructu ventris, capira conterebat, vastat adhuc omnes *Filios Seth*, omnes Hæreticos, qui honorem eius impugnant, unde ipsam Ecclesia laudat, in illo cantico, ab insigni miraculo exorto: *Gaude MARIA Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti, in uniuerso mundo.* Et facta est *Idumæa*, hoc est Ecclesia Militans, in terris, ex gentilibus idololatriis coadunata, *possessio eius*; nam omnes Filij eius colunt Virginitatem, vt Reginam Dominam & Matrem suam. *Hæreditus Seir* Maledicta habitatio Dæmonum. Ignis æternus, superuenit Inimicis eius: Israhel verò Electi, vt Deum olim 2. Corinth. 13. facie ad faciem videant, quem nunc Fide quasi *per speculum in enigmate* contemplantur, fortiter agent, in cultu & deuotione huius Reginæ, quidquid Hæretici obganniant, constantissimè perseuerabunt. O potens, ô Magnifice mundi Redemptor, Messia, ecce hic iuxta Davidis varietium: *Virgam virtutis tuae, emittet Dominus ex Sion, dominare* Psal. 148. *in medio inimicorum tuorum.* Ecce hanc *virgam virtutis tuae*, Matrem tuam, ex qua carnem sumpsisti, qua nos redemisti, *Emittet Dominus* è cælo, *dominare* per hanc virgam, per Matrem tuam in medio Inimicorum tuorum, in medio frementium Hæreticorum, qui nihil minùs, quam cultum Virginis Matris tuæ, aut possunt aut volunt tolerare. *Eleuata est* nihilominùs *Magnificentia tua super cælos.*

Iubebat Dominus, vt Iosue in terra, quam armata manu occupatam, Filij Israhel iam distribuebat, erigeret, *ciuitates Refugij & Asyla*, ad quæ confugiens: *Quicumq; animam proximi percussisset, nescius, vt possit euadere, iram proximi, qui est ultor Sanguinis illius*; Sic verus Iosue noster, Filius, Dei, postquam nos per Iordanem sanguinis sui, traduxisset, & terram promissionis cœlestis Regnum, gladio Crucis, & igne amoris sui, acquisiuisset, insuper postquam *prima-*
rium

27. Beatus
Virgini.
Iosue. 20. 21.

152 *Sermo XVI. De Ratione cur B.V.M.*

rium *Asylum* & Principalem refugij Ciuitatem, *Benedictam* humanitatem suam, eleuatam ad dextram Patris omnipotentis, constituisset, aliud nobilissimum *Asylum*, ad dextram *Maiestatis* suæ erexit, quando Matrem suam, in Throno gloriæ, *super omnes Angelorum choros*, exaltatam, collocauit: *Eleuata est Magnificentia tua super caelos.*

2. *Figura variæ benescentiam Virginis declarantes.*

Et sicut Salomon *Bethsabæam* Matrem suã cuiusdam petitionis causã, ad se venientem, in throno iuxta seposito, sedere iussit: *Et surrexit*, inquit scriptura, *Rex in occursum eius, adorauitq; eam, & sedit super Thronum suum positusq; est i thronus matri Regis, quæ sedit ad dextram eius. Dixitq; ei: Petitionem unam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam.* Et dixit ei Rex: *Pete Mater mea, neq; enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Hic ò Christiani, in hodierna *Assumptione* in cœlum, Mater veri Salomonis, collocatur in Throno *Maiestatis*, iuxta Filium suum, apud quem vota nostra, suspiria, desideria & petitiones offert, & vt, quod speramus, efficaciter impetremus, fidelissimè procurat, Neq; enim fas est vt filius Dei, faciem suam ab illa diuertat. Potuit Rex Salomon *Reginæ Sabbæ*, ad se venienti, à finib; terræ, omnia dare, omnia concedere, quæ ipsa flagitauit: *Quid ni cœlestis Salomon, Matri suæ ad se hodie, ex calamitosa & ærumnosa Miseriarum Valle, in cœlum venienti, omnia quæ pro nobis intercedendo, efflagitat, etiam annuere? Eleuata est magnificentia tua super caelos.* Isthic in throno gloriæ suæ confidens, dies & noctes sollicita est, hæc *Diuina Iudith*, pro populo suo, à varijs hostibus obfesso, & cogitat, quomodo eum ab omni hostilitate *Infernalis Holofernis* vindicet, eumq; potenti manu sua, obtruncet, omnemq; potestatem eius dissipet, consilia caprat. Isthic vt vera *Hester* orat pro populo suo ad cœlestem Patrem, & placat iram *Regis Assueri*, Christi Filij sui, eamq; à nobis in colla Inimicorum nostrorum, auertit: *Eleuata est magnificentia tua super caelos.*

3. *Reg. 10.*

Iudith. 3.

Est. 14 & 15.

Audi-

Audite Fideles, audite pij cultores huius Reginae, 3. Ipsa Virgo beneficia sua declarat. quam optimam partem vobis per hanc inaugurationem suam gloriosissimam, tam possit, quam velit, communicare; audite quibusnam verbis, summariter potissima beneficia, quæ ab ipsa possitis sperare, comprehendat. Ecccl. 24. *In me gratia omnis, clamat per os Sapientis, via est veritatis.* *In me spes omnis via est virtutis,* qui viam ad Filium meum, qui est veritas ipsa, qui virtutes, quibus ad ipsum, velut vitam, quasi gradibus ascenditur, sperat, qui cupit indisce, apud me inueniet; atq; vt eo maiori cum fiducia me accedat, & petat ac pulset, sciat me fidelium, non nouercam, sed Matrem piam ac benignam esse. *Ego mater pulchra dilectionis; tenere diligens filios, Mater Timoris, incussi hostibus. Et agnitionis, Filij mei per Fidem; Et Sanctæ spei,* per meum namq; interuentum, omnia possunt à fidelibus, apud Filium meum procurari. Quid plura! Non sum dura, non sum austera, non sum ad audiendum difficilis, non aspera in clamantibus spem meam, *Spiritus enim meus super mel dulcis, & heredita mea super mel & fauam.* Quid cunctamini? quid moramini? cur benignitatem meam non usurpatis! *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Venite ad me omnes* Matth. 11. *qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos: Iugum enim deuotionis meæ, suauis est, & onus meum leue;* Nam labor, qui pro honore meo suscipitur, à Filio meo multipliciter, etiam in hac vita, compensatur. *Eleuata est ideo, magnificentia tua super caelos.*

Non immeritò miraris ô Salomon, non quidem in III. Vilitas eius Deuotionis Admiranda Virginis Encomia. literalis sed mystico sensu hanc Patronam contemplans, admiranda huius mulieris beneficia, in genus humanum cum profers: *Mulierem fortem quis inueniet?* quæ tam fortiter Dæmones superauit? Prou. vi. *procul est ab ultimis finibus, quin immò è summo cælo precium eius. Confidit in ea cor viri sui,*

154 *Sermo XVI. De Ratione cur B.V.M.*

qui sibi eam deuoto seruitio, quodammodo desponsauit, qui semper eam in mente habet, cuius cor in ipsius misericordia semper, in omni tribulatione confidit: *Et spolijs non indigebit*, non aliunde auxilium nobis curabit, sed ipsa pro nobis apud Filium laborabit: *Reddet ei, cultori suo, bonum, non malum, omnibus diebus vitæ tuæ.* Nunquam ei necessaria huius vitæ, deerunt. *Facta est quasi nauis insectoris, de longè portans panem suum, vbi ipse non persuaferit sibi, sentiet optimam benedictionem Dei, in agris, in vineis, in hortis, Et de nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Manum suam aperuit inopi.* afflicto Christiano opem suam exhibet: *Et palmas suas extendit ad pauperem, eius opitulatum flagitantem; Non timebit domus sue à frigoribus niuis, anima ipsi deuota in Charitate Dei & proximi non facile frigescet; Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus, omnes eius deuoti Clientes, Diuino simul & Angelico præsidio, defenduntur.* O beatum illum, qui eam sibi deuotissimo cultu, velut vxorem, spiritali connubio copulauit: *Nobilis in portis vir eius, deuotus eius Cultor: Nobilis & conspicuus erit, pietate, & bono exemplo, inter alios fideles Christianos, quando sederit cum senatoribus terre. Fortitudo & decor indumentum eius, Fortitudo dabitur ei contra omnes tentationes, decore virtutum variarum ornabitur: Et ridebit in die nouissimo, in extremis suis lætabitur, de eius patrocini- nio, cum sub ipsius tutela, securus, coram Diuino Tribunali comparebit.* O Anima Christiana, huic Reginae deuincta; *Multa Filia congregauerunt diuities, tu super gressa es vniuersas.* Angelici Spiritus, variarum gratiarum dona, acceperunt à Deo; Tu plura per Dei Matrem poteris ab ipsa sperare: Nam ideo *elevata est Magnificentia eius super celos.*

2. Vat. cinii 4m

Prædixit hanc tutelam fidelibus suis Dominus Deus
per

per os Isaia: *Super omnem gloriam protectio quasi dicat: Nihil* Isaia 40.
melius, nihil gloriosius, in hac vita, quam protectio & Isaia 4.
tutela Dei Matris: Et tabernaculum erit in umbraculum dæi,
ab æstu, & in securitatem & in absconsonem à turbine & à pluvia.
Tabernaculum vteri virginalis, in quo Dei Filius nouem
mensibus recubuit; Erit afflictis & tribulatis Christianis
peccatoribus, ab omni tentatione *Umbraculum* quasi &
securum asylum ac refrigerium; sub alis tuis abscondes eos,
quando afflabuntur à turbine Iræ Diuinæ, quando tri-
bulationis pluvia, madescunt. O ineffabilis gratia, quam
in hoc Tabernaculum effudisti, dum in eo promissionem
tuam implesti: *Domum Maiestatis meæ glorificabo,* innumeris Isaia 40.
miraculosè collatis beneficijs, Matrem meam, ad singu-
lare commodum, eam inuocantium, illustrabo. *Replebi-*
mur igitur ô Domina & Principissa cœtus mundi, in bonis Psal. 64.
domus tue, Mirabile est templum tuum, hoc animatum, in equi-
tate, erga omnes homines, ipsis opitulando, sine omni
acceptatione & respectu personarum, etiam grauissimor-
um Peccatorum. Verè dixisti, ô Regina Mater, ô *Fons*
benignitatis, ô Sinus Misericordie, vetè & cum fundamento
protulisti: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem* Prou. 3.
à Domino, temporalem pariter & æternam. Tu namq;
iuxta mandatum, S. Petri Apostoli, *Sicut accepisti gratiam,* I. Petri. 4.
in alterutrum, illam administras, sicut bona dispensatrix multi-
formis gratie Dei: Gaudete ô Deuoti Filij dignissimæ Ma-
tris: Propter vos *elevata est Magnificencia eius super cœlos.*

Ad hanc gloriam, inquit S. Augustinus, *tu gloriosa* IV. Patrum
perfectè prouecta es, vt Supremo Rege nihil habeas superius, in super- Test monia.
nis. Que Angelicam transiens dignitatem, vsq; ad Summi Regis Serm. de Ass.
Thronum, es sublimata. Vbi enim posuit idem Rex Filius tuus, quod Sumpt. Virg.
ex te suscepit, ibi te posuit Reginam, ex qua suscepit: Neq; enim
fas est, alibi te esse, quam vbi est id, quod à te generatum est, hinc
nos per te hereditamus misericordiam miseri, ingrati gratiam,

VENIAM

156 Sermo XVI. De Ratione cur B. V. M.

Serm. 29. in
Cant.

veniam peccatores, sublimia infirmi, cœlestia terreni, Deum homi-
nes, mortales, vitam & patriam peregrini. Unde non in-
congruè S. monet Bernardus: O homo securum habes acces-
sum ad Deum, ubi habes Matrem ante Filium, Filium ante Patrem
Filius ostendit Patri vulnera & latus; Mater ostendit Filio pe-
ctus & vbera; nulla ergo ibi poterit esse repulsa, ubi tot sunt Char-
tatis insignia. Et verè: Quid mirum si pietatem exhibent vi-
scera pietatis? nonne qui pomum manu sua tenuerit dimidia die,
reliqua diei parte pomi seruabit odorem? quantum ergo viscera
illa, virtus pietatis affecerit, in quibus nouem mensibus diuina pic-
tas requieuit? Nam & ante mentem quàm ventrem repleuit, &
cum ex utero processit, ab eius animo non recessit.

2. Remotio do-
bij de eius Pa-
tricio.
Lib. 4. Fid. or-
thodox. cap. 4.

Dubites tñ, ò Hæretice, eam posse hominibus alijs
opitulari, utpote quæ & ipsa homo fuerit? Similis tibi qui-
dem, audi S. Ioannem Damascenum, tibi respondentem,
similis, inquam, Natura sui, sed dissimilis gratia, quæ omnem,
etiam Angelicam Creaturam superauit: Nam ut parens eius, pui
omne cœlum, omnemq; naturam molitus est, verè ac propriè, in nos
vniuersos, Hera ac Regina nomen, & Ius adepta est: Quin etiam ò
Benedicta hominum & Angelorum Regina, ait Petrus Dami-
anus, summa gloria est, post Deum te videre, adbarere tibi, in
protectionis tua nomine demorari. Non dubitet quis, eam nos
posse iuuare, habet Lunam sub pedibus, id est omnem Creaturam
sub potestate ac directione sua, testatur S. Athanasius; Dum e-
nim Mater facta est Creatoris, omnium quoq; Creaturarum Mater
est effecta.

Serm. de Nat.
Virg.

Serm. in Euan-
gelia de S. Dei-
para.

3. Inuocationes
Virginis ex S.
Athanasio, S.
Ephram, S.
Anselmo, su-
per Euang. de
annunciat.

Unde & ipse S. Athanasius, eam deuotè inuocat: :
Decet te matrem regeneratricem, Dominam ac Heram cognomi-
nari, eò quod ex te prodijt, Rex Dominus ac Deus noster, te in-
quam, assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem du'ci,
omnemq; gratiam largienti; qua de causa factum est, ut gratia
plena appellata sis, utpote quæ omni gratia abundares, idq; per su-
peruentum in te Spiritus sancti, ideoq; vultus tuus deprecantur

omnes



omnes diuites plebis, ditata scilicet eiusmodi bonis, & contemplationibus. Ad te ergo clamamus, recordare nostri Sanctissima Virgo, qua ideo adstas ad dextram Filij, ut nos audias & exaudias, & pro nobis cum fiducia interuenias, retribue nobis, pro exiguis eloquijs magna dona, ex diuitijs tuarum, gratiarum, tu quae gratia plena es.

Sic etiam eam inuocat S. Ephraem. Sub alis tuis custodi me, In Encom: Da-
ô Regina, & protege me, miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui para
sceleribus quam plurimis, Deum meum ac Iudicem offendi, ne aduersus me glorietur, Sathanas exitiosissimus. ne in me exurgat exetrandus Inimicus meus. ne Seruum tuum à tui spe destitui cognoscam, ne calumnietur me, detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia ô Virgo sincera; Tu enim meus portus ô Virgo, inuiolata, & praesens auxiliatrix. Deniq; sub protectione tua, & tutela totus sum, crebris lachrymis ô Celeberrima Mater te imploro, aduoluo tibi, suppliciter clamans: Interueni pro me, iugiter apud Filium tuum.

Sic eam quoq; inuocat S. Anselmus: Rogamus te Domina Lib. de Excel-
per ipsam gratiam, qua te pius & misericors Deus sic exaltauit, & lent. Virg. glo-
omnia tibi secum possibilis esse donauit, quatenus, id apud ipsum riosa, cap. 12.
nobis impetres, & obtineas, ut plenitudo gratiae, quam meruisti, in nobis sic operetur, ut participium beati praemij, nobis misericorditer quandoq; donetur. Sic quoq; eam inuocat Theophilus Surini in eius
Oeconomus, desperatus, sed resipiscens, & homagium vita.

Diaboli reuocans: Domina mea benedicta te habeo post Deum protectionem, & defensionem, & ad tuum intuens auxilium, & gubernationem, non faciam irrita, qua tibi sum pollicitus. Scio enim, scio ô benedicta, non esse aliam post Deum ac Filium tuum, hominum defensionem, nisi te solam. ô Dei Parens. Quis enim ô Domina sperauit in te, & pudore est affectus! aut quis hominum fideliter tuam omnipotentem inuocauit opem, & fuit unquam derelictus! reuera nullus unquam, quamobrem ego quoq; peccator, & nequam, rogo tuum perennem fontem, ex quo fluunt ad animas nostras curationes, praebe mihi viscera miserationum, qui aberrauit & cecidi in pelagus Luti. Quis igitur de Patrocinio eius du-

Apud Galatium. lib. 7. cap. 4.

Cap. 17.

V. Historia de peccatore desperatissimo gutta sanguinis Christi servato. In Stellario Corona Beatissimæ Virginis.

Vulnus cordis benedicti Domini IESU.

bitet? immò tam est indubitatum, vt Rabbi Simeon multo tempore ante natum Messiam explicans. Cap. 17. Proverbiorum Salomonis, docuerit, *Messia matrem pro Filij sui potissimum sequacibus oraturam, quando eos sisset ante suum tribunal, & rationem ab illis exiget.* Iudæi ante Christum hoc crediderunt; Petores Iudæis Hæretici negant: Sed quid ad nos illi? *MARIA optimam partem elegit, qua non auferretur ab ea.*

Ego rem nostram post Sanctos Patres adstruo, & affirmo, insigni & per celebri Historia, quam Pelbardus Temes variensis recenset. Infamis quidam desperatissimæq; malitiæ, Peccator, ad extremi agonis angustias redactus, cū iam Animam agēs, à Dæmonib⁹, ad seuerissimū Iudicis Tribunal raperetur, & tum ab ipsamet Conscientia sua, vehementissimè accusaretur, tum etiam à malignis hostibus ingentia scelerum volumina, exhibentibus, instantissimè ad æternam damnationem deposceretur, quin etiam, infernalis putei Os apertum, conspiceretur, cum iam nil certius, præter æternæ damnationis sententiam, ab Irato Iudice expectaret, totus in se ipso contermiscens, & anxius, fiducia que dubius, vidit Beatissimam Virginem, cui æternam salutem suam, in festiuitatibus eius, obnixius quandoque commendauerat, in medium prodeuntem, & apud Filium vt vel vnicam, preciosissimi Sanguinis sui, guttulam de Iustitiæ rigore, effusi damnâdo peccatori, ex Diuinæ Misericordiæ Thesauro, impetraret, impensissima sollicitudine, supplicentem. Cui vicissim Filius; *Mater mea Charissima, non est æquum, vt quod petis, tibi à me denegetur; Quod postulas, impetrasti.* Res mira & stupenda, sed aspectanti ac tremebundo peccatori de æterna salute sua dubitanti, periucunda: Videbatur ei è Sacratissimi Dominici lateris, & lancea aperti cordis Vulnere, Sanguinis guttula emergere &


exire,

exire, quam cum Dei Mater digito abstersam, in bilance, qua eius peccata ponderabantur, maxima cum reuerentia deposuisset, Lanx antea pondere suo, ad terram vergens, momento, fauillæ instar, alieni abatur, ut altera præponderante, in excelsum eleuaretur: Quo viso confusi Dæmones, abscessere; & reus à Liberatrice sua, Beatissima Virgine, tantis periussus est, ad vitam redire, donec veteris vitæ delicta, emendasset, & viuendi ritu in meliùs commutato, misericordiæ potius, lenitatem, quam Iusticiæ acrimoniam, sibi conciliaffet. Nec res oprato caruit euentu, mutauit Æthiops pellem suam, Cor lapideum in carneum transijt, ex Inimico gratissimus Dei Seruus, euasit, culpis ritè expiatis, sanctissimè obdormiuit, vigilantissimæ Interpellatricis, Virginis opem felicissimè assecutus.

Peccator damnandus gutta Sanguinis Christi à Virgine impetrata liberatur.

Annon & hîc, ô Gloriosissima Virgo in coelos assumpta, *magnificentia* misericordiæ tuæ, *elevata est super coelos*, toti que Mundo conspicua est effecta? Eia igitur, cum ideo in coelum, te audiamus assumptam esse, ut pro peccatis nostris ante Tribunal Filij cui, fiducialiter intercedas, te obsecramus, te integris ac solidis cordium nostrorum affectibus, vnicè rogamus; dignare tuum circa nos officium, exereere, pro nobis apud filium iugiter interpellare, ut criminum nostrorum culpas abolet, pœnas dimittat, indignationem suam à nobis auertat, & nos sub comitatu Præsidiôq; tuo, ad æterna gaudia feliciter perducatur. Amen.





S E R M O XVII.

Beatissima Virgo, ideò in cœlum est assumpta,
vt quinq; officia in miseros mortales exer-
ceat, quæ sub eius Nominis literis,
continentur.

Eleuata est Magnificentia tua super cœlos. Psalm. 8.



Vlgare dictum est; *quam quisq; nouit artem, in hac se exerceat*: Misericordiæ Mater, quæ Misericordiæ abyssum, Mundo perditio protulit, quæ diuinæ Clementiæ hactenus conclusas catastroctas reserauit, quid aliud vnquam, in cœlos, exaltata, & ad Filij dextram collocata, vigilantius cogitare, diligentius exercere, potuisset, quam quæ Diuinam Bonitatem, ad æternam nobis elargiendam Salutem, in flectere, dignoscuntur? Nec immeritò: Ideo enim se diligentes diligit, & qui manè vigilant ad eam, inuenient eam; ideo in vijs Iustitiæ ambulat, & in medio semitarum Iudicij, vt opibus misericordiæ Diuinæ ditet, diligentes se, & thesauros eorū repleat; ideo Spiritus eius super mel dulcis, & hæreditas eius, super mel & fauū; ideo qui edunt eam, & eius cultui se semel addicunt, eius amorem, adhuc de seculo in sæculum esurient, & qui bibunt, eius dulcedinem, iugiter sed sinè defectu adhuc sitient. Et quod longè exoptatissimum, æternæ salutis incrementum, qui eam inuenerit inueniet vitam & hauriet Salutem à Domino. Quod ipsum, quibusnam modis ac medijs fiat, Quinq; Nominis eius Sacratissimi, literæ, & sub eis comprehensitituli, auspiciatissimo augurio, declarabūt, cum cum in finem, ipsius Magnificentia in cœlo sit eleuata.

Eleua-

Prov. 8.

Eccl. 24.

Eleuata est magnificentia tua super cælos: Sicut Dei Filius, visibili forma, Ecclesiæ suæ Militanti, subtractus, non frustra, residet ad dextram Patris, ita nec Filij Mater sine vtilitate nostra, ad Filij dextram, hodie in gloriæ Throno, collocatur; Nosse auctis, quid Filius cum Matre, quid Mater cum Filio, super omnes Angelorum Choros exaltata efficiat?

Vultis scire, quid pro vobis Dei Mater *super omnes Choros Angelorum* exaltata, efficiat, quid agat, in cælo apud Filium? Videtur mihi singulæ literæ benedicti Nominis eius, singula eius erga nos officia eius indicare. Primo *MARIA MATER* est; nobis enim in cruce Mater data est à Filio: Matris est Filios tenere & ex toto corde diligere.

Quidni ipsa nos diligit, quos filius eius *vsque ad mortem crucis* dilexit? matris est de Filiorum salute & honore sollicitum esse, quod mater filiorum Zebedei diligentissimè fecit: Quidni & ipsa pro salute nostra sollicita sit? An ne vnquam mater poterit obliuisci Filij sui, ut ei non misereatur? multo minus ipsa nostri obliuiscetur. matris est filijs de cibo & vestitu providere: putatis hanc providentiam ab ipsa, Cultoribus suis subtractam? matris est, ægrotantes Filios omnibus obsequijs demulcere: Et ipsa summa charitate suscipit & tractat miseros & afflictos peccatores, ad filium suum conuerti volentes.

ADVOCATA est nostra, secundum alteram literam Benedicti Nominis, *MARIA*. Aduocati officium est, Clienti suo, cuius causam defendendam suscipit, apud Iudicem patrocinari, pro ipso loqui, causam eius agere, intercedere, interpellare, sollicitare etiam Negotia, sui Principalis, ne causa cadat, & ab aduersario vincatur: Sic ipsa semper nos defendit, pro nobis apud Iudicem interpellat, petitiones nostras pro nobis vrget, & quæ nos ipsi impetrare non possemus, ipsa vt Regis mater, nullo negotio

I. Quinqueviginti organos officia, ex literis Nominis eius I. M. Mater, quia Matris officia exercet.

Ioann. 19.

Isaia. 49.

II. Advocata quia id officium nobis exhibet.

Serm. de Assumpt.

gatio consequitur, & liberaliter imperit. *Aduocatam*, inquit S. Bernardus, *premisit peregrinatio nostra, que tanquã Iudicis Mater, suppliciter & efficaciter negotia nostra pertractet.*

III. Reconciliatrix.

RECONCILIATRIX est nostra secundum tertiam litteram Nominis *MARIÆ*. O quam bonum est, quam consultum, si cuipiam inensus sit & itatus, Imperator aut Rex, aut Princeps, cuius gratia carere non possumus, si quispiam apud ipsos, in gratia, tanta sit & autoritate qui nos valeat reconciliare? Sumus nos omnes graues & miseri peccatores, Deum quotidie offendimus, & ad iracundiam prouocamus: Hic nostra est *Reconciliatrix*, quæ nobis eum placat, quæ nobis eum pacatum reddit, & indignationem eius à nobis auertit: Sicut Abigail Dauidis iram mitigauit, ne eam in stultum Nabal & Domesticos eius effunderet, & quod iurauerat, adimpleret.

*I. Reg. 25.**IV. Illuminatrix.**Num. 24.*

Est nostra *ILLUMINATRIX*, iuxta quartam litteram, Nominis *MARIA*: Illuminat enim tenebras Ignorantiæ nostræ, Illuminat tenebras tristitiæ nostræ: Hinc *Stella* vocatur à Balam; sicut enim *Stella* splendore suo, & virtute, concurrat ad hæc inferiora. Ita *MARIA* gratiæ & misericordiæ suæ influxu, in miseros homines: Hinc Ecclesia cantat. *Aue Maris stella, Dei Mater Alma*: Hinc Angeli eam videntes, hodie eleuari, cum admiratione dicunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol*: Nam sicut *Aurora* aduehit diem, ita ipsa aduehit nobis gratiam. Sicut *Luna* illuminat in nocte, & regnat super omnia, quæ infra Lunam sunt; ita ipsa regnat super omnes Creaturas, & illuminat tenebras noctis huius seculi. Et sicut *Sol* splendore suo omnia obscura clarificat, & calore suo viuificat, ita ipsa splendore virtutum suarum, in Ecclesia lucet, & facundat. Sicut denique *Sol* omnia viuificat, ita ipsa calore misericordiæ suæ, reficit frigidus, & propemodû extinctos Peccatores.

Est

B. M. V. ut officijs nos adiuuaret. 163

Est denique nostra in omnibus *AVXILIATRIX*, V. Auxiliatrix.
iuxta vltimam Nominis sui literam, *Regina est hominum*
& *Angelorum*: Quidni nos adiuuet?

Regia crede mihi res est succurrere lapsis,
Conueniens homini est, hominem seruare
voluptas.

Quidni ergo nobis opituletur, quidni succurrat? Putatis
eam frustra dici *Terribilem ut castrorum aciem ordinatam*? Pu- Cant. 6.
tatis frustra interrogari de ea à Sponso: *Quid vides in Su-* Orat. 7.
namite, nisi Choros Castrorum? Sic enim, *ut acies ordinata,*
sicut castra militaria, ipsa sese opponit hostibus nostris,
Diabolis, & eorum vim, à nobis semper arceat atque pro-
pulsat: Quod si, ut S. Epiphanius affirmat, Filius eius, Heresi. 78. An
eo quod Diabolos prostrauerit, *Peccata & Mortem* debel- dico Martiani-
lârît, *Victoriosus Leo de tribu Juda* appellatur, quidni ergo tarum.
Mater eius, *contra Demones, Leana* nominetur: Ergo instar
Leanæ, formidabilis est malignis Spiritibus, eorumque
vim à nobis prohibet & auertit. *MARIA* ergo *optimam*
partem elegit, qua non auferetur ab ea.

Nolite dubitare de ipsius potentia, qua vos inter- 2. Virgini be-
cessione sua apud Filium valeat subleuare, multo minus nevolentia ad
de voluntate: Si enim in hoc mortali corpore constitu- haec omnia pra-
ta, ad auxilium proximis ferendum, paratissima fuit, si standa.
non rogata in nuptijs Canæ Galileæ, pro nouis Sponsis
intercessit; Si S. Ignatius Martyr, discipulus S. Ioannis' Ioann. 1.
Euangelistæ, aperte testatur, sibi retulisse, Mariam Salo-
me, *MARIAM Matrem IESV, omnium gratiarum habere abun-*
dantiam, & in tribulationibus & persecutionibus hilarem, in ps-
suris & indigentis non querulam, iniuriantibus gratam, mole-
statam latari, miseris & afflictis coafflictam, ac proinde, quo-
tidianum ad ipsam fidelium accursum, fieri solitum, qui
consilium & opem eius implorabant: Si inquam, misero-
rum

rorum mortalium curam agit, & eorum salutem procurabit, ideo namque *elevata est magnificentia eius super celos.*

3. *Hæreticorum
Cavillus displo-
sus.*

Scio quid hic obganniant Mariomastiges: *Iam mortua est, aiunt, licet vivens potuerit pro alijs orare, & orando operari, iam defuncta est, nescit quid de nobis agatur, nec potest pro nobis amplius interpellare:*

Quid ais hæretice, tu mortuam dicis, quæ cum Anima & Corpore iam glorificata in cælo, regnat cum Filio, vitam agens beatam & sempiternam? Tu eam *impotentem* dicis, ad audiendas inuocationes nostras, quæ Deum facie ad faciem, & clarius videt, quam ullus alius sanctus?

Sept. 3.

Si Salomon dicit de alijs iustis, qui tantum salvi sunt, quoad Animam: *Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget, illos tormentum malitia. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace:*

Dan. 10.

Apoc. 12.

Matth. 18.

Tob. 12.

Luc. 15.

Psal. 90.

Act. 12.

Toann. 5.

Enc. 16.

An mortua erit, quæ resuscitata in corpore, translata est in cælum? Obsecro te, dic mihi, O Hæretice, *hostis honoris Matris Dei.* Annon Angeli præsumunt singulis Prouincijs, Regnis, Principatibus, Episcopatibus, Parochijs, Ciuitatibus, & Domibus, immò singulis Personis? Annon preces nostras Deo offerunt, & pro nobis orant? Annon conuersionem nostram procurant, & de ea gaudent? Annon *Michael &*

Angeli eius, pugnant pro nobis contra Draconem? Annon in nostris necessitatibus nos eripiunt, & custodiunt, liberant, sicut S. Petrum! Annon Angelus Motione probaricæ piscinæ ægrotum sanabat? Annon Angeli in extremis nobis assistunt, sicut Lazaro in Euangelio contigit? Hæc omnia valeant Angeli, valeant Serui apud Regem intercessione & Patrocinio suo: stupenda res: Mater Regis Angelorum, & ipsa *Regina & Domina Angelorum,* & gratia & gloria, super omnes Angelos sublimata, minus queat, quam ipsi Serui? Vbi hic ratio, vbi intellectus? Dixit Christus de alijs *Beatis: Erunt in celo, sicut Angeli Dei:* Si in eodem statu, si sicut Angeli Dei alij sancti, annon plus poterit

Luc. 20.

terit

rerit ipsa *Regina*, non solum Sanctorum, sed & *omnium Angelorum*? Nulli Angelo, dixit vnquam Filius Dei: *Mater mea est*: Dixit autem *MARIA*; quæ est vera Mater Filij Dei. Plus igitur quam serui potest Mater, apud Filium, in æterna præsertim beatitudine Clientibus impetranda, ideo namque, *elevata est magnificentia eius super celos.*

Neget Beatissimæ Virginis Patrocinium erga Ecclesiam, erga homines fideles, qui nihil vnquam in historijs legit, Quo nam pacto, semper Ecclesiæ Catholicæ apud Filium fuerit patrocinata. Cum Pauli Samosatani hæresis Ariana impietati, plurimum affinis per varia loca, longe lateque pullularet, Beatissima Virgo, vnacum S. Ioanne Euangelista, apparuit S. Gregorio Thaumaturgo, & quæ nam Catholica veritas esset, de Diuinitate Filij sui, ei aperuit, iussitque vt illam omnes edoceret, & suum ac Filij hostem Arrium euerteret. Eique in signum tradidit formulam Fidei Catholicæ Angelicæ manu conscriptam. Succurrit toti Christianitati tempore S. Basilij Magni; Nam cum Iulianus Apostata, Christianæ Religionis extremum excidiû miniraretur, S. Basiliius Cæsareæ in Cappadocia, in Ecclesia Dei Matris, cum populo precibus intentus, Vidit ipsam orantem apud Filium pro Christianis, & S. Mercurium Martyrem, cuius corpus & arma, in ea Ecclesia quiescebant, & asseruebantur, qui eum interficeret, à Christi Matre subdelegatum. Eadem hora arma S. Martyris, in sacrario non videbantur, & post paululum temporis hasta cruentata apparebat; compertumque postea, illa ipsa hora, in Persia Iulianum interfectum ab ignoto quodam Equite, qui postea non comparuit,

Succurrit Ecclesiæ turbatæ tempore S. Ioannis Chrystostomi: Nam cum dissentirent inter se Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ Episcopi, ob eiectum S. Ioan-

Vt. Historia.
1. Ecclesiam
defendit contra
hæresin Pauli
Samosatani S.
Greg. Niss. in
vita S. Greg.
Thaumaturgi.
Euseb. lib. 7.
hist. cap. 22.
Basil. epist. ad
Greg. Neoces.
Niceph. lib. 6.
cap. 17.
Iulianum Apo-
statam è medio
sustulit.
Amphiloch. in
vita S. Basilij.

Concordat S.
Ioannem Chry-
stostomum cum
S. Cyrillo.

Lib. 14. cap. 28

nem Chrysoctomum in exilium, maximumque subortum esset dissidium, alios alijs excommunicantibus, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, præcipuè S. Ioanni Chrysoctomo infensus erat, licet alias deuotissimus Virginis Cultor esset; Huic ergo in somnis apparuit Beatissima Virgo, corripiens eum, & monens, vt innocentiam S. Ioannis Chrysoctomi post hæc defendat. Is igitur auctoritate sua effecit, vt Ecclesiæ pax paullò post, fuerit restituta & Fides Christiana latissime propagata.

Iconoclastas in-
seruit Zonaras
Tom. 2. An-
nalium.

Succurrit afflicta Ecclesiæ, cum ea ab impijs-
Tyrannis, Constantino Copronymo, & Leone Armenio,
Iconoclastis horrendissime diuexaretur, qui non solum
omnes Imagines, & reliquias contaminabant, sed & præ-
cipuos hostes Matris Virginis sese palam ostentabant.
Beatissima igitur Virgine pro fidelibus & Ecclesia, ad Fi-
lium supplicante, quod plurimis pijs & sanctis viris, re-
uelatum extitit, Copronymus igne diuinitus immisso
corruptus, cum aperte fateretur, se infernalibus flammis
torqueri, in hac vita, quod Virginis honorem sic atrociter
læsisset, desperatus viuendi finem fecit. Mater verò Leo-
nis, qui & ipse talis Tyrannus erat, vidit in somnis, ac sibi
Dei para, in æde sibi Constantinopoli, in Blachernis di-
cata, iuberet, vt ei propinaretur de vase Cruoris, Eccle-
siæ pauimentum cooperientis; quod cum illa auersaretur,
dixit Regina cæli: *Igitur tuus Filius baud finem facit per-
sequendi eos, & sanguinem eorum fundendi, qui me honorant,*
ideoq; iram meam, breui sentiet, post paucos dies, Leo miser-
ime extinctus fuit, in sanguine proprio suffocatus.

Mala plurima
tempore S. Do-
minici à tota
Christianitate
auertit Theodo-
rus author eius
vita apud Sur.

Cum Fridericus secundus in occidente, nihil non
ageret, vt Beati Petri sedem, Ecclesiam Romanam, e-
uerteret, ferroque & igni cuncta misceret Oriens autem
fero totus à vera Dei Romana & Apostolica Ecclesia,
esset alienatus, & Saladinus in Syria Christianum exer-

citum

icitum profligasset, vidit S. Dominicus, in oratione rap-
 rus, Christum humano generi grauissime indignatum,
 fulmina plurima horribilia, vibrantem, & detorquere
 volentem; sed MARIAM ei supplicem factam, rogasse,
 per vbera sua, per amorem quo ipsum semper profe-
 cuta fuisset, eoque medio, eius Iram placasse. Nec vana
 fuit visio; Nam illico secuta est maxima vbique tranquil-
 litas, in Ecclesia; Hæretici Albigenes exterminati,
 Prouinciæ Complures Prussia, Lichuania Christianismo
 adiectæ; Mahumetani ex Hispanijs depulsi; plurimæque
 Vrbes, ad Christum conuersæ.

Succurrit Ecclesiæ sub Heinrico, IV. Romanorum
 Rege Anno. 1117. cum maxima signa fierent, quæ im-
 minentem iram Dei significabant, Erant ea *Inundationes*,
 quæ totas vrbes obsorbebant, *Terra motus*, integras vrbes
 euertentes, *Monstra* in terra & Mari; fluuij se instar mu-
 rorum erigentes; pluuia sanguinis, armorum *strepitus* in
 aëre auditi, exiccatio fluminum, cum per totam vbique
 Italiam, ieiunia & supplicationes, indictæ essent, Cremonæ
 Infantulus recens natus, in cunis iacens, cœpit loqui:
se vidisse in Cælo Dei Matrem MARIAM, coram tribunali Christi,
instantissime supplicantem pro genere humano, ne grane illud Iu-
dicium, quod ob peccata, hominum, exequi constituerat, in ipsos
exerceret: quo dicto iterum deposuit loquelam, & tacuit,
 vsque ad tempus à Natura definitum. O Cæci homines,
 non vultis vel ex his exemplis discere, quantopere Pa-
 trocinium Beatissimæ Virginis totam Ecclesiam in omni
 necessitate releuarit: Illud enim, vt nobis exhiberet: *ele-*
uata est magnificentia eius super calos.

Vos ergo pij ac deuoti Christiani, qui hanc *generis hu-*
mani Aduocatam, feruenter colitis, & honoratis, qui vos
 eius tutelæ, quotidie commendatis, qui hoc Tricesimo
 quotidie mane mediam circiter, horulam, eius laudibus
 datis,

Iram Dei ab he-
minibus conet-
tatam, sedauit.
Sigebertus in
Chronico Bo-
rgius lib. 24. de
Signis Ecclesie
cap. 5.

dati, vos in quam laudabiliter agitis & piè: Non enim aliud facitis, quam quod olim ab ipsis Apostolis & Apostolicis Patribus est factum: sentietis utique, mihi credite, huius vestræ deuotionis fructum, ad finem vitæ. Age igitur, O Mater Dei, respice deuotos istos, cultores tuos, & eos ad æternæ saluationis effectum, consequendum, promoue, vt Filio tuo & tibi benedicant, in sæcula sæculorum. Amen.



S E R M O XVIII.

Quanta cum gloria atque Triumpho fuerit
suscepta in cælo.

MARI Optimam partem elegit, qua non auferetur ab ea.
Luc. 10.

2. Regum. 6.

IN sacra scriptura legimus, bis celeberrimum Festum institutum fuisse, propter *Arcam Testamenti*; semel quando Rex David eam ex domo Obededom transtulit in arcem Sion: idq; tanta cum populi læticia, tanta hostiarum multitudine, tanta Musicorum, instrumentorumque, quæ pulsabantur, varietate, tanta ipsiusmet Davidis ante Arcam saltantis, deuotione, vt impossibile sit assequi loquendo. Secundo multò maior erat solennitas, quam instituit Rex Salomon: Hæ igitur duæ solennitates, institutæ, propter Arcam Materialem, erant figuræ, celebriorum festiuitatû propter Arcam Mysticam *Novi Testamenti*, illa longe digniorem, quandoque instituendarum. Festiuitas prima in cælo est celebrata, quando hodie eius Anima gloriose assumpta est in cælum: Altera verò celebrata est, quando

2. Reg. 6.

quando Anima, corpori resuscitato vnita, *super Angelorum* Choros exaltata est in Regno cælesti: Magna est prima solennitas, non minor est altera. Quanta solennitate pompaque celeberrima, cum iubilo ac triumpho incredibili *Arca fœderis* translata fuerit à Salomone, in præsentia & comitatu totius multitudinis filiorum Israhel, in templum, ibique inter alas Cherubin collocata, vbi eam ita impleuit gloria Domini, vt nec oculis spectari, nec Sacerdotes, nimio Maiestatis Diuinæ splendore quodammodo perculsi, ante eius conspectum subsistere valuerint, sacra scriptura prolixè, cum omnibus circumstantijs recenset. Hodie verus ille ac cælestis Salomon, **DEI Filius**, veram & animatam *Aruam, noni Testamenti, benedictam Matrem suam*, cum corpore & Anima, transtulit in cælum, in Templum illud supernæ ciuitatis Hierusalem, eamque gloria & honore circumdatam, in Throno Maiestatis, ad dextram suam collocavit. Quidni cum Ecclesia sancta, *gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes, in honore Beatissime MARIE Virginis, de cuius Assumptione gaudent Angeli, & colaudant Filium DEI?* Gaudeamus inquam, & inuictissimæ Reginæ hac die congratulemur:

Hæc enim est dies omni sæculo veneranda, inquit Sophronius, *Serm. de Ass.* in qua meruit *Dei Mater* exaltari super choros Angelorum, & *Sumpt.* peruenire, ultra quam nostra humanitatis est natura. Hæc est inquam dies, in qua vsque ad throni celsitudinem, intemerata Mater & Virgo processit atque in Regni solio sublimata, post Christum gloriosa resedit. Et S. Ildefonsus: *O beatissima & gloriosa celebratio diei huius, in qua virgo venerabilis MARIA, cum laudibus cælestis militia, Poli Aulam ingreditur, & cum ineffabili triumpho excipitur, ex cuius carne Dominus IESVS Verbum caro efficitur, quam ad immortalitatis gloriam transmutatam, ac super Angelos eleuatam, nullus fidelium ambigit.* Sicut itaque hodierna die tota cælestis ac triumphans Ecclesia, solennem in honore

DEI Matris agere solet festiuitatem: sic conuenit, ut nos qui adhuc in *Ecclesia Militante*, in terris degimus, ei etiam, ex totis cordis visceribus, congratulemur, & CHRISTVM in matre sua gloriosa, non hodierna solum, sed & sequentibus triginta diebus, maiorum nostrorum deuotissimorum auito more glorificemus, & ut gratos, erga tantipiam ac benignam matrem filios decet, eius, supra omnes Choros Angelorum, exaltationi congratulemur. Quamobrem breuidiscursu parum per contemplabimur, quanto cum triumpho, non solum à Filio suo, sed & à tota cælesti Curia, fuerit excepta, & introducta in cælum. Tu O Regina & Domina mundi, ad hanc contemplationem, fauorem tuum, per Filij tui gratiam, nobis exhibe & impende.

I. Promissio &
inuitatio Christi.

Matth. 24.

Cant. 4.

Veni de Libano veni coronaberis: Quis O DEI Mater. benedicta, Quis, inquam, gloriam illam digne explicabit, qua à Filio tuo, & toto cælesti exercitu fueris excepta in cælo? Si CHRISTVS Dominus fidelibus suis, ore diuino promisit: *Quia vado parare vobis locum; & si abiero & preparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum: & vbi ego sum, illic & vos sitis:* Si, inquam, ad fideles suos, in eorum transitu ex hoc mundo, ipsemet se venturum pollicetur, & illos in cæleste Regnum, introducturum, quanto potiori Iure, hoc ipsum præstiterit, suæ dilectissimæ Matri, ex hoc sæculo hodierno die, feliciter migranti? Haud dubie totus festiuus Angelorum Sanctorum agminibus stipatus, ei occurrit, atque ad cælestia gaudia, suauissime inuitauit: *Veni, inquit, de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, veni de longa & ærumnosa, peregrinatione huius sæculi, & accipe mercedem, accipe Coronam Iustitiæ. quam mille nominibus tibi comparasti. Quod si fideles seruos suos, qui cum talentis negociando strenuè, ingentia lucra conquisi-*

fuert, quando in vltima hora transirus sui, rationem ab illis flagitabit, comperta eorum industria blande ad cælestia gaudia euocabit: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: Intra in gaudium Domini tui: Quanto benignius exceperit haud dubie benedictam matrem suam, quæ præ omnibus alijs electis, gratiæ talenta, sibi cumulatissimè collata, in DEI honore, vtilissime expendit, hodierno die compellauerit: Euge serue bone, & fidelis: Eia age dilectissima mater mea, scio te mihi in omnibus vsq; ad mortem fidelissimā fuisse: Reginam ergo non super multa, sed super omnia bona mea super cælum & terram, super Angelos & homines, te constituam, te coronabo, te inauguro Data est mihi omnis potestas, in calo & in terra; sicut disposuit mihi Pater, meus Regnum, ita & ego dispono tibi: omnia subijcio sub pedibus tuis: Intra in gaudium Domini tui, fruere iam tandem cælestibus delitijs in omni securitate, perpetuo: Iam enim hyems tribulationum transijt: iam imber dolorum & tristitiæ abiit; flores odoriferi virtutum tuarum, apparuerunt in terra nostra; iam merita tua coram Sanctissima Trinitate non solum, sed & coram tota cælestium ciuium communitate, innotuerunt: Veni de Libano, veni coronaberis.*

Quis tibi tunc sensus erat, O benedicta Regina nonne gaudio cor tuum totum affluebat? Nonne præcordia tua multò magis ardebant, quam duobus discipulis, euntibus in Emaus, & in forma peregrini, CHRISTVM suum loquentem, & ambulantiem audientibus? Quod si de Sanctis tribus magis CHRISTVM infantem, inquirentibus, ac tandem stellam supra vile tugurium, vbi tu cum Filio tuo, in summa paupertate, laticabas, stare cernentibus, S. Euangelista testatur: *Videntes stellam Magi, gauisi sunt gaudio magno, valde, id est incredibili & ineffabili læticia suere repleti: Quanto magis*

Luc. 19.
Matth. 17.

Matth. 28.
Luc. 22.
Psal. 8.

Cant. 2.

II Apostropha
ad Virginem &
S. Angelos.
Luc. 24.

Matth. 2.

Luc. 2.

gis exultauerit Spiritus tuus, in Deo salutari tuo, cum Filium tuum facie ad faciem, in gloria Maiestatis, non solum ad te venientem, conspicebas, sed & dulcissimè te ad cælestia gaudia inuitantem audiebas? Annon dicere poteris intra te metipsam: *Anima mea lique facta est, ut dilectus meus locutus est?* Annon ei gratias, pro tanta dignatione sua, Filio tuo dilecto agendo, verba illa Regij Vatis ingeminabas: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, in cælum, in Regnum tuum? Et cum gloria suscepisti me, & collocasti me in throno Regiæ Maiestatis, quando de Libano huius mundi venientem, gloria & honore coronasti?* O ineffabilis, O inexplicabilis gloriæ. qua Dei Filius hodie Matrem suam, *super omnes Angelorum Choros*, exulit & in dextra sua, in throno gloriæ collocavit; Nam si, vt S. Paulus ratiocinatur: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, seruis suis;* Quid hodie præparauerit, quid re ipsa contulerit, gloriæ Matri suæ, quæ illum longe feruentius alijs omnibus dilexit? Sane O benedicta Regina: *Multa Filia congregauerint diuitias, tu super gressa es vniuersas,* Multæ animæ sanctæ immensam à Deo gloriam acceperunt: At verò ea, qua te hodie auxit filius tuus, supereminet gloriæ omnium aliorum sanctorum, qui cum Filio tuo regnant in cælo.

2. Sanctorum
Angelorum
stupor & admira-
ratio.

Cant. 3.

Cant. 6.

Cant. 1.

Cant. 4.

Quid vos, O S. Angeli admiramini, gloriosum Regiæ vestræ ingressum, in cælum? Quid quæritis inter vos? *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, huius mundi, tendens in cælum, delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* Quid interrogatis? *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Quid, inquam admirabundi quæritis? *Ista est speciosa inter filias Ierusalem.* Ista est pulcherrima inter mulieres: *Tota pulchra est, & macula non est in ea; Mater inquam,*

quam Regis vestri, ac proinde Domina ac Regina vestra. Meritò eam Filius suus Rex vester, *Gloria & honore coronavit & constituit eam super opera maxuum suarum, & omnia subiecit sub pedibus eius, Merito posuit in capite eius coronam de lapide precioso, & gloriam atque decorem imposuit super eam: Merito Lunam cernitis sub pedibus eius, merito omnia terrena & humana sunt ei subiecta. Quid ergo mirum, si magna est gloria eius in salutarum tuo! quoniam dat eam in benedictionem in seculum seculi lætificat eam in gaudio cum vultu suo. O gloria incomprehensibilis, O Maestas ineffabilis, qua Matrem suam hodie Dei Filius condecoravit. Quando eam ad cælestia euocavit, *Veni de Libano, vent coronaberis.**

Psal. 8.

Apocal. 24.

Psal. 20.

Sic sic, O Messia, Rex noster, fieri conueniebat, ut sic honoraretur benedicta Mater tua, veniens hodie in Regnum tuum. Nam si *Salomon* Matrem suam *Bersabeam* ad se venientem, debita cum gloria & honore excepit, & in Regio Throno, iuxta se collocavit, quanto potiori iure tu vere *Salomon*, Domine *IESU*, Matrem tuam hodie ad te ex hoc mundo venientem, festiua congratulatione, totius cælestis Curia suscepisti, & super *Choros Angelorum* exaltatam, in throno gloriae, ad dextram tuam sublimasti? Si *Regina Sabba*, veniens Hierosolymam, cum multo comitatu, & diuitijs & camelis, portantibus aromata, & aurum infinitum, nimis, & gemmas preciosas & *Salomon* cum pompa & applausu excepit eam, & honorificentissime tractavit: Nec solum omnia, quæ ab eo petebat, ultro concessit, sed & insigne Palatium suum, & ordinem Mensæ Reginae ornatum, & ministeria Aulicorum suorum, & similia curiosa & complura cernenda & perlustranda, spectaculorum loco exhibuit: Quanto potiori iure, tu cælestis *Salomon*, Reginam *hominum & Angelorum Matrem* tuam, plurimo virtutum comitatu, stipatam, & in-

3. Promeritis honoribus Christi

stus Excipit dignissimam Matrem suam

1. 3. Reg. 3.

2. 3. Reg. 10.

3. *Hof. 2.**Psalm. 44.**Psalm. 44.*

numerabilibus bonorum operum meritis ornatam, honorificentissimè non solum, cum toto Aulæ tuæ cælestis famulatio excepisti, sed & omnes Regni tui opes, omnem gloriam tuam, ei possidenda, contradidisti? Si *Assuerus* Rex humilem *Hester*, Regni sui consortem assumpsit, & Regis eam diademate insigniuit, Quanto potiori iure humilem *MATREM* tuam, hodie Consortem Regni tui, & Reginam super homines & Angelos, super cælum & terram; coronasti? Merito hodie astitit *Regina*, à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate deliciarum tuarum: Merito nunc *Vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis, diuites pietate, diuites deuotione, in te MATREM DEI & Saluatoris nostri IESV CHRISTI, hodie ex huius Mundi Libano, in cælum euocatum, ve coroneris.*

III. Patrum Testimonia de Virgini Exceptione in celo.

1. Occursus ipse Christi Domini Matrem honorantia. Serm. de Assumpti Dei para.

Jniuriam vobis, O Sancti Patres & Apostolici Doctores vltro illaturus, videri possem, si vos, ab huius Triumpho, celebratione, quo Dei mater hodierno die suscepta fuit in cælo, excludere vellem; Celebrat gloriosum Dei matris ingressum in cælum, *Sophronius* Elogio isto: *Creditur quod Saluator ipse, quantum datur intelligi, per se ipse, totus festiuus occurrit, et cum gaudio, eam secum in throno collocavit, alias autem quomodo impleuisse creditur, quod in lege ipse precepit, honora Patrem tuum et Matrem tuam? Adeius profecto exequias, famulabantur, Angeli, et vniuersa Cælorum curia, congratulabatur: Neque mirum, quia honor Maternus, eius est qui natus est ex ea, quem omnis cælorum ordo, veneratur et adoras, super se eleuatum, cum Patre, in sede Maiestatis Domini: Legimus enim quam sæpè ad funera et sepulturam, quorumlibet sanctorum Angelos conuenisse, et ad exequias eorum, obsequia prestitisse, nec non et animas electorum, usque ad cælos, cum hymnis et laudibus detulisse, ubi et vtriusque sexus chori, frequenter memorantur, audit, laudesque*

laudesq; cecinisse interea, & quod perspicacius est multo nonnunquam lumine, eos resplenduisse, insuper adhuc viuentes, in carne, ibidem diuini odoris fragrantiam, diutius persensisse. Quod si ad recreandam spem, & corroborandam fidem, interdum assistentium Saluator Christus ob merita suorum, amplius comprobanda, talia & tanta exhibere dignatus est, per suos Cæli Ministros, circa defunctos: Quanto magis credendum est, hodierna die Militiam cælorum, cum suis agminibus festiue obuiam venisse Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & usq; ad thronum olim sibi, etiam ante mundo constitutionem, paratum, cum laudibus & canticis Spiritualibus perduxisse? Nulli dubium, omnem illam caelestem Hierusalem, tunc exaltasse, in effabili letitia, tunc iucundatam esse, inestimabili charitate, tuncq; cum omni gratulatione iubilasse, quoniam festiuitas hæc, qua nobis reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua.

Celebrat gloriosæ Virginis Assumptionem gloriosam, hoc Encomio S. Illefonfus: Si David cum omni populo dignum duxit Arcam veteris Testamenti, cum tanto honore profectus, ut scriptura testatur, multo religiosus est, hanc dignis laudibus commendari: Ait namq; Sermo Diuinus, quod ascendit David & omnis populus cum eo, ut ferrent arcam Dei: super quam inuocatum est, nomen Dei exercituum, sedentis super Cherubin. Ac deinde David inquit, & omnis populus ludebant coram Domino, omni virtute, in canticis, Citharis, & Psalterijs, tympanis & sistris, cymbalis & tubis. Rogo, si in figura, officiosissime tanta conseruatur gloria, quid hodie ante Beatissimam Virginem, quando illa in caelestem Hierusalem euebitur? Quantus exercitus Sanctorum præcurrit cum hymnis & canticis? Quæ nimirum Virgo, ac si Arca hodie de captiuitate huius sæculi Angelorum exequijs glorificata, reducitur, non in Hierusalem, quam decoxit & vastauit Chaldaeorum Exercitus, sed in illam veram & caelestem, quam fundauit Deus & non homo, collocatur: Hanc gloriosam matris Dei Assumptionem, in cælum, hac laude profectitur, S. Ioannes Damal-

2. Animata
Saluatoris Ar-
ca transfertur
in Cælum. Sermo
I. de Assumpt.
Virg.

Oratio, de dorm.
Dormira.

mal-

maſcenus: Aduenit Rex Chriſtus, ad ſuam parentem, diuinisq; & ab interitu, alienis manibus, ſuſcepit eius puram & nullius culpe affinem animam, eamque per Angelos in ſancta Sanctorum, qua ſunt Exemplaria vera & caeleſtia, introducit, ſub ipſas alas, quadruplicis forma animalium, & ſuo ſiſtit throno, in interiori tabernaculo, in quod praecurſor ipſe Chriſtus ingreſſus eſt, corporaliter.

3. Apparatus
Caeleſtis quo ex-
cepta fuit Bea-
tiſſima Virgo.
lib. de Excellent
Virginis Glorio-
ſa c. 8.

Hanc ipſam Dei matris Aſſumptionem, hoc eleganti diſcurſu, condecorat S. Anſelmus. Cum Filius Dei Matrem ſuam in Regnum ſuum aſſumere, & ei Magnificentiam gloriae Regni ſui decreuiſſet oſtendere, cuius, obſecro, dignitatis & honoris apparatibus, intendebat, tota Curia Angelorum? quibusue vocibus, Exultationis & ſalutis? reſonabant numeroſa tabernacula, antiquorum Patrum, ipſiſuperna curiae tunc aſſociatorum? Certe crediderim, omnes illius beatae Patriae ciues, feſtiniore ſolito ac ſublimeri nitore, decoris, ad aduentum Matris Domini ſui preparari, ac noua quadam & ineffabili, iocunditatis gratia, pro tanta rei expectatione, coniubilare. Et quid mirum? Ipſe Deus & Dominus omnium Filius eius benedictus, huius caſtiſſimae Virginis & Dominae rerum, ipſe ei ſicut vnicae Matri, totus feſtinius occurrere volebat, & aliquis de familia ſua ſe à tanti gaudij immenſitate, ſubtraheret? Vtique inter homines moris ſcitur eſſe, vnumquemque boni ſeruum, cuius ſuis praepotentis, Domini, eo maiori gaudio in amici Domini ſui aduentu exultare, quo ipſum Dominum ſuum cognouerit aduentantem omnium magis amare. Cum vero de aduentu Parentum Domini ſui agitur, de quorum ſpeciali dilectione nullus vlla dubitatione tenetur, ille nimirum magis ſe felicem aſtimat, qui maiori iubilo & feſtiniore, occurſu letitiae frena laxat. Si ergo ſic ſe habent, apud homines, quibus, ſi qua bonitas ineſt, longe tamen Supernorum Ciuium bonitati, impar eſt. Contempletur animo qui poteſt, quo gaudio, qua feſtinitate, quibus concentibus iubilabant, omnes beatorum Spirituum ordines, quando & vnicam Domini ſui Matrem, aduentare, & ipſum Dominum ſuum, ei videbant omni gloria ſua decoratum, velle occurrere? Stipatus itaque mille millibus, immo

innumerabilibus Angelorum agminibus, DEVS ipse huic piissima Matri suæ, de hoc mundo migrant, occurrere, eamque super omnes calos exaltatam, vniuersæ secum creatura, perenni iure dominaturam, in throno gloriæ collocavit.

Hanc eandem gloriosæ Virginis Assumptionem, sic extollit S. Bernardus: *Quis cogitare sufficiat, quam gloriosa mundi Regina, processerit, & quanto deuotionis affectu, tota in eius occursum, cælestium Legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? quam placido vultu, quam serena facie, quam diuinis amplexibus suscepta, à Filio, & super omnem exaltata Creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantam decuit Filium? quantum enim gratiæ in terris adeptæ est præ cæteris, tantum & in calis obtinet gloriæ singularis; Quod si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus diligentibus se, quod preparauit gignenti se, & quod omnibus est certum diligenti præ omnibus. quis loquatur? In admiratione itaque tantæ gloriæ, ad quam & quæcum, O Deipara Virgo, super omnes Angelorum Choros es euecta, in qua iam te videmus dominari, Reginam super calum & terram, merito tibi applaudimus, cum S. Augustino, dicentes: Tu in cælestibus Regnis prælata es cunctis, Virginum choris, tu agnum quocumque perrexerit, sequeris: tu Virgineos choros & ab incentiuæ carnis illecebris, alienos, per albertia lilia rosasque vernantes, ad fontes perennis vitæ, potandos inuitas: Tu in illa beatorum felicissima Regia, primi ordinis dignitatem, adeptæ, plantis roscidis oberrans, inter Paradisi amenitatem, gramineosque crocos tenero poplite pergis felicique palma violas immarcessibiles carpis: tu concinis sine fine, choris coniuncta summis, Angelis Archangelisque sociata, indefessa voce: Sanctus clamare non cessas; Tu in cubiculo Regis, beatitudine dotata gemmis ac Margaritis, ornata assistis: Tibi thronus Regius collocatur in aula æterni Regis: Teque ipse Rex Regum ut matrem veram & decoram Sponsam, præ omnibus diligens, amoris, amplexu sibi associat:*

4. Susceptio Virginis in calo.

5. Applausus S. Augustini, & S. Ildesonsi.

affociat: nec mirum si dignetur tibi adgaudere, Deus regnans, quē tu paruulum ex te, hominem natum, toties osculata es in terris. Has ergo tuas felicitates, possidens, conuertere ad nostram miserorum salutem. Concludimus sanctorum Patrum chorum, verbis S. Ildefonsi: O Beata M A R I A, gaudens ingredi Para-

Serm. 9. de Af-
sumpt. Deipara

disum, qua de terris ad caelestem vitam, lata es, ab Angelis, & inter choros Virginum sicut sol fulgens, suscepisti Principatum, super Archangelos in celo: hanc enim dignitatem, maximo bono nostro, tibi apprime congratulamur, quam Filius de huius mundi Libano, ad se venientem hodie, gloria & honore coronat.

IV. Exaggera-
tio gaudij An-
gelorum aliorū
que sanctorum.

Quod si, cum ad sacrae scripturae Testimonia, tum etiam ad Patrum sanctorum dicta, Naturalem vestrum discursum adhibeatis, & hunc gloriosum DEI Matris ingressum in caelum, penitius contemplemini; si Christus asserit, summum esse gaudium Angelis DEI in caelo, super vno peccatore penitentiam agente; Et quidem hanc ob causam, quia licet adhuc sit peccabilis, sperant tamen in penitentia & gratia perseuerantem, vsque ad mortem, & in eorum societatem, ad ipsorum ruinas implendas, assumendum: Maius certe gaudium erit, si in gratia Dei mortuus, re ipsa ingrediatur caeleste Regnum: Quanto maius gaudium captauerint Angeli, videntes Regnam illam, ingredi gloriose in caelum, per quam omnes, qui saluantur, peccatores, in eius Filio saluantur, & assumuntur in caelum? Si de Lazaro mendico Christus ipse testatur: Cum mortuus esset, eius animam ab Angelis deportatam fuisse, in sinum Abrahae, in limbum, cum ante Christi mortem, nemini adhuc pateret ingressus in Paradisum, caelestem: Vos aestimate, quanto maiori alacritate, famulati sint Angeli, Matri Regis & Creatoris sui quando, cognouerunt eam introducendam in caeleste Regnum? Si de alijs iustis Euangelium asserit, & Christus Dominus ore suo diuino adstruit: Fulgebunt iusti si-

I
Luc. 15.

2
Luc. 16.

3

sicut Sol in Regno Patris eorum: perpendite vos, atque inde conijcite, quomodo hodierno die, Mater ista fulserit, in æternum Regum Filij sui, cum iubilo introducta? Mater inquam ista, quæ iustior est, omnibus, iustis, sanctior omnibus sanctis, gratiosior omnibus gratiosis? Anima, inquam corpori coniuncta, quod fuit *tabernaculum Filij Dei*, quod nulla vnquam carnis contagione, fuerat maculatum. Si sancta Iudith occiso Holoferne, & liberato populo suo, cum inæstimabili triumpho suscepta fuit, in Bethulia patria sua cantantibus omnibus Sacerdotibus & Laicis, Senibus & Iuuenibus, pusillis & magnis: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia, Israhel, Tu honorificentia populi nostri:* Quis intellectus capere, quæ lingua explicare, sufficit, qualia fuerint instrumenta, Musica, quæ tunc resonabant, qualia cantica, hymni & laudes decantatæ, quæ lætitia & Iubilatio, quam omnes beati Spiritus demonstrabant? Quanta pax, quam ineffabilis consolatio, quam omnes illi antiqui patres, sancti & sanctæ in cælo percipiebant?

Matth. 23.

4
Iudith. 25.

Scitis quanto cum triumpho, quanto cum Tubarum & tympanorum, strepitu & varij generis Musicorum Instrumentorum, Symphonia, quam eleganti equitatu, & comitatu Sponsæ Imperatorum, Regum, Principum, cum ad ditionem Sponsi deducuntur, excipi, soleant, quam honorifice Imperator aut Rex aut Princeps, ipse, eis obuiam prodire, cum quanta comitate & suauitate eas amplecti, & de aduentu soleant congratulari: Hinc vos colligite, quanto maiori, supra humanum captum iucunditate, hæc omnia non solum à Filio, Dei, Matri suæ, sed & à tota Sanctissima Trinitate fuerint exhibita, & impensa: Receptit enim eam *Pater* cælestis in *Filiam* Charissimam; Receptit *Filius* vt *Matrem*, dignissimam, Receptit *Spiritus sanctus*, vt *Sponsam* preciosissimam

*II. Exceptio
Sponsæ Regis
Venientis ad
Sponsum.*

& ab omnibus tribus personis, omnis possibilis honor & gloria ei decernebantur, atque reipsa exhibebantur.

V. *Ab Histo-
rijs.*

Quid plura de hoc Triumphanti Matris Dei introitu in cælum requiritis? Si alios sanctos, ut rectissimè argumentatur Sophronius, & alij Patres, incredibili honore persæpe in cælum comitati, leguntur & audiuntur, quod Filius seruis præstitit, Matri dilectissimæ negauerit?

1. *S. Benedictus. lib. 2. Dialog.*

Si de S. Benedicto refert Gregorius Magnus, vidisse eum Animam Sororis suæ Scholasticæ, instar candidissimæ columbæ, cum gaudio euolantem in cælum: Si hora eadem, qua ipse vir Sanctus emigravit è corporis ergastulo, aliquibus visus fuit, in fulgentissima veste, inter Sanctos Angelos ferri in cælum, vno ex eis, qui supra caput eius conspiciebatur, clamante: *Hæc*

2. *S. Eulalia. In hyuno de S. Eulalia.*

est via, qua dilectus Domini Benedictus ascendit in cælum. Si Prudentio, teste, cum S. Eulalia, post innumera tormenta, tandem capite plexa esset, eius itidem anima in specie fulgentis & candidæ columbæ, visa est, euolare præpetique cursu contendere in cælum: Si *septem Mulieres* quæcum B. Blasio, ad Sebasten, Armeniæ, Martyrium passæ sunt, cum gladio ferirentur, in specie pulcherri-
marum Virginum coronis ac rosis, lilijsque decoratarum, visæ sunt, ab Angelis, veluti paranymphis, ad cælestes nuptias, æterni Sponsi, honorificentissime deduci.

3. *Septem Mulieres. Sim. Metaphr. in vita S. Blasij*

4. *S. Seruulus Paralyticus lib. 4. de Dial. cap. 14. Hom. 15. in Evang.*

Si S. *Seruuli* mendici Paralytici, Anima, ut S. Gregorius itidem testatur, post diuturnos quadraginta annorum, corporis ac membrorum dolores, cum Angelorum cantu, ab omnibus oudito, exanimi corpore interim, suavissimum adorem exhalante, deportata fuit in cælum.

5. *S. Martinus Seuerus Sulpit. in vita S. Martini.*

Si S. *Seuerinus* Archiepiscopus Coloniensis eadem hora, qua S. Martinus ex hac vita decessit procul à Turonensi Galliæ Ciuitatæ positus obambulans nimirum, & visitans Ecclesias Ciuitatis Coloniensis, & vidit pariterque
audiuit

audiuit, glorificatam eius animam; cælesti Angelorum hymnodia honoratam, efferri in cælum, dixitque Diacono suo eadem hora, B. Martinum Turonis Episcopum vitæ huius vsuram reliquisse. Si S. *Sysois Abbas* moriturus, visus est in facie, splendere instar solis, asseruitque se CHRISTVM Dominum videre, comitatum Angelorum & Electorum choris, vt deducatur ab eo in cælum, & illico, cum lux immensa, quæ coruscabat, disparuisset, in corpore desijt esse. Si S. *Erasmus*, Martyr & Episcopus post immania tormenta, exantlata, vidit S. Apostolos & Prophetas, cum S. Angelis, coronam sibi offerre, de cælo, qua visione, mirificè delectatus, vitæ finem à Deo flagitavit, & illico impetrauit. Si S. *Dominicus* in hora obitus sui, visus est aurea corona redimitus, fulgentique veste conspicuus, cælo aperto, occurrente Christo Domino, cum curia cælesti, cum tripudio suscipi: Si inquam hæc pluraque eiusmodi priuilegia, prærogatiuas, gratias, honores exhibuit famulis: Anne Martri suæ, superbenedictæ, quæ omnium dignissima erat, isthæc omnia negauerit? Annon potius auxerit cumlaueritque summa totius cælestis curiæ promptitudine, ac voluntate? O ineffabilem, O gloriosum tuum, triumphum, *Benedicta Regina hominum & Angelorum*; Quis mihi, quis deuotis hisce famulis, & famulibus tuis, dabit, vt post hoc exilium, quandocunque volet Filius tuus, finiendum, hunc eundem Triumphum, hac Anniuersaria die, perpetuo videamus in cælo? Tu id nobis, Tu inquam, à Filio, hanc gratiam impetrare ne dedigneris.

O felicissima Regina, *Virgo omni laude dignissima*, quis explicare poterit, quanta fuerint tua merita, nisi qui considerat, quantum sit tuum præmium? Quis verò intelliget, quanta fuerit tua gratia, nisi qui contem-

6. S. *Sysois* in
vitiis Patrum ex
libro. Doctr.
Patrum.

7. S. *Erasmus*
Martyr. *Ma-*
rul. lib. 6. c. 10.

8. S. *Dominicus*
Sur. Tom. 4. in
eius vita.

platur tuam gloriam? Quis cognoscat quanta fuerit tua protectio, nisi qui respicit Coronam tuam? Ah nobilissima Regina, Ah *Serenissima Imperatrix*, qui plus te amat plus causæ habet gaudendi & exultandi, de hodierno ultimo & ineffabili gaudio tuo, quod quasi complementum addidit, toti felicitati tuæ, quando perfecte iam resuscitata, anima que & corpore in Paradisum assumpta, preciosissima Corona à Sanctissima Trinitate, fuisti exornata, & *supra omnes Angelorum choros*, in altissimo throno, tibi præparato, collocata, in quo nunc sedes, tanquam Regina ad dextram amantissimi Filij tui Regis gloriæ, qui sedet ad dextram sui Patris. Oramus te felicissima Regina, per hanc gloriosam exaltationem tuam, ut quanto maior est dignitas, quam obtinuisti in cælo, tanto maiora beneficia, ego, omnesque per te obtineamus in terris. Eia ergo exulta O *Magna Domina, & Principissa mundi*, de gloria tua, nec ramentum memoriam deponere, multiplicis miseriam nostram, qui post te in hoc exilio relictii sumus, *conuerte oculos Misericordiam tuam, ad nos iugiter*, & pro nobis intercede incessanter: Aduocatæ nostræ officium apud S. S. Trinitatem suscepisti. Ei itaque effectum da precibus tuis, ut quando & nos ab hoc exilio decesserimus, mereamur à te vicissim suscipi, in cælum deduci, coram Tribunali Filij tui defendi, in cælum recipi, & in aspectu & societate tua Deum perpetuo contemplari.

Amen.



SERMO XIX.

De coronatione Virginis gloriosæ, Hominum
& Angelorum Reginae.

Et positus est Thronus Matri Regis, quæ sedit ad dextram eius.

3. Reg. 2.

NTER alias complures solennitates, quæ adhiberi consueverunt, quando Regina Regis Sponsa, aliunde, ex alio Regno, assumpta, in Regnum Regis Sponsi introducitur, & illa, nunquam non adhibetur, vt omnes Regni ordines, tam Ciues, quam Nobiles, tam Comites & Barones, quam Principes & Duces, tam inferiores Ministri aulici, quam alij Consiliarij intimi, & Camerarij, suis singuli congratulationibus eam excipiant, debito homagio præstito, ac fide data, non secus atque ipsum Regem, Dominam eam Principissam ac Reginam suam, agnoscant & profiteantur. Quod si humano conceptu, ac discursu, de hodierna solennitate, qua DEI Filius Matrem suam, in Regnum cæleste introduxit, fas sit loqui, totus haud dubie cælestium exercitus, festiuissimo cum applausu, eam exceptit, eius exaltationi, diuinis, ac plane insolitis tam verborum, quam cæremoniis, & Reuerentiæ signis, congratulando. Vnde credibile est, omnes imprimis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, omniumque Electorum cuneos, hoc honoris officium cum gaudio ei persoluisse, quando id Nouem trium Hierarcharum, Angelici ordinis, solenni forma factitantes, exemplo suo
illis

illis prælucebant, cum hæc Electorum & Angelorum Regina ad Regis dextram, in gloriæ Throno, Regali Diademate & scepro Potestatis, in cælo & in terra, collocaretur: Eia age, O gloriosa mundi Domina, cæli terræq; Imperatrix & Regina, præfenti Sermonem, perillustrata è cæremonijs Coronationis terrestris Regina, cælesti inauguratione tua, singulas Exercituum Angelicorum, cælestiumq; Ciuium gratulationes, deinceps altero sequenti audiamus, vt tibi in singulis & cum singulis, in tuæ Exaltationis festiuitate, ex animo quoque congratulemur.

I. Angelorum
Obsequia In Vir-
ginis Corona-
tione.

I. Comitantur
Reginam suam
vsq; ad Thronum
gloriæ in quo e-
rat collocanda.

In Serm. Cogitio
de obitu Virginis
ad Paulam &
Eustochium.

Et positus est Thronus Matri Regis, quæ sedit ad dextram eius. Dignissimum pariter, & verissimum Virginis Elogium est: *MARIA* optimam partem elegit, qua non auferretur ab ea: Elegisti sanè optimam partem in gratia, O Dei Mater, optimam partem in gloria: Sicut enim exaltauit te Deus Filius tuus, inter omnes mortales, in Ecclesia sua Militante, ita te nunc exaltauit etiam in Ecclesia Triumphante, vt ab illa tibi merito, iam in Throno gloriæ collocatæ concinatur. *Exaltata es Sancta DEI Genitrix, super choros Angelorum ad cælestia Regna.* Nec immeritò; Nam si; vt S. Hieronymus attestatur, *Legimus quam sæpe ad funera, & ad sepulturas Sanctorum, Angelos aduenisse, & ad exequias eorum, obsequia præstitisse, nec non & animas electorum ad calos cum hymnis & laudibus detulisse.* Interea quod perspicacius est, multò nonnunquam lumine, eos resplenduisse: insuper ad huc viuentes in carne sæpius visitasse, suauissimique odoris fragrantiam, post eos diutius permansisse: *Quia si ad recreandam spem dilectionis, & corroborandam interdum, fidem astantium, Saluator noster Christus, ob merita Sanctorum amplius approbanda, talia ac tanta dignatus est exhibere per suos Calicolas, ministros, circa defunctos: Quanto magis hodie no die credendum est, militiam calorum cum suis agminibus, festine obuiam venisse, DEI Genitrici, eamque ingenti lumine*

lumine circumfulsiffe, & vsq; ad Thronum, olim sibi, ante mundi constitutionem, paratum, cum laudibus & canticis perduxisse: Et summo equidem Jure *MARIA* optimam partem elegit, qua non auferretur ab ea. Exaltata est enim, super choros Angelorum ad caelestia Regna: Sic obtines partem optimam in caelesti gloria: In qua tibi dignissimæ Matri, positus est Regalis Thronus, quem Iure occupans, cœli terræq; Regina, Mundi Domina, ab Ecclesia terrestri salutaris.

Obsecramus vos Angeli Sancti, ut nobis aperire dignemini, pro vestra in nos singulari Charitate, pijsimoque affectu, quæ nam inter vos exorta sit exultatio, cum ad vos assumpta est, in caeleste Regnum, Virgo Dei Mater *MARIA*? quam ei celebritatem exhibuistis? Tu mihi, præsertim, ò Angele tutelarum ad mei custodiam designate, pro eximia dilectione, qua me ab exordio vitæ meæ complecteris, illud mihi significare ne graueris. Audite, quid dicturi forent Angeli, si coram, vobiscum loquerentur: *Vbi primum in audiuimus, Reginam nostram, ad Regnum Regis nostri assumendam, ineffabili gaudio, omnes & singuli fuimus exbilerati, idq; in immensum excreuit, cum ipsum Regem nostrum vidimus, ad illam descendentem, ut eam nobili secum triumpho, introduceret, in gloriosum Regnum suum, Cœliq; ac terra Imperatricem, & Reginam, coronaret. Tunc pars nostrum Regem comitabatur, pars in caelesti palatio, condignam Reginae habitationem ac Thronum adornabat, pars dextra leuâq; stans, instar armatorum utrinq; Ciuium, cum Rex aut Princeps excipitur, splendore suo, caelestem illam processionem, à Monte Sion, ubi gloriosa Regina mortalem vitam terminarat, vsq; in caelorum summitatem, atq; ad dextram Patris, admirandum in modum illustrabat: Pars hymnis caelestibus, Diuinis laudibus, vna cum tota ciuium Superiorum multitudine, vacabat. Praconia verò, quæ tunc omnes pariter, Deo & virgini coniubilauimus, quid queritis? quid pernosse desideratis? Vestrum superant captum; in mortali corpore adhuc constituti,*

II. Apostrophe ad S. Angelos de Triumpho quo B. Virgo euecta est in Cælum.

2. Responso S. Angelorum.

constituti, ea nunquam apprehendetis. *MARIA* optimam partem, præ nobis, Angelicis spiritibus in terris elegit, pars optima cœlestium præconiorum; & Angelicorum Encomiorum, ei debebatur: In cœlis exaltata est sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum ad cœlestia Regna: Optimam partem viuens elegisti, gratiæ, optimam ad Filium euocata, iugiter in gloria possidebis.

3. Exemplum
Regina Sabba.

Cum Regina Sabba, de finibus terræ cum comitatu splendidissimo Hierosolymam, ad Regem Salomonem, venisset, & Sapientiam eius admirabilem, & ordinem, Ministrorum, ciborum, Sacrificiorum, Aulicorum, Officiorum, & Vestitus concinnitatem in palatio eius, summa cum admiratione, spectasset, & præ stupore & extasi, iam extra se raperetur subdit scriptura: *Rex autem Salomon, dedit Regina cuncta quæ voluit, & quæ postulauit: multò plura, quàm quæ attulerat.* Immensas secum Virtutum diuitias, attulerat hæc Regina nostra, ex hac mortali patria, quando hodierno die in cœlesti Hierusalem, Palatium Filij est ingressa, ita vt Angeli eius, cœlestes thesauros, summo perè mirati, vociferarentur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* Cum itaque plus præmij & gloriæ ei contulerit Filius, quam secum attulerit meriti, & meritum nihilominus superauerit, omnia merita aliorum hominum, quis gloriam Virginis enarrabit? *MARIA* optimam partem elegit, qua non auferretur ab ea, Exaltata enim est, super choros Angelorum ad cœlestia Regna.

Cantic. 3.

A. Processus &
Ceremonia Co-
ronationis Re-
ginae.

Quis porrò nobis memoret, quibus cæremonijs, quo Iubilo, in throno gloriæ fuerit Regina nostra iam collocata? Videor mihi videre interioribus mentis oculis, eandem quodammodo formam excitisse, in illa Triumphantis Ecclesiæ solennitate, quæ practicari solet, in Coronatione alicuius Imperatricis, & Reginæ, in Ecclesia.

ſia Militante: Quæ vt debita cum ſolennitate peragatur, complures, dignitatibus præcellis eminentes, Perſonæ requiruntur: Adeſt inprimis *Rex & Regina*, cum ſuis Aulæ Præfectis, alijsq; officialibus, & adminiſtris, totoq; aulico famulitio, & comitatu. Adeſt *Regni Primas Archiepiſcopus*, duobus cum *Episcopis*, qui *Archiepiſcopo* aſſiſtant: Adſunt *ſubditi*, qui *Reginæ iam coronatæ*, feſtuo applauſu, congratulantur. Exiſtimatione quempiam iſtorum, in hac cœleſti feſtiuitate deſideratum exitiſſe; Ecce *Regem Sacroſanctam Trinitatem Patrem Filium & Spiritum ſanctum*: Ecce vobis *Regni cœleſtis Supremum Primatem & Archiepiſcopum, CHRISTVM IEſVM, Sacerdotem in æternum, ſecundum ordinem Melchizedech, Dei Filium; Ecce Regem Deum Hominem factum*, Et *Glorioſam Matrem eius Reginam*. *Regis Aulæ Præfectus*, eſt *S. Angelus Michaël*, *Reginæ Præfectus Aulæ*, *S. Gabriel*. Duo *Pontifices Primati in coronationis actu aſſiſtentes*, *Melchizedech*, in *Lege Naturæ*, & *Aaron*, in *Moſaica Legge*, *Summi Sacerdotes*. *Regni Proceres*, alijsq; officiales *Regni, Adam, Noë, Abraham, Isaac, Iacob*, omnes *Patriarchæ & Prophetæ*. *Reginæ Gynecæum, Sanctarum Virginum Chorus*, *Aulicum Regis & Reginæ famulitium*, *Tres Angelorum Hierarchæ*, & *Sancti omnes, nouem earum ordinibus inſerti, & immixti*. *ſubditi Regis pariter & Reginæ*, omnes *pij atq; Catholici Chriſtiani; Franſcæmus age*, ad *ipſum coronationis actum*.

Cum iam confederit *Archiepiſcopus cum ſuis Prælatiſ & Episcopis*, in *Cathedra ſua*, ſurgit *Rex è throno ſuo*, in *Capite coronam geſtans, & Sceptrum in manu*, & cum *Regio comitatu ſuo*, manu ducit *Reginam*, ad *ipſum*, conceptis verbis, poſtulans, eam *Reginam coronari, & inaugurari: Poſtulamur*, inquit, *Reuerendiſſime Pater, vt Conſortem noſtram, nobis à Deo coniunctam, benedicere, &*

1. *Rex & Regina cū Aulæ Præfectis & officialibus.*

2. *Primas Archiepiſcopus cū duobus Episcopis.*

3. *ſubditi.*

1. *Rex SS. Trinitas.*

2. *Primas & Archiepiſcopus Chriſtus Dom. Pſalm. 109.*

3. *Regis Aulæ Præfectus S. Michaël.*

4. *Reginæ Gabriel Archæg.*

5. *Duo Pontifices Primati aſſiſtentes, Melchizedech & Aaron.*

6. *Regni Proceres Patriarchæ & Prophetæ.*

7. *Regina Gynecæum Sancta Virgines.*

8. *Aulicum famulitium nouem Angelorum Chori.*

9. *ſubditi Regis & Reginæ omnes Catholici Chriſtiani.*

III. *Petitio Regis & Preſentatio Reginæ.*

corona Regali decorare dignemini, ad laudem & gloriam, Saluatoris nostri IESU CHRISTI; Sic summo illo Pontifice Aaronico, Sacerdote in æternum, secundum ordinem Melchisedech, confidente in Throno, suæ diuinæ Maiestatis, & datæ sibi potestatis, Manu apprehensam Reginam eius Matrem, Deus Pater & Spiritus sanctus adduxerunt, similiter flagitantes: *IESU Magne Sacerdos & Pontifex æternorum bonorum, postulamus vt hanc consortem, & Sponsam nostram, ab æterno ordinatam, Matrem tuam, benedictam inter omnes mulieres, cœlesti & æterna benedictione copiosissimè dotatam, & supra omnes creaturas locupletatam, Reginali corona decorare digneris, vt iam deinceps imperet hominibus & Angelis, & habeat omnem potestatem in cœlo & in terra.*

2. Benedictio
& Vuclio.

Præsentata hunc in modum Regina, Pontifex eam certis precibus benedicit, & omnem à Deo felicitatem, ac bonum precatur: deindeq; oleo Catechumenorum, dextrum illius brachium, & inter scapulas inungit: Sic hanc hominum & Angelorum Reginam, solenni benedictione consecrandam, dilectus Filius sacrauit: *Benedicta es, inquit, Filia, à Domino Deo excelsa, præ omnibus mulieribus super terram: Benedictus Dominus Pater meus, qui creauit cælum & terram, qui te direxit in vulnere capitis Principis Inimicorum generis humani, quia bodie Nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint, virtutis Domini, in æternum; pro quibus non pepercisti, anima tua propter angustias & tribulationem generis tui, sed subuenisti ruina, ante conspectum Domini. Tu gloria Hierusalem, tu latitia Israhel, tu honorificentia populi nostri, quia confortatum est cor tuum, eò quod castitatem, amaueris: Ideo manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Cum porrò hoc modo benedicta esset, vnxit eam oleo supernæ vnctionis, dicente Propheta: Dilexisti Iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus, oleo latitiæ, præ consortibus tuis.*

Psaln 109.

Marci. vi.

Matth. 28.

Hebr. 7.

Luc. 1.

Judith. 13.

Judith. 13. &
14.

Judith. 14.

Psaln. 44.

Quid

Quid sit ulterius Reginae iam vnctæ? Induitur vesti-
 bus Reginalibus; Sic & Regina nostra, primum induitur
 veste deaurata, circumdata varietate, amicitur Sole, & Luna
 sub pedibus eius, collocatur: deinde Pontifex Coronam
 eius capiti imponens ait: *Accipe coronam gloriae, vt scias te esse*
consortem Regni, populog; Dei semper prosperè consulas, & quanto
plus ex altaris, tanto amplius humilitatem diligas, in Christo IESV
Domino nostro. Sic Christus Pontifex Reginam nostram,
 alloquebatur: *Veni electa Mater mea, Columba mea, vnica*
Sponsa mea, surge, exaltare, propera Amica mea, Sponsa mea.
iam enim byems transijt, imber abiit & recessit, flores virtutum tua-
rum, apparuerunt in terra nostra, in caelesti hac Regione, compla-
cuerunt supra modum Sacrosanctæ Trinitati. Totâ enim pulchra
es, amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano, candi-
dissima conuersationis, veni veni coronaberis. Tu me vestisti
substantia carnis tua, Ecce ego te vestio gloria mea Maiestatis: Tu
me Iustitiæ Solem operuisti nube splendida humanitatis: Nunc tu
à me, ipso Solis splendore conuestieris: Tu me coronasti Diademate
humane naturæ; Et ego te coronò diademate perpetuò fruendæ Dei
tatis, & impono capiti tuo, coronam duodecim stellarum, ineffa-
bilibus tuis priuilegijs, correspondentium: Materno tu me fouisti in
gremio, Et ego te nunc colloco in Regali folio: Tu me sapius in sinu tuo
dormientem gestasti: Nunc tu in aterna requie, sub vmbra illius,
quem in terris posita, toto corde desiderasti, requiesce. Beatis hiscè
brachijs tuis me sapius Infantulum strinxisti, nunc dextera mea,
in omne æuum te amplexatur, quam iugiter te dirigentem tenuisti:
Posside thronum Regni mei, à me Vero Salomone Filio tuo, tibi ab æ-
terno paratum. Partior tecum Regnum Patris mei, Regni, inquam,
cuius via Misericordia & Veritas siue Iustitia: Mihi veritas, tibi
Misericordia, vt ego regnem per Iustitiam, tu imperes per Mi-
sericordiam: & sicut ego sum constitutus Iudex viuorum & mortuo-
rum; Tu esto Misericors adiutrix, benigna liberatrix, omnium,
calamitatibus oppressorum. Specie tua, præcelsa gratia, tua, &

3. Coronatio &
 Sceptri collatio.
 Psalm. 44.

Apo. 12.

Pontificale Ro-
 manum.

Cantic. 2.

Cantic. 4.

Cantic. 3.

Apocal. 12.

Cant. 2.

3. Reg. 2.

Psalm. 60.

Psalm. 84.

Psalm. 98.

Ioann. 5.

Psalm. 44.

Matth. 28.

pulchritudine, ineffabilis gloria tua, intende, ad miseros mortales, tibi subiectos, prosperè, eorum vota suscipiendo, eis benignè acquiescendo; procede, homines peccatores ad Deum suum dirigendo, atque ad aeternae salutis affectationem disponendo, proeede & Regna, post me in caelo & in terra. Sicut enim mihi data est omnis potestas à Patre meo, ita eadem potestate, te exornatam, constituos caeli & terra, hominum & Angelorum Imperatricem & Reginam.

4. Sceptri Col-
latio.

Coronata demum Regina, consecrator Pontifex, tradit ei Sceptrum in manu, inquit, *Accipe Virgam virtutis, ac veritatis, & esto pauperibus misericors, & affabilis: viduis, pupillis & orphanis, diligentissimam curam exhibeas, ut omnipotens Deus, augeat tibi gratiam suam, qui vivit & regnat in saecula saeculorum.* Sic Dei Filius Pontifex noster, Matri suae Divinae sceptrum potentiae, porrigens, inter caetera dicebat: *Accipe Virgam virtutis & potentiae meae, & esto pia & misericors Patrona, totius generis humani, succurre miseris, iuva pusillanimes, refoue stebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro deuoto femineo sexu, sentiant omnes tuum leuamen, quicumq; celebrant tuum Nomen, quicumque cordi ducunt, tuam deuotionem.* O ineffabile gaudium, totius curiae caelestis.

Psal. 109.

3. Augustin:
Serm. de Nat:
Deipara.

Sic tandem inaugurata Regina, sic coronata, in Throno collocatur, & veniunt omnes, totius Regni subditi, eam adorant, honorant, homagium praestant, & omnem fidelitatem pollicentur: Pari modo coronata, & in Throno Maiestatis collocata, ad dextram Veri Salomonis, vera Bersabea nostra, omnes Sanctorum Angelorum Chori, eam adorarunt, eam Reginam suam salutarunt, omnemq; fidelitatem promiserunt, singulis ordine suo, coram Regali eius throno, adgeniculantibus, & digno eam prosequentibus honore.

IV. Pecunia in
populum distri-
buitio.

Regina deniq; in hunc modum consecrata, coronata & inaugurata, moris est, vt ad perpetuam tantae solennitatis

nitatis memoriam, *Regalis Moneta*, eum ob finem, excusa, ut plurimum, tam Regis, quam Reginae, vultus, nomina, Symbola & insignia, repræsentans, in populum, liberalissime dispergatur: Quid vobis, ô fideles, ac deuoti Virginis Cultores, persuadecis? An *Rex Regum*, *Rex gloria*, CHRISTVS IESVS, Munificentiam istam, Matris honori subtraxisset? Absit à tanto Rege, parcitas ista, absit à tam dilecta Matre, ab ipsa inaugurata, & in Reginam coronata, opprobrium tantum. *Quæris nummismata*, quæ iam ab inde, ab eius in cælo exaltatione, dispersit, & etiamnum hodierno die, abundantissimè distribuit? Sunt *dona*, sunt *beneficia*, quæ illis elargitur, qui Virginem Matrem, debitis honoribus prosequuntur: Sunt *Miracula* & prodigia, quæ in omnibus per orbem, *MARIÆ* cultui sacratis locis, sine numero, quotidie designat. Vel sola *Weyerensis Diua*, *Miracula* perlustrate, & istius memorialis atque coronatoriae *Monetæ*, incomparabilem thesaurum inuenietis.


Quæ nummismata? Beneficia Miraculosa.

Rogamus te itaq; , ô Gloriosissima Regina, ut quod in coronatione tua de nobis in mandatis accepisti, potenti virtute tua, effectum dare digneris: Nam verè profiteri vales: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, supra omnes Angelos & Sanctos es honorificata: *Nimis confortatus est Principatus tuus*: Nostra itaq; Salus, sibi sic cordi, remoue à nobis obstacula, Diuinæ gratiæ; peccata nostra Filij tui preciosissimo sanguine abole, & extingue; due nos tandem ad finem, in quem sumus creati, & Filij tui Passione ac morte redempti, Amen.

Matth. 28.

Psaln. 138.





S E R M O XX.

Corona duodecim lapidum preciosorum
 Virgini Matri, in Reginam inau-
 guratae, imposita.

Quoniam praeuenisti eam in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius Coronam de lapide preciso. Psalm. 10.



Lia inter Cimelia, insignia, & Instrumenta, quibus Regis aut Reginae Coronatio perficitur, & adimpletur, primum haud dubie locum obtinet Regni Diadema, in quo plerumque aurum, licet in se praestantissimum metallum, si tamen in fertis gemmis aequiparetur, in postremis collocandum. Cum itaque Dei Filius, in capite Matris Reginae, posuerit coronam de lapide preciso, quis prohibebit duodecim saltem praecipuas gemmas, aliquantisper contemplari, & ex eisdem, de inauguratae Reginae sublimi excellentia, discurrere & ratiocinari? Nunc itaque & Iuamine tuo, o Caeli terraque Imperatrix, quod in votis habemus, ad Filij tui, tuamque gloriam dirigatur.

Psalm. 20.

Psalm. 20.

Præuenisti Domine I E S V, Benedictam Matrem tuam, in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam, de lapide preciso. Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam est magnum decorem imposuisti super eam, quando Virgineum eius caput, corona duodecim nobilissimarum gemmarum, insigneuisti. Inseruisti coronae capitis eius Nobilissimam gemmam ADAMANTEM. Nec immerito: Nam

1. Adamas.

1.

2.

sicut Adamas est nobilissima omnium gemma; sic illa

Nobilissima Creatura. Et sicut Adamas, nunquam nucis

auellanae magnitudinem excedit, sic tu etiam Dei mater

effecta,

effecta, humillimè de te sensisti, inquis, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum: Quia respexit humilitatem Ancilla sua. Adamas nec ferro cedit nec igni: Tu nulla vnquam concupiscentia inflammata, nullo vnquam vel minimo peccato, obnoxia extitisti. Cum ferum Adamas ad se traxit, Magnes illud ad se attrahere non potest: Cum tu ferrea peccatorum corda, per deuotionem tuam semel attraxisti, Magnes ille Infernalis, Diabolus, ea á te nunquam abstrahere, tutelæq; tuæ, eripere valebit. Adamas venena illicò, ex lurido colore natiuo, manifestat: Sic tu deuotis clientib⁹ tuis Dæmonis fraudes, & astutias aperis, vt eas fugiant & euitent. Adamas reconciliat dissidentes: Sic velut altera Hesther tu, concilias cœlesti, Assuero, ab eo discordantes peccatores. Quam igitur congruè Adamas inferitur coronæ gloriæ tuæ, ò potentissima Orbis Regina?*

Posuisti in corona capitis eius, nobilissimam Gemmam, ASTERITEM, quamobrem? Est Asterites gemma candida, inclusam continens lucem, sicut stellam in medio eius ambulantem, quæ candicantes Solis radios, reddit, vt verbis vtar S. Isidori: Annon tu instar Lilij, Virginea Castitate candescis? Annon Lux vera qua illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, ex vtero tuo, in nostro Horizonte est exorta? Lumen, inquam, ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israhel! annon tu nobis protulisti? Annon Stella, quæ orta est ex Iacob, nouem mensibus in te habitauit? Annon tu fulgentis solis radios reddis, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus tuis! Quid plura de tuis virtutibus proferam, ò Nobilissime Asterites: Sicut Asterites castum reddit, gestantem; Sic tu mentis, corporisq; puritatem generas, in pectore tibi addicto & deuoto. Cum Ecclesia igitur supplicamus: Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpâ saluos, mites fac & castos.

III. *Argyri-
ta.*

- Posuisti in Corona capitis eius, Nobilissimam gemmam, ARGYRITEM; ô quam conuenienter: Argyrites est lapis*
1. *Argento similis, in candido colore: Annon tu Angelis*
 2. *similis, Virginea puritate? Argyrites, in medio, quasi aureis quibusdam scintillis interlucet: Annon aurea cœlestium gratiarum priuilegia, Animam tuam exornabāt, quando ab Angelo gratia plena salutata, in Dei Matrem es*
 3. *electa? Argyrites est figuræ quadrangularis: Annon quatuor Cardinales Virtutis, Iustitia, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, omnem vitam tuam luculentissimè decorabāt?*
 4. *Argyrites valet ad Iracundiæ motus, componendos: Annon tu humanum genus per Filium Deo Patri reconciliasti? Domina nostra, Mediatrix nostra, Aduocata nostra, Deo Patri nos concilia, tuo nato nos commenda.*

*S. Bernardus
Serm. 2. super
Missu est.*

IV. *Carbuncu-
lum.*

- Posuisti in Corona capitis eius Nobilissimā gemmam CARBUNCVLVM; Nec immeritò: Carbunculus est lapis preciosissimus, ignei coloris: Ipsa tota incensa erat Igne Charitatis, in Deum & homines. Carbunculus fulget inter diu noctuq;: ipsa splendorem sanctitatis retinuit, tam in nocte aduersitatis, quam in die prosperitatis. Quin etiam radios Misericordia suæ in nos Clientes suos, effundit, tam in nocte calamitatis & tribulationis, quàm in die gaudij & consolationis. Præstantissimus inter Carbunculos est Zona candida, velut in margine præcinctus: Sic ipsa præcincta erat, voto nimirū perpetuæ castitatis: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco.*
1. *Carbunculus habet vim attractiuam, foliorum & stipularū: Sic illa attrahit peccatores ad Deum dicentes; Trabe nos post te, curremus, in odorem unguentorum tuorum.*
 2. *In præstantissimo Carbunculo, velut inter lucidissimum ignem, apparent aureæ guttæ, lucundissimè relucentes: In Dei Matre vniuersitas bonorum operum, Virtutum & bonorum Exemplorum; quia teste Salomone, Omnium bonorū*

Luc. 1.

Cant. 1.

Sap. 7.

Mater

Mater est. Baladius est species Carbunculi, qui in venis Sapphyri inuenitur, ibiq; cœlesti virtute generatur, vt refert S. Isidorus: Sic Dei Filius nobilissimus Carbunculus in vena Sapphyri, in ventre Virginis, non ex virili semine, sed mystico spiramine virtute diuina, est productus, vnde non immeritò Iob interrogat: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* quasi dicat. Virtus diuina & obumbratio Spiritus sancti. Carbunculus est gemma inæstimabilis precij: Dei Mater inæstimabilis dignitatis: *Quia procul est ab ultimis finibus precium eius.*

Posuisti in Corona capitis eius, Mirabilem gemmam, ENYDRON appellatam. O quàm conuenienter? *Enydros est lapis, admodum paruus, de qua vetus illud Elogium: Perpetuos fletus lacrymis distillat Enydros,*

Qui velut ex pleni fontis scaturigine, manat:
Sictu ô Gloriosissima Dei Mater, licet parua appareres, humilitate, dum Mater Dei fieres, perpetuum tamen Misericordiæ tuæ stillicidium, beneficiorum atq; auxiliiorum guttas, quasi ex perenni fonte perseueranter effundis: *Erit, affirmat de te Propheta, quasi hortus irriguus, cuius non deficient aqua.* Enydros, per occultam suam virtutem, aërem contiguum condensat in aquam, & sic semper videtur aquam emittere, & destillare: sic tu affluentiam gratiæ, qua à Deo es repleta, velut in pluiiæ guttas, diuidis, quas iugiter in nos effundis, vt *de plenitudine tua accipiamus omnes.* Enydros guttas semper emittit, sine sui diminutione, nam inde nec minoratur in magnitudine, nec deficit in guttarum emissionem; quin immò, quo plus exundat, eò plus humoris exundat: Sic tot tua in nos collata beneficia, nec Beatitudinem tuam minuunt, nec liberalitatem & munificentiam, tuam exhauriunt, vt & de te verificetur: *Qui dat pauperi, nunquam indigebit.*

Posuisti Domine I E S V, in Corona capitis Benedictæ Matris

1. *Can. 4.* Matris tuæ, preciosum lapidem, *Gemmam SOLIS*; Est porro is lapis candidus, instar niuis: sic tu candida Angelica puritate: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*
2. *Sap. 7.* Gemma Solis, Soli opposita, ad similitudinem Solis splendentis, terramq; irradiantis effulgescit: Beatissima Virgo Mater tua, gemma *Solis Iustitiæ*, gratiæ suæ radios quos in Incarnatione tua, à te mutuauit, in nos iugiter reflectit. *Gemma Solis* gestantes vegetat, viuificat, & fœcundat: Sic qui Matrem tuam benedictam, in corde suo deuotè circumgestat, qui eius deuotioni studet, qui eam assiduè veneratur, ab illa, in Dei gratia vegetatur, ad benè agendum viuificatur, & cœlestibus donis cumulatissimè fœcundatur, vt dicere possit: *Venerunt mihi omnia bona, pariter cum illa.*

VII. Heliotropia.

- Posuisti Domine *I E S V*, in Corona capitis, Benedictæ Matris tuæ, præstantissimam Gemmam, *HELIOTROPIAM*, appellatam. *Heliotropia* est gemma viridis, & guttis quasi sanguineis, superfusa: Tu ô Gloriosissima Virgo, viridis eras, morum honestate; sanguine respersa, per benignitatem, quia sanguineus humor, qui est mollis & dulcis, benignitatem & pietatem designat. *Heliotropia* gemma, si in aqua ponatur, & solis radijs perfundatur, aërem statim sic immutat, & Solem sic obnubilat, vt Eclypsin pati, & sanguineus esse videatur: vnde de ea dicebatur:

Sanguineum reddit, mutato Lumine, Solem,
Eclypsimq; nouam, terris effundere cogit.

Philipp. 3.

Beatissima Virgo, posita in aqua deuotionis & gratiæ, & illuminata Spiritu Sapientiæ, quando fuit ab Angelo, salutata Solem æternum Dei Filium, Carne & Sanguine nostro, conuestiuit, vbi ipse ab æterni luminis claritate, quodammodo, Eclypsatus, *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo.* tunc enim imple-

rum

rum est, illud Prophetæ Ioëlis: *Sol conuersus est in tenebras*, Joël. 3.
 & *Luna in Sanguinem*, quando *Verbum caro factum est*, & *habita-* Ioann. 1.
sauit in nobis, ac tandem mortem pro nobis oppetiit in cru-
 ce: Quam bene igitur, ô Beatissima Virgo, *Heliotropia*,
 fuisti, appellata, quæ sic Solem Diuinitatis, in carnem
 nostram transire fecisti. *Heliotropia*, in pelui aquis plena 3.
 posita, Sole desuper splendente, facit aquam ebullire:
 Sic tu in pelui cordis, deuotione tua repleti, & Soli Diui-
 næ gratiæ expositi, facies eam statim ebullire, & in vir-
 tutum atque pietatis exercitijs, feruenter inflammari.
Heliotropia Gemma, omnia venena pellit, & omnibus Dæ- 4.
 monum præstigijs resistit: Sic tu ô Beatissima Virgo,
 dissipas venena serpentis antiqui, & omnes *Draconis In-*
fernalis, fraudes ac dolos, in nihilum redigis & confundis,
 ne, quantum velit, deuotis tuis valeat nocere, quia *caput* Gen. 3.
illius potentissimè contriuisi.

Posuisti Domine Ies v, in Corona capitis Benedictæ VIII Panthe-
 Matris tuæ nobilissimum Lapidem, *PANTHERVM*, vul.
 sic dictum à Panthera animali, versicolore habete pel- Plin. lib. 37.
 lem: Sic enim & hic lapis, multos habet colores; Est e- cap. 11.
 nim partim niger, partim viridis, partim pallens, partim 1.
 purpureus, partim roseus; Sic tu ô Beatissima Virgo,
 quia in te resultant, omnium virtutum colores, & om-
 nium perfectionum pulchritudo, hoc lapide meritò ex-
 ornaris: Es rubea *Charitate*; *Nigra*, sed *formosa humilitate*;
 pallida *bonestate*; *Viridis Castitate*; *Purpurea Patientia*, in
 Filij sui passione; *Rosea*, in Deum pietate. Si quis in ortu 2.
 solis respicit Lapidem Pantherum, est eo die audax, im-
 perterritus, inuictus, ad res agendas, optimè dispositus:
 Si quis se tibi, omni diluculo, deuotè commendat, &
 Patrocinium tuum, implorat, inuictus erit contra Dæ-
 monem, Deo audacter seruiet, auxilium tuum, in omni
 opere suo experietur: neq; enim frustra per os Sapientis Ecl. 24.

promisisti: *Beatus, qui inuenerit me, & uigilat ad fores meas quotidie: qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet salutem à Domino.*

I. X. Pionices.

I.

Posuisti Domine, in Corona capitis, Benedictæ Matris tuæ, Lapidem preciosum, *PIONICEN* appellatum: Quid ita? Hic enim lapis, certo tempore anni, Sole in Arietem ingrediente, & Vernum tempus, hyeme pulsa, reducens, aliunde non fecundatus, intra seipsum concipit, & alium Pionicen, se multo præstantiorem parit: Sic tu Gloriosissima Virgo *MARIA*, Sole Diuina Misericordie humano generi, pulsa hyeme, eius Iracundiæ, & adueniente Vere Euangelicæ gratiæ, ex te ipsa, sine uiri commercio, sola obumbratione Spiritus sancti, fecundata,

2.

Luv. 2.

multo nobiliores gemmas, Dei Filium *Benedictum* uentris tui fructum, peperisti: Pionices, teste Plinio, & Dioscoride, mirificè confert prægnantibus ut factum in lucem educant: Sic tu, illos, qui bonum propositum ad Deum se conuertendi, & peccata dimittendi conceperunt, dicentes: *Domine à facie tua concepimus & quasi parturimus, & peperimus Spiritus salutis*, tu, inquam, eos, intercessione & ope tua, quemadmodum Theophilum, & alios, complures, iuuas, ut hunc factum suum Spiritualem, ad maturitatem perducant.

Esaiæ 59.

In eius uita.

X. Selenites.

I.

Posuisti Domine in Corona Matris tuæ benedictæ, Lapidem preciosum *SELENITEN*. Nec inconuenienter: Nam hic lapis viret ut gramen, & in eius medio, Imago Lunæ, candido ueluti colore depicta, apparet, & hæc, ipsa Luna crescente, crescit, Luna autem decrescens, decrescit, & ipsa: Sic tu, Gloriosissima Virgo, virens coram Deo omni uirtute & gratia, in te concepisti, & post nouem Menses realiter exhibuisti, Imaginem Dei Patris, Filium Dei, qui, ut Sapiens ait: *Est candor lucis aternæ, & speculum sine macula, & Imago Bonitatis Dei.* Et quò magis sub tutela

Sap. 7.

tutela tua, puerulus adhuc, crescebat ætate, tantò & magis, gratia apud Deum & homines crescebat. *Selenites* plurimum prodest phyticis, & quibus omnis humor vitalis, ob macilentiam absumptus, videtur: Sic Tu omnibus peccatoribus, quorum Animæ sicut *terra arida & inaquosa*, *Psalm. 62.* omnem gratiæ humorem, amiserunt, Supernæ benedictionis, rorem infundis, vt pristino vigori restituantur: Neq; enim frustra polliceris: *Ego Mater pulchra dilectionis* *Ecl. 24.* *& timoris & agnitionis, & sanctæ spei: In me omnis gratia, vita & virtutis: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.*

Posuisti Domine IESU, in Corona capitis Matris tuæ Benedictæ *TOPAZIUM*, qui, teste Dauid, post aurum olim in Thesauris Regum, primatum locum obtinebat: *Ideo*, inquit, *dilexi mandata tua, super aurum & Topazion.* O quàm conuenienter: *Topazius* est clarissima gemma, aliarum superans claritatem: Sic tu in Regno Filij tui Gloriosissima Virgo, cæteris sanctis clariùs emicas & resplendes. *Topazius* est specularis, sed imaginem, quã recipit, inuersam repræsentat: Tu *Speculum sine macula*, *Sap. 7.* quando cœlestis Pater in te respexit per gratiam suam, teq; in Filij sui Vnigeniti Matrem elegit, Eius Imaginem, id est Filium eius, in te recepisti, pro nostra salute incarnandũ. Eum tu in Natiuitate, inuersum quodam modò, nobis exhibuisti, quando Summus Deus factus est infirmus, & *Creator Creatura*, secundum quod est scriptum: *Ipsè descendet & erit inferior quia Deus factus est homo* *Topazius* aspicientes mirifice delectat: Aio ego cum S. Anselmo: *Serm. de Nat. Summa post Deum gloria est, in te respicere & in protectionis tuæ munimine delectari.* *uir. Virginii.*

Posuisti deniq; in Corona Matris tuæ Benedictæ, *XII. Vdachi* DOMINE IESU, preciosissimum Lapidem *VDACHITEM*. Est hic lapis colore fuluus, figura rotundus; Tu fulua,

fulua animi *submissione*; Rotunda *obedientia*, cum Dei Filiū conceptura, diceres Archangelo Gabrieli: *Ecce Ancilla*

2. *Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: Rotunda, inquam, cum in omnibus Dei mandatis, semper, promptissima
3. fuisti. *Vdachites* alium in se complectitur lapidem, qui cymbali instar tinnit, & admodum delectabiliter sonat:

Luc. 2.

Tu Filio Dei prægnans, in te continebas præstantissimam gemam, adeò tinnientem, vt Ioannes in vtero eam audiret, & exultaret præ gaudio, & elinguis Zacharias loqueretur, & vnà cum Elisabetha, spiritu Sancto repleti, vari-

4. cinarentur. Lapis *Vdachites* odoriferum liquorem nunquam non exudat: nonne & in te impletum est vaticiniū

Ecclesiast. 24.

tuum, quod per Spiritum sanctum protulisti: *Sicut Cinnamonum & Balsamum aromatizans odorem dedi, quasi Myrrba electa, dedi suauitatem odoris.* Sensit hunc Aromaticum

Luc. 2.

odorem, ac liquorem tuum, Sanctus Simeon, & eo inebriatus, omnia fluxa & terrena abominatus, *Nunc, inquit, dimittis seruum tuum Domine in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*;

Ibidem.

Sensit Beata Anna, vidua, & eo repleto omnibus alijs cum gaudio Messiae præsentiam prædicauit. Senserunt omnes alij Sancti, cum Christo iam triumphantes, & ob hunc odorem suauissimum; omnia terrena contempserunt, & cœlestia desiderârunt.

Eia itaq; Augustissima *hominum & Angelorum Regina*, sine vt & hic humor gratiæ Clementiæq; tuæ, omniumq; cœlestis coronæ tuæ, preciosorum lapidum virtus & efficacia in nos iugiter defluat, qua inebriati, deuotioneq; tua vehementer inflammati, bonis operibus abundemus, in hac vita, vt in cœlo gloria

coronemur æterna,

Amen.





S E R M O XXI.

Congratulatio Virgini exhibita à Nouem
choris Angelorum, totaq; cœlestium
ciuium communitate.

Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis, Maior est enim omni laude. Eccl. 43.



Vam festiuis applausibus, quàm lætis atq; iucundis congratulationibus, Regum, atq; Reginarum Coronationes, vulgò excipiantur, apud omnes qui simili spectaculo vnquam interfuere, est in comperto. Agnoscebant Angeli Sancti, se Virginis Deiparæ, ad Regis suæ Thronum exaltatæ, atq; collocatæ, Vasallos & subditos esse, præstito proinde, quod debebant, homagio, omnes & singuli Chori nostro cogitandi, atq; imaginandi modo, ei se vtiq; submiserunt, Regiæq; Maiestatis eius, debita laudum præconia, persoluerunt, quæ præsentī Sermone breuiter excipiemus, vt vnà cum Sanctis Angelis, in Virginis Reginæ amore, atq; veneratione, feruentissimè inardescamus: Iubet enim Spiritus Sãctus: *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis, quia maior est omni laude.*

Tres Angelorum Hierarchias esse, & singularum Hierarchiarum tres Choros diuersos, iam sapius, è Dionysio Areopagita, commemorauī. Primæ & supremæ Hierarchiæ tres Chori, qui in Ecclesia Militante correspondent, contemplatiuis: Primum in hac functione locum, sibi meritò vendicant: Eorum status cum sit, in sincera conuersione ad Deum, in perfectâ abstractione à Creaturis, solida pace ac securitate cordis, vt Deus id

I. Tres Hierarchia Angelorum.

Lib. de Cœlesti Hierarch. c. 2.

I. Hierarchia
respondens sta-
tui contempla-
tiuorum.

1. Chorus Thro-
ni.

2. Chorus Che-
rubin.

3. Seraphin.

II. Hierarchia
respondens sta-
tui Prælatorum
in Ecclesia mi-
litante.

1. Chorus Do-
minationum.

2. Chorus Po-
testatum.

3. Chorus Vir-
tutum.

poscit, integerrimè inhabitare: Nam vt Dauid ait: *In pace factus est locus eius*. Et hi sunt inter Angelos Throni, qui ab omni externa affectione remoti, per internam pacem tranquilli, Soli Deo, immobiles ad exteriora, attendunt, aduentum eius, absq; vllis perturbationibus suscipiunt, Deumq; ferentes, ad ipsius fulgores percipiendos, semper patent; Vnde tanquam Sedes Dei stabiles sunt, in quibus Iudicia sua discernit & exercet, iudeoq; *Throni* appellantur. Deinde consistit Status contemplatiuorum, in perfecta cognitione Creatoris; His correspondent *Cherubin*, dicta à Scientiæ plenitudine, ac contemplatione perfectissimæ lucis illius æternæ, cuius noticiam sine liuore, in inferiores Angelos transfundant. Consistit deniq; Status Contemplatiuorum, in ardentissimo amore Sacrosanctæ Trinitatis, ita vt secundum has Virtutes, Theologicas, *Fidem, Spem & Charitatem*, hi tres chori distribuuntur: Et hic est Supremus *Chorus Seraphinorum*, quasi amore diuino ardentium, & alios pariter inflammantium: Vnde Seraphin, id est ardentis appellatur.

Secunda Hierarchia respondet in Ecclesia Militante, *Statui Prælatorum*, Ecclesiam Regentium: Vti porrò Prælationis & potestatis perfectio, consistit in tribus; In præsidendo subiectis; in resistendo inimicis; in operando magna pro suis; Ita tres sunt iterum ordines, in hac Hierarchia. Ordo primus *Dominationum*, quorum est præsidere subiectis Angelorum agminibus, purgando, illuminando, perficiendo. Alter ordo, *Potestatum*, quorum officium, oppugnare aduersarios, Dæmonum dolos, Tyrannides, & machinationes & fraudes in nihilum redigere. *Virtutum*, est, operari miracula, sanitates & beneficia conferre, per hos enim Deus operatus est, in Ægypto, in mari rubro, in deserto, & adhuc operatur in nouo Testamento.

Tertia

Tertia Hierarchia, respondet Statui Actiuorum, & continet *Principatus, Archangelos, Angelos*; *Principatum* actio, circa custodiam & Regimen Principum, qui sunt capita multitudinis, versatur. *Archangelorum* Ministerium, circa multitudinem populi in Urbibus & Prouincijs, collectam exercetur; Vnde Daniel meminit, Principis Israhelitarum, & Persarum. *Angelorum* deniq; ministerium, circa singulas Personas, in muniendo, custodiendo, dirigendo, & instruendo, consummatur.

Primæ igitur Hierarchiæ, chorus primus *Seraphinorum*, Reginam Virginem consalutans, & fidelitatem spondēs, hoc modo congratulabatur: *Salue o potentissima Regina & Imperatrix nostra*; Tibi amoris Diuini palmam nos concedimus, Tu *Sole Iustitiæ* amicta es; Tu Deum Regem nostrū feruentissimè præ omnibus alijs creaturis amasti, non solum honore Naturali, vt Filium, sed & dilectione supernaturali, vt Deum es profecuta; Et quantò copiosior tua eluxit gratia, tantò feruentior charitas excelluit: Meritò igitur *exaltata es, super choros Angelorum*, Ordinis nostri *Seraphici*: meritò tibi subijcimur & Imperio tuo, iugiter paremus. Tu enim *optimam* Amoris Diuini partem elegisti, *quæ à te nunquam auferetur*. Et osculato sceptro, datoq; homagio, sequenti *Cherubinorum* Choro locum dedere. Quid *Cherubini*? Et ipsi ante Reginam suam in genua procumbentes, ei se se inclinantes, congratulabatur. *Aue Mysteriorum cœlestium perfectissima Contemplatrix*; *Aue diuitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei altissima penetratrix*: *Aue cunctarum Hæresum*, in vniuerso mundo *potentissima expugnatrice*. Tu mysterium à sæculo absconditum, quod Paranympus Gabriel, à Deo missus, aperire non potuit, à Spiritu sancto obumbrata, immediatius edocta, perfectissimè didicisti: Tu sola Fidem, sub cruce Filij tui non perdidisti, Tu in schola Spiritus sancti,

III. Hierarchia respondet statui Actiuorum.

1. Chorus Principatum.

Dan. 10.

2. Archangelorum.

3. Angelorum.

II. Congratulatio Hierarchiæ Primæ

1. Seraphim

Apo. 12.

2. Congratulatio Cherubinorum.

Rom. 11.

Luc. 1.

Ioann. 19.

perfectissimè erudita, Apostolos & Euangelistas, de My-
sterijs cœlestibus, Incarnationis Filij Dei, præstantissima
Doctrinæ, gnauiter erudijsti: Tu eos sublimiori Maiestatis
Diuinæ contemplatione, Mysteriorumq; Diuinorum co-
gnitione, millies superasti. Te ergo vt *Principissam ac Regi-
nam nostram*, humillimè venerantes, tibi iugiter, vt Regine
nostræ, fideliter seruituri, diuinæ potentie sceptrum ac
dignitatem tibi collatam, ex osculamur, atq; ita homagio
præstito, ad latus secesserunt. Secuti *Throni*, & ipsi Vir-
gini debitum honorem exhibentes, ei congratulabatur.
Aue *Dei Templum*, immaculata *fœderis Arca*, veri *Salomonis
Thronus*, *eburneus*, auro purissimo diuinæ gratiæ conuesti-
tus, *Spiritus sancti Sacrarium*, Filij Dei *Reclinatorium*: Tu sola
es illa quæ *optimam partem elegisti*; Tu sola Dilecto tuo, &
ipse tibi: Tuum semper vnicum studium, *solicite ambula-
re cum Domino Deo tuo* ac nostro, & præparare illi dignum,
in corpore tuo, pariter, & mente habitaculum. Propte-
rea dilectus Filius tuus, te præ omnibus elegit, te sanctifi-
cavit, vterum tuum benedixit, in te Thronum Iudicij sui
posuit, quo *in Misericordia & miserationibus*, Mundum salua-
uit vniuersum. Tu in omnibus Creaturis semper Deum
tuum inuestigasti, ideo tu facta es *Thronus ac sedes eius*,
non solum per gratiam suscitantem, sed & per Diuini-
tatem, ex te carnem sumentem, cuius priuilegij sublimi-
tate, Nostram & omnium Angelorum dignitatem, in-
finitis modis transcendisti: Merito igitur *exaltata es, sancta
Dei Genitrix*, *super nos*, & omnes *Angelorum choros*, *Regina &
boninum* atq; *Angelorum Gubernatrix*, salutaris: Tu *optimam
partem elegisti, que à te nunquam auferretur*: Et sic fide data,
ad Hierarchiam suam, se se contulerunt.

Sequebatur altera Hierarchia *Ecclesiæ Triumphantis*,
ex qua *Supremus Chorus Dominationum*, ei se profundè in-
clinans, applaudebat: O *Virgo prudentissima, quo progredis?*

Tu

3. Congratula-
tio Thronorum.

I. Corinth. 2.
Exodi. 28.
Luc. 10.
Cant. 2.

Psal. 45.

Ecl. 24.

II. Secunda
Hierarchia
congratulatio.
I. Congratula-
tio Dominationum.

Tu specie ineffabilis gratiæ tuæ, tu pulchritudine immē- *Psal. 44.*
 sæ gloriæ, omnibus meritò dominaris: Nos Dei statuto
 æternoq; decreto, subditis dominamur spiritibus Ange-
 lorum, præcepta Superiorum, ad ipsos dirigentes, & eos
 ad diuinæ voluntatis executionem Ordinantes: Tu pro- *Luc. 1.*
 fundissima humilitate tua exaltata, non Angelis solum,
 sed & hominibus, sed & Angelorū Domino, & Creatori,
 Materna auctoritate es dominata: Nam & Rex noster
 Christus, *tibi subditus erat* in terris, qui te nunc tanta gloria, *Luc. 2.*
 exaltat in cœlis. Hinc eminet, potestas tua in Hierusa-
 lem cœlesti, hinc *in plenitudine Sanctorum detentio tua.* hinc *Ecl. 24.*
 tu meritò *MARIA*, id est *hominum & Angelorum Domina*,
 appellaris: cui nos & obsequia nostra, iugiter subiicimus,
 te *Reginam nostram & Imperatricem*, humiliter agnoscentes:
Tu optimam partem elegisti, quæ à te non auferetur: Exaltata es
meritò Sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum, ad cœlestia
Regna. Succedens ordo *Potestatum*, sic eam compellabat: *2. Congratula-*
tio Potestatum.
Aue Mulier fortissima, à Sapientissimo Filio Dei inuenta,
procul & de ultimis finibus precium tuum; Tu cœlestibus diui-
tijis, supra omnes Creaturas ditata, nos omnes locupletas; Prou. 31.
 in te confidunt virorum corda, qui prælia Dñi pugnant:
 Tu *Turris David* ædificata, *cum propugnaculis, mille clypei pen-*
dent in te, quibus miseri homines, aduersus tela, nequissimi, i-
gnea, se se tueri possunt; In te omnis armatura fortium. Tu *Ephes. 6.*
 hostibus Infernalibus *terribilis es, vt castrorum acies ordinata:* *Ibid.*
 Tu es illa *Serpentis Calcatrix*, qui pedibus tuis semper insi-
 diatur, & tuum, per Semen suum hæreticos, calcaneum
 admordet: Tu *victrix gloriosa*, de humani generis, hoste, per *Gen. 3.*
 Filium triumphasti: Te igitur vt *Reginam nostram* venera-
 mur, obsequia nostra tibi perpetuò addicentes: Tu *opti-*
mam partem elegisti, quæ à te non auferetur in æternum. exaltata
es enim super omnes choros Angelorum. Accedebat post *Pote-*
states, tertius huius Hierarchiæ Chorus Virtutum, per hunc *3. Congratula-*
tio Virtutum.

modum eam alloquebatur: Ave potentissima *Virtutum operatrix*, & mirabilium *Patratrix*, toti mundo admiranda: Nos quidem, circa *Creaturas inferiores*, & quidem ad nutum *Creatoris*, prodigia & miracula designamus, actiua passius applicando: Tu *Miraculum*, omnium *Miraculorum*, maximum, circa ipsum *Creatorem* patraſti. Tu *rubus Moſſis*, incombustus; Tu *Virga Aaron*; Tu *Gedeonis Vellus*, rore madens cœlitus: Nam cum *Nardus humilitatis* tuæ, odorem dedisset, *Æterni Patris Filium*, in vterum tuum, è cœlo traxisti, & *ſuæmna virum circumdedisti*: Te cooperatricem *Summi*, *Incarnationis* suæ, *Miraculi*, & *ſociam*, *Filius Dei* voluit habere, quod nobis est negatū: Tu *hortus conclusus*; Tu *Fons ſignatus*; Tu *porta, ſoli Dei Filio peruia*: Tu potentia tuæ energia, nos excellis, ſine omni comparatione: Meritò tibi, vt *Reginæ*, Iure perpetuo famulamur: Meritò igitur *exaltata es ſuper omnes choros Angelorum ad cœleſtia Regna*.

Exod. 2.
Leuit. 11.
Iudic. 3.
Cant. 5.

Hierem. 10.
Cant. 4.
Ezech. 44.

III. Hierarchie
I. Principatum
Congratulatio.

Tertia deinceps *Hierarchia* *Homagij officium*, & ipſa obire geſtiebat. *Virtutibus* igitur locum dantibus, *Principatus*, ad *Reginæ Thronum*, feſtinat eidem applaudentes: O *Regis* noſtri *Benedicta Mater*, cunctis gratioſa, mirabilis vniuerſis. Nos quidem *Terrenorum Principum Rectores* ſumus, ac *directores*: At tu, *cœli terræq; Principem*, *Dei Filiū* genuiſti, lacte tuo nutriuiſti, in *Ægyptum* deculiſti, inde reduxiſti, indiuidua comes, in ingreſſu in hunc mundum, & in egreſſu ex hoc mundo; ab iſto comitatu tuo, nec te *Iudæorum* metus, nec *hoſtium* crudelitas, potuit abſterrere: atque ita *Regi* ac *Principi* noſtro multò præſtantius quàm nos aſtitiſti: Atq; ita *optimam partem* elegiſti, & *exaltata es, ſuper Choros Angelorum*. *Regina* noſtra, cui omnem *fidelitatem* & *obedientiam* pollicemur. Succedebat porrò & *Archangelorum Chorus*, obſequia deferens *Reginæ*: O *Archangelorum Domina*, du-

Luc. I & 2.
Matth. 2.

Ioann. 19.

I. Archange-
lorum Congra-
tulatio.

duna

dum ab vniuerso hominum cœtu, expectata: Tu cuncto-
 rum *adiutrix laborantium*, Tu *Desolatorum Consolatrix*, Tu
 sollicita fuisti & *turbata, erga plurima*, tanquam communis Luc. 10.
 vrbium & Prouinciarum, immò & *totius humani generis*
Præses, & Protectrix; Tu protulisti vnicum, humanæ salu-
 tis vindicem, animarum nostrarum Restauratorem: Tu
aurora valdè rutilans, Stella matutina, Solem iusticiæ præ- Cant. 4.
currens, qui ex te est ortus, qui soluens maledictionem dedit bene-
dictionem, & confundens mortem, dedit nobis vitam sempiternam:
 Horum beneficiorum non solùm, fuisti nunciatrix, sed
 & per Filij gratiam, cooperatrix. En quam sublimiter.
 officia & Merita nostra, superâris: Meritò igitur *optimam*
partem elegisti, & exaltata es super omnes Choros Angelorum.
 Venère tandem *Sancti Angeli*, in infimo Choro, singulorū 3. Congratula-
 hominum custodiæ deputati, & se Reginae suæ, cum o- tio Angelorū.
 mni seruitio & obsequio, subdiderunt. Aue lucidissima
Maris Stella, aue Lux, illuminans omnem hominem, venientem Ioann. 1.
in hunc mundum, qui radiorum tuorum fulgore, cupit illu-
 minari. Nos multi singulorum hominum Custodes, su-
 mus: At tu vna, singulis, & omnibus pariter, salutem mi-
 nistrasti. Nos singuli, pro singulis clientibus, solliciti su-
 mus; at tu curas vniuersos miseros afflictos, opis egen-
 tes, ad te in angustijs recurrentes. Ecce quantò *melio-rem*
præ nobis partem elegeris, quæ à te nunquam auferretur. Tanto
 itaq; alius, tanto dignius in cœlo, *super omnes Angelorum*
choros, in Throno gloriæ tuæ es exaltata. Quibus omnibus
 ritè peractis, Angelicorū ordinum homagium, cum so-
 lenni applausu in cœlesti Regno, terminabatur.


Quid vos, ô Beatae Animæ, Sanctorum Angelorum III. Beati An-
 choris insertæ? An huic Reginae vestrae, debitum hono- geloium choris
 rem subtrahitis? Minimè verò. *Patriarcha* in primis & inserti.
Propheta, atq; omnes veteris Testamenti Electi, eam sic ex- 1. Patriarcha
 cipiebant: Aue decus vnicum, & spes generis nostri, & Propheta.
 nobis Esaia 49.

*Pfalm. 64.**Joann. 8.**Actor. 12.**Act. 2.**Apoc. 1.*

nobis in Paradiso promissa; ô quanto desiderio te expectauimus, vt cœli per te nobis, *rorarent, & pluerent Saluatorem* & terra carnis nostræ, per te nobis *germinaret, fructum vitæ. Exultauimus & anhelantes videre cupiuimus tuum, & Filij tui diem; vidimus & gauisifumus*; Tu in benedicto ventris tui fructu, nobis omnibus æternam benedictionem peperisti, tu per Filium è *tenebris & vmbra mortis*, nos eduxisti, & in Regno eius collocasti: Sic Filius tuus per te benedictus, & tu in Filio tuo, in sæcula benedicta. *O potentissima hominum & Angelorum Regina*. Similiter & totus Christianorum Electorum Chorus, cum *S. Apostolo Iacobo*, qui iam pridem ab Herode decollatus, cum Christo triumphabat in cœlo, vnà cum *S. Stephano*, alijsq; quàm plurimis Martyribus, cæterisq; Electis, singuli & omnes, *iuxta quod Spiritus sanctus dabat eloqui illis*, Reginæ nostræ laudes, deprædicabant. *Aue Regina nostra gratia plena, Dominus tecum*, tu ei sessione in eius Regno, proxima: *Benedicta* tu non solum *inter mulieres*, sed & præ vniuersis hominibus in terris, & Angelis in cœlo. *Et benedictus fructus ventris tui IESVS CHRISTVS*, qui est *summum bonum*, & æterna merces & gaudium nostrum; *Tu optimam partem elegisti*, & ideo merito *exaltata es super choros Angelorum in cœlestibus Regnis*. Nos te vt *Reginam nostram*, perpetuò venerabimur & agnoscemus: Nos tibi, vt *Dominæ nostræ*, humilem obedientiam, exhibentes, laudibus tuis, immorabimur, Filium tuum, iugiter in te benedicentes. Peracta itaq; solennitate ista, *cora cœlestis, Curia*, prorsus admirabili nec vnquã prius audita Harmonica Melodia, personuit, quam cogitando, potius quàm verbis eloquendo assequi potestis.

O ineffabilem triumphum & applausum, quo tu ô *Serenissima, ô Augustissima Regina nostra*, hodierno die, ab vniuersa Ciuitate cœlesti, fuisti salutata. Quis mihi det, vt hoc

hoc anniuersario die exaltationis, quo tu *ó Regina, & Mater mea*, in cœlo fuisti coronata, ex huius corporis ergastulo, & carneo carcere, liberer, & Filij tui Tribunali præfenter! Quis mihi det, vt eo ipso die, conspiciam te, in primo alterius vitæ ingressu, Anniuersarium istum, Ciuium cœlestium, de tua Exaltatione triumphum? Ah *Mater Misericordia* in te confido, ne confundatur spes mea, *ó Regina & Domina nostra*, accumbens cœlesti mensæ, Veri Saluatoris, Da nobis catellis, quondam edere, de micis huius mensæ: Non puero Abrahamæ, Eliezer solum, sed & Camelis eius, id est Peccatoribus, qui vt iumenta in Stercore suo computruerunt, è quorum numero sum ego præcipuus, è hydria Misericordiæ tuæ, potum præbe, quia tu verè es Sponsa, & Regina, præparata Regi summo, Christo IESV, qui est benedictus in sæcula, Amen.



S E R M O XXII.

Dulcedo & efficacia Patrociniij
Virginalis.

Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus Fructus Ventrũ tuũ.
Luc. 1.



Vm S. Dionysius Arepagita, quemadmodum de se ipso testatur, Hierosolymam deuenisset, Dei Matris visendæ causâ, ideoq; Ioannem Apostolum, eius Custodem, ac Tutorem conuenisset, vt præstantissimam illi Heroïnã ex qua omnium salus hominum prodierat, ei ostendere dignaretur. Ad Virginis conspectum deductus, præ stupore nimio, lypotomiam passus, animo defecit: causâ suismet edisse-

*Lib. 6. de vita
Saluat.**Lib. 6. de vita
Saluat.**Luc. I.**Serm. super
Missus.*

rit verbis: *Cum deductus fui, ad aspectum Virginis Matris, tam immensus atq; Diuinus me Splendor circumfulsit, exterius, & plenius irradiauit interius, tanta etiam in me, omnium odoramentorum superabundauit, fragrantia, vt nec corpus infelix, nec Spiritus posset, tanta felicitatis insignia sustinere.* Testor Deum qui aderat in Virgine, situm Diuina eloquia, me non edocuisset, hanc Deum verum esse credidissem, quoniam nulla maior gloria posset esse in terris. addit Vbertinus, S. Dionysium, tantò magis obstupuisse, quantò maiorem Angelorù multitudinem, Virgini circumfusam conspiciebat. Quod illi Discipulo Apostoli Pauli contigit, post Christi in cœlum ascensum, hoc Elisabethæ ante Christi natalem, in hunc mundum, quando Virginem Dei Filio iam grauidam, se visitatum venientem, excepit. Vnde stupore pariter. & Spiritu sancto plena, exclamauit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini ad me?* Mater, inquam, præ totius Mundi Virginitibus & fæminis electa, vt Deum concipiat, Virgo intemerata! Mater tot priuilegijs à Deo honorata! Mater etiam ipsis Angelis suspicienda? *Mater Domni mei*, ex qua ipse carnem nostram assumere dignatur: Est hic Titulus Maternitatis Dei, tantæ dignitatis, & tot in se prærogatiuas continet, vt nec Angelicæ linguæ, singulas valeant enunciare, nedum ego, qui homo sum, eas vel in minimo, ausim attingere. Mihi verò quoties de Virginitis Deiparæ laudibus, verba facienda sunt, nihil dulcius, nihil gratius commemorare videtur, quam si de eius Patrocinio, & quotidiana in nos beneficentia loquamur: Verè enim, vt S. Bernardi verbis vtar: *Prima eius, & omni acceptione dignissima, Virginis nostræ benedictio est, dum damna, qua nobis Eua per maledictionem intulit, ipsa per benedictionem suam, abundè, bodiernum etiam in diem, miseris peccatoribus benefaciendo, refarcit.* Tria itaq; hac vice sunt in votis: Primò, de tuo

de tuo in nos amore, ac beneficentia, aliquid breuiter tangemus: Deinde Patrocinij tui suauitatem: ac tandem eius commoda & vtilitates, in medium producemus: *Dignare me laudare te Virgo sacrata: Da mihi virtutem contra hostes tuos. Amen.*

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: I. B. Virgo pauperum in Ecclesia Republica est Aduocata.
 Benedicta, inquam, es, & benedicta eris in æternum; non solum *beatam Te dicent, & prædicabunt omnes nationes, quia tibi magna fecit Deus qui potens est, & sanctum Nomen eius:* sed & quia tu magna etiamnum hominibus beneficia præstas. Memini me quondam in Iure ciuili legisse, in omni bene ordinata Republica, sumptibus publicis, ad minus vuum Aduocatum pauperum constitui, oportere, qui pauperum causas, gratis agat, & eorum lites iudiciales, ad finem perducatur: Hanc tu ò Domine IESV, legem in Ecclesiæ tuæ Republica, videris accuratissimè obseruasse, quando Benedictam Matrem tuam, *omnium afflictorum Patronam*, constituisti. Hanc enim ob causam, tam amplum ei salarium gratiæ, donorumq; cœlestium abundantiam, persoluisti, vt eam Angelus illicò sub initio Maternitatis, *Aue gratia plena*, salutarit. Vnde vt S. Hieronymi, testimonio vtar, meritò de se ipsa gloriatur: *Quasi platanus exaltata sua iuxta* In Psalm. 43.
aquas. Cur quasi Platanus exaltata iuxta aquas? Platani folia Ecccl. 24.
 similia sunt scutis quæ vulgo parmæ vocantur. Quid hoc rei: *Ego exalta sum quasi scutum aque*, vt Theodotion vertit, Apoc. 17.
 è textu Chaldaico: *Aque multe, populi multi*, inquit Angelus in Apocalypsi: Est enim Dei Mater scutum & Protectio, totius Populi Christiani, in toto terrarum orbe, per fidem coadunati: Vnde cum dicit, *quasi scutum exaltata sum in hominibus*, idem est ac si diceret: Fideles Christiani, electi Filij mei, serui & ancillæ, me respicient, me honorabunt, vt scutum, vt suam protectionem, vt aduocatam suam, & in omni necessitate Patronam, iugiterq; me honorabunt:

Psal. 90.

Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, ò deuote Virginis cultor, & tu ò Virgo *benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

II. *Luminare minus B. Virgo. In Euangel. de Deipara.*

Cantic. 2.

Creauit Deus ab initio, vt S. Athanasij discursu hic vtat, duo luminaria, cum visibilem hunc mundum fabricaret; *Solem* vt diei, *Lunam* vt nocti præessent, & *Stellas*: Sic in mundo spirituali, quando Ecclesiam suam efformauit, *Luminare maius, Christum Iustitiæ solem*, in Firmamento cælesti, diem æternæ beatitudinis illuminantem: Et *luminare minus, Gloriosissimam Matrem suam*, quæ *pulchra est vt Luna, & Stellas minores*, id est *reliquos Sanctos*, vt præessent nocti huius sæculi, & hominibus interuentu suo, apud Deum prodesse, opemq; & auxilium in omni necessitate, benignissimè præstarent, sapienter ordinauit. Sicut porrò inter omnia Firmamenti luminaria, nocturna, luna, præsertim plena, plus lucet, magis splêdet, & coruscat, quàm reliquæ stellæ, coniunctim: Sic etiam B. Virgo, multò efficacius intercedit, pro deuotis suis fidelibus, & plura eis confert beneficia, quàm omnes alij sancti.

2. *Virginis Patrocinium nullam Christo Iniuriam infert.*

4. Ioann. 2.

Sed quid ais S. Pater Athanasi! Num sancti, num in primis *Sanctorum omnium Regina*, Dei Mater, intercessione sua, nobis valeant succurrere? Annon hoc est iniuriam Christo Soli nostro inferre, qui vt S. Ioânes Apostolus affirmat: *Est noster apud Patrem aduocatus?* Absit iniuria Christi: Nam Sanctorū intercessio, minimè pugnat cum gloria Christi. Nunquid Luna & Stellæ noctem illuminant, sine omni iniuria Solis! Ita res habet: quid caussæ! non proprio lumine, sed Solis lumine, à Sole mutuato, hoc exequuntur: Sic nec B. Virgo, nec Sancti alij, propria virtute, nobis aliquid elargiri possunt, sed quidquid nobis conferunt, impetrant à Christo, à quo omne bonum, *omne donum*, tanquam à Patre luminum descendit. O præfulgidum *luminare noctis*, huius sæculi, quam multis afflictis effulsiſti opemq;

opemq; tuam, poscentibus, etiam inter hosce presentes,
& laudibus tuis intendentes, millies impendisti? *Benedi-
cta tu ergo inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

Quid est quod Deus olim Israelitis promisit, *terram
lacte & melle manantem*, nunquam tamen legitur, terram ta-
lem excicisse, in qua lactea, & mellea flumina, inueniren-
tur? nunquid promissio Dei irrita esse potest? nunquid
Deus fallere & mentiri potest! absit absit, vbi ergo terra
illa lacte & melle manans? intuere terram illam, de qua
David: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem
Iacob; remisisti iniquitatem plebis tue, operuisti omnia peccata eorū.*
Terra inquam hæc benedicta, est gloriosissima virgo MA-
RIA, quæ nobis protulit *Benedictum fructum arboris ligni vite*,
dicente Prophetissa Elisabetha: *Benedicta tu inter mulieres,
& benedictus fructus ventris tui.* Hæc enim terra nostra, co-
piosè manat & affatim profundit, *Lac misericordia, & Mel
suauitatis* atq; *Clementia*, vt non immeritò de ea dicatur:
Mel & Lac sub lingua tua, fauus distillans labiatna; Et ipsa non
immeritò de se gloriatur: *Spiritus meus super mel dulcis, & be-
reditas mea, super mel & fauum.* *Transite ad me omnes qui concu-
piscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Meritò igitur
te ô Benedicta terra, lacte & melle manans, eum Ecclesia
sancta salutamns: *Salue Regina Mater Misericordia, Vita dulcedo
& Spes nostra Salue; Benedicta tu inter mulieres, benedictum fru-
ctum ventris tui, post hoc exilium nobis ostende, ô Clemens, ô pia,
ô dulcis Virgo MARIA.*

Quin etiam Fons est omnis ducedinis, & suauitatis, vt ei,
velut Iudith cum Populo Israhelico, omnes deuoti fa-
muli eius, meritò acclament: *Tu gloria Hierusalem, tu laticia
Israhel, tu honorificentia populi nostri;* sic etiam in Litanijis
Lauretanis, *Causa nostræ laticia* appellatur. Quin potius, in-
quit S. Ambrosius, *MARIAM, Manna dixerim, quæ est subti-
lis & splendida, dulcis & sapida, Virgo MARIA; quæ velut cælitus*

III. Terra lacte
& melle ma-
nans.

S. Bern: Serm:
3. super salue
Regina.

Psal. 34.

Gen. 1.

Luc. 1.

Cant. 4.

Ecc. 24.

IV. Fons omnis
gaudij laticia
& suauitatis
Deuotio ergo
Virginem.
Iudith. 15.

In Psalm. 21.

Serm. I. de Na-
tinit: Virg.

2. Dulcedo me-
morie Virginie.
In speculo.

Orat. de dorm:
Deipara.

Ecol. 49.

Serm. I. de Na-
tinit: Virg.

3. Nomen Vir-
ginis absq; mira-
dulcedine non
pot est proferr.
Lib 7. Mirac.
sui temp. cap.
50.

veniens, cunctis Ecclesiarū populis, cibum melle dulciorem, defluxit, quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere, non poterit. Hæc est, inquit B. Petrus Damianus, quæ vestris affectibus, suaviter indulcescet, Ocius deuoti cultores, in quibus dulcis Dominus, cum omni sua dulcedine superuenit. Et S. Bern-

ardus apud S. Bonauenturam: *O magna, o pia, o multum laudabilis Virgo MARIA, tu nec potes nominari, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus te diligentium. Tu nunquam sine dulcedine tibi insita, pia memoria, portas ingrederis: Hanc ipsam, quinimodò dulcedinem, longè ante S. Bern-*

ardum præsensit S. Ioānes Damascenus: *Sufficit, inquit, ijs, qui tui memoriã piè vsurpant, preciosissimū memoriæ tuæ, donum; quippe quæ eiusmodi latitiã pariat, quam nullus eripere possit: Quanam enim voluptate! quibus bonis non impletur, qui mentem suam, sanctissimæ memoriæ tuæ, promptuariũ effecerit? Et ratio ipsa euincit hanc dulcedinem, in Beatissimæ Virginis cultu atque deuotione: Nam si scriptura ait de Iosia:*

Memoria Iosia in compositione odoris, facta opus pigmentarij, in omni ore, quasi mel indulcabitur, eius memoriã; Et ut Musica in Conuiuio vini: quanto magis id effectum dabit iugis memoria Dei Genitricis? In huius itaq; dulcedinis admira-

tionem, nõ incongruè exclamat B. Petrus Damianus: Felices Angelici Spiritus, qui B. Virginis habent præsentiam: Nos interim memoriã suauitatis, eius, eruclamus: Si enim sic dulcis est me-

moria, quid olim eius præsentia! In huius dulcedinis testimonium, mirabilem historiam refert Cæsarius: Colonia in-cluso cuidam, nomine Marsilio, propè S. Seuerinum degenti, pia quædam & Beatissimæ Virgini admodum deuota Matrona, affirmabat, se Deipara Virginis, Domina nostra Nomen, absq; mira quædam dulcedine, pronunciare, non posse, atq; eius deuotione, tantam se dulcedinem consecutam, vt omnis oris eius salua, orationis tempore, cum præsertim Rosarium recitando, virginem salutaret, in mel videretur esse conuersa, quod audiens Marsilius, huius

buius Matrona exemplo, vix sex hebdomadibus, eodem modo Virginem Deiparam quotidie coluit & salutavit, cum tantam in ore dulcedinem percepit, quæ omnem mellis suavitatem longissimè superaret. Alius similiter ex ordine Cisterciensi, idem probavit, & eandem dulcedinem est expertus, hæc Cæsarius, ex ore Marsilij se excepisse scribit. Benedicta ergo tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, IESVS CHRISTVS.

Quod si quis Virginis Nomen, etiam, diuinitus impositum, contempletur, inueniet, teste Hieronymo, tres in copotissimum interpretationes. Primò namq; significat *Dominam*, deinde *Mare*, tertio *Stellam Maris*; Quid importat Nomen *Dominā*? Audi Damascenum: *MARIA* Nomine, *Dominā* significatur: Nam reuera *Dominā* facta est, omnium Creaturarum, cum Conditoris omnium, Mater est effecta. Audi Epiphanium: *MARIA* interpretari solemus *Dominā*, atq; etiam *Spem*; peperit enim *Dominum*, qui est *Spes* totius mundi. *Christus* ergo *Dominus*, *MARIA* *Dominā*, & licet ipsa se profitebatur ancillam Christi, hoc seruitutis genus, omni Regno, subtilius esse intellige; constituta quippe est super omnem creaturam: & quicumq; curuat genu *IESV*, *Matri* quoq; pronus supplicat, & *Filiū* gloriam cum *Matre* non tam communem iudico, quàm eandem. Si ergo *MARIA* *Dominā*, si dominatur Creaturis omnibus, Angelis & hominibus, vt *Regina*, cum *Filio* regnans est præposita, quidni possit fidelibus ac deuotis Clientibus patrocinari? Quidni æternam illis beatitudinem procurare? O Mater Dei, subest tibi cum volueris eorum necessitatibus subuenire.

Quid *Mare* ad nomen *MARIÆ*? Cur ipsa *Mare* appellatur! Quia *gratia plena*, & Spiritus sancti donis, vberimè affluens, *Mare omnium gratiarum*, meritorè appellatur: Vnde non incongruè S. Bohaentura applicat illud Ecclesiastici: *MARIA*, *Mare est gratia affluendo*. Nam sicut

omnia flumina intrant in Mare: Sic omnia gratiarum genera,

Angelo-

V. Nomen Virginis, Triplicem habet significationem.

In cap. 20. Exodi.

di.

1. *Dominā*.

Lib. 4. de fide

orthod.

Orat. de laud.

Virginis.

II. *Mare*.

Ecl. 1.

Speculi. cap. 3.

Super Missus
71.

In 4 part. tit. 15.
cap. 14.

III. Stella Ma-
ris.

Part. 4. lib. 15.
cap. 14.

Cur & gnomo-
do Maris Stella
B. Virgo.
Homil: 2. super
Missus est.

Angelorum, Patriarcharum, Propbetarum, Apostolorum, & reli-
quorum Sanctorum, influunt in MARIAM. Et Albertus Ma-
gnus: Congregationem aquarum vocauit Deus maria; Locus au-
tem omnium gratiarum vocatur MARIA. Quid ad nos mi-
feros, hæc abundantia gratiarum! Edisserat S. Antoninus:
M A R I A interpretatur Mare, quia sicut nullus valet guttas ma-
ris dinumerare: Sic Misericordiam, gratiæ Excellentiam, gloriãq;
M A R I Æ, nullus valet exprimere: Si Mare est gratiarum & mi-
sericordiarum cœlestium donorum, quid ni eius beneficio-
rum copiosa multitudo in nos eius Clientes, redundet:
O inter mulieres benedicta?

Cur deniq; Stella Maris M A R I A, vt S. Hieronymus
Nomen M A R I A interpretatur? vtamur hic S. Antonini
discursu: Stella maris, aliàs polaris appellata, in cauda Vr-
sæ minoris sita, polo proxima, loco poli, qui visui mini-
mè patet, sumitur; estque ex cœli substantia non minus
atque aliæ Stellæ, & quoniam vertex iste id est Polus,
nobis semper est sublimis, ea Stella in hoc nostro hemi-
spherio, degenribus nunquam occidit; Magnetem insu-
per ferrumq; Magnete tinctum, ad se attrahit, nautas di-
rigit, & circa eam reliquæ stellæ, semper moueri vi-
dentur: Sic Virgo Deipara Christo omnium est proxima,
eiusq; vitæ conuersatio, etiam cum in terris degeret, to-
ta cœlestis erat; reliquos Sanctos, longissimo interuallo
antecellit; ferrea peccatorum pectora, sua virtute trahit;
in hoc periculoso huius mundi mari nauigantes, & in te-
nebroso vitæ istius Oceano iactatos, & Scelerum tene-
bris vndiq; circūfusus, modò ad eam subinde respiciant,
eamq; precibus inuocent, certum tenere cursum docet,
& tandem ad Salutis portum appellere, procurat. De
quibus omnibus & singulis, ista S. Bernardus: M A R I A
quod interpretatum Maris Stella dicitur, & M A R I Æ Virgini, valde
conuenienter, aptatur: Ipsa namq; conuenientissime Sydsri apta-
tur;

tur; Quia sicut Sydus, sine sui corruptione, emittit radium: Sic absq; sui lesione Virgo parturit Filium: Nec Syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini suam Filius integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa Stella, ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat: cuius splendor & præfulget in superis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corporeas: fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa inquam est præclara & eximia Stella, super hoc mare magnum & spaciosum, necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis; O quisquis intelligite in huius sæculi profluuiò flucluarè magis inter procellas & tempestates, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos, ab huius Syderis fulgore, si non vis obrui procellis. Si insurgant Venti tentationum, si incurras Scopulos tribulationum, respice Stellam, voca MARIAM, Si Criminum immanitate turbatus, Conscientiæ fœditate confusus, Iudicij horrore perterritus, barat bro incipias absorberi tristitia, desperationis abyssò submergi, cogita MARIAM. In periculis, in angustijs, & rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres orationis eius auxilium, non deserat conuersationis Exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia, peruenis, & sic in teipso experieris, quia Nomen Virginis MARIA, id est Stella Maris: Quid

Quid in tribulationibus sperandum ab hac Mariæ Stella.

Opusculo 2.

plura! Sicut nauigantes ad portum, diriguntur per Stellam maris, inquit S. Thomas de Aquino, Sic Christiani diriguntur ad gloriam cœlestem MARIAM. Ecce quid præsidij, quid opis & auxiliij, in omni casu, atq; euenru, ab hac Patrona valeas expectare, quam sic Ecclesia sancta salutat: Aue Maris Stella, Dei Mater alma, Solue vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle, bona cuncta posce. Quis te igitur, ô Gloriosissima Virgo, non deuotissimè colat, honoret, inuocet, & saluet, Aue gratia plena, Benedicta tu inter mulieres.

VI. Exempla
Efficacia Cul-
tus Virginis
Deiparæ.
In vita S. Bru-
novis Surius.

2. Officij Bea-
tissimæ Virginis
recitatio quan-
ti momenti.

3. Benedictio
Arca faderin
2. Reg. 6.

Luc. 1.

Præclarum directionis, ad hanc Maris Stellam, Ex-
emplum accipite: Cum *Beatus Bruno*, terricus admirabili
illo, & noto casu, Parisiensis Cancellarij, qui cum pro vi-
ro sancto haberetur, sub exequijs tamen, proclamavit se
damnatum, cum socijs aliquot, se in vastam, formidolo-
samq; Eremum contulisset, & austerissimum, cum ipsis
vitæ genus inchoasset, euocato S. Brunone Romam, ab
Urbano II, Pontifice, Socij eius, primi illius ordinis, Pa-
tres, propter susceptæ vitæ, durissimam asperitatem, &
loci horrorem, ac vastitatem, & simul etiam Calumnia-
torum quorundam, aculeatis disterijs, exagitati, incre-
dibili, perplexitate ac pusillanimitate percellebantur.
Apparuit ergò eis Vir quidam, Venerabilis, cano capite
crispo capillo, Is erat S. *Petrus Apostolus*, qui Dei Nomine
illis pollicitus est, Virginem Deiparam, eos in illo loco
deserto, & in pœnitentia conseruaturam, si in eius hono-
rem, preces Virginis horarias, quotidie legerent, & de-
uorè recitarent. quibus prolatis, ab eorum oculis euanuit.
Illi ergo, incredibili lætitia affecti, Omnem suæ Naviga-
tionis cursum, iuxta huius *Stelle Maris* directionem, post-
modum instituerunt, ac dono perseuerantiæ cœlitus fir-
mati, tandem ad salutis portum peruenerunt. O felices
igitur, & millies beatos, qui peculiari cultu atq; deuo-
tione, Beatissimæ Virgini sunt addicti. Beatos, inquam,
in ista, beatos in altera, potissimum vita. Quemadmo-
dum enim, propter foederis Arcam, in Domum Obede-
dom illatam, trium Mensium spacio, Dominus eum, om-
nemq; Domum eius sic benedixit, vt David, qui ex reue-
rètia timuerat, Arcam ad se introducere, & in palatio suo
collocare, hac felicitate commotus, summa cum exulta-
tione, solenniq; pompa, eam adduxit in Domum suam
vt easdem benedictiones participaret, vti & factum: Et
sicut viua & animata Arca, ipsa B. Virgo, diuertens in
Domum

Domum Zachariæ, admiranda beneficia, Domesticis omnibus, præstitit, Ioannem in utero sanctificauit, rationis vsum ei contulit, Spiritu sancto eius Matrem repleuit, donoq; Prophetiæ eam exornauit: Sic vbi hæc diuinissima Arca, in animam aliquam, per deuotionem ingreditur, illicò eam cœlestium bonorum atq; gratiarum cumulus, comitatur. Hinc eius verbum: *In vjs Iustitiæ ambulabo, & in medio semitarum Iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Ecce quid à virginis cultu, atq; deuotione possitis sperare, in hac vita; Vt hîc taceam, summæ apud Deum dignitatis atq; existimationis esse, omnes Virginis cultores, quod ex visione Bertramo Cisterciensi in Lombardia ostensa capessite: Hic in oratione positus, B. Virginem conspexit, è cuius regione Fons aurei coloris, erumpens, versus pedes eius fluebat, & secum voluebat, preciosissimos quosq; lapides, Smaragdos, Carbunculos, Topazios, Saphyros, Hyacinthos: Intellexit etiam à B. Virgine, quid visio importaret; Fons aurei coloris, erat *Deuotio* erga Virginem; *Lapides preciosi, Deuoti Virginis Cultores*: Ecce quanta sit dignitas, deuotorum cultorum B. Virginis, vt auro, lapidibusq; preciosis, etiam in hac vita comparentur.

Prom. 2.

4. Quanto apud Deum loco Cultores Virginis in hac vita.

Casar. lib. 7. cap. 38.


Sed quid de altera vita? Haud dubiè speciali ornatu, præ alijs, in cœlo effulgescēt: idq; præclara similitudine, explicat Pelbardus Themessuariensis: *Sicut enim Serui Regis & Regine, in Curia Regia, certis notati Clenodijs, deaurati procedunt, per quæ agnoscuntur esse Serui Regine, & speciali purpura vestiti in ambulant: Ita in Curia cœlesti, serui Virginis speciali cultu, gloria & ornatu, ab alijs discernuntur, caterisq; beatis clarius resplendescunt.* Tacebo isthic mille alias vtilitates, quas Virginis deuotio affert in hac vita.

In Stellaris Coronæ Beatissimæ Virginis, lib. 2. a. 3. p. 2.

Vtinam igitur exemplo S. Edmundi Cantuariensis Episcopi Matris Deiparæ deuotione, quam ardentissimè

Osbertus An-
gus in eius vi-
ta.

inflammemur. Hic adolescens ei se deuotè commédans, tanta illicò Dei gratia se perfusum sensit, vt coràm eius Imagine, castitatem Deo voueret, eamq; sibi in Sponsam eligeret, & ideò annulum, cui inscriptum erat, *Aue MARIA gratia plena*, ab ea donatum consequeretur: Ex eo tempore, per totam vitam, in omnibus suis necessitatib⁹, præsentissimam eius opem, semper expertus est: & insuper ei, B. Virgo, in iuuentute adhuc, *CHRISTVM IESVM*, Filium suum, in forma Pueruli videndum exhibuit, & innumerabiles alios fauores, apud Deum procurauit; quin etiam miraculis, tam in vita, quàm in morte exornauit. Eia ergo dilectissimi mei, ab hac die incipite, feruentius colere Dei Matrem; En ipsa neminem respuit, nec etiam grauissimos Peccatores. *Ponite memoriam & venerationem eius, veluti signaculum, super corda vestra*, laudibus eius, quantum per facultates licet, omni tempore vacate, nec dubitate, quin omnia seruitia vestra, millecupla, compensatione remunerata, tam in ista, quàm altera vita, sitis reportaturi. Amen.



S E R M O X X I I I .

Infallibilis eiusdem Patrociniij certitudo.

Te assumam & regnabis super omnia que desiderat Anima tua. 3. Reg. 11.



DE mirabili Flore, memorant, qui de Herbarum & Florum natura, scripserunt, *Heliotropio*, inquam, quod folia sua & flores semper versus Solem, siue is sit in Oriente, siue in Occidente, conuertat, semper Solem respiciat, semper a Sole traha-

TUL.:

tur: Vnde secundum S. Isidorum, Heliotropium, aliàs Solsequium, quasi solem semper sequatur, Sonnenwirbel appellatur. Dum ego interioribus mentis oculis respicio verum *Iustitia Solem*, CHRISTVM IESVM, & Benedictam Matrem eius gloriosè in cœlū assumptam, Inuenio eam verè ac propriè *Heliotropium* esse, & *Solsequium* nobilissimum Florem optimo Iure appellari: Hunc enim *Solem Iustitia*, respexit in Oriente, quando *visitauit nos oriens ex alto, illuminare bis, qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros, in viam pacis: & tunc Sol iste sic eam attraxit, vt eam in Matrem suā eligeret, & ex eius purissimo Sanguine, carnem nostram assumeret, atq; ita dicere potuit: Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret*, pro redemptione humani generis. Respexit hunc Solem, in occidente, quando in cruce pro nostra salute mortuus est, & occubuit: *Stabat enim, vt S. Iohannes testatur. iuxta crucem Mater eius.* Hunc Solem omnimomento respexit, ad eum intimis cordis desiderijs, & suspirijs, se semper conuertit, quādo finito redemptionis nostræ opere, gloriosus in cœlum ascendit, & supra nos, ad dextram Patris confedit, quindecim ab hinc annis, pro solatio fidelium, ac præsertim Apostolorum Sanctorum, quibus præsentiam suam visibilem, subtraxerat, in hac mortali vita, eam relinquens. Quare cum tam diu desiderasset, cum Filio suo esse, *cupiens dissolui & esse cum Christo.* Diuinus Sol, tandem eius vota ac suspiria exaudiuit, eaq; cum totius curiæ cœlestis, omniumq; cœlestium ciuium, tripudio, cum corpore & anima, ad se attraxit, & in throno gloriæ, ad dextram sacre humanitatis suæ, Regio Diademate insignitam, Regiaq; potestate inauguratam, collocauit, adimplens promissionem Abiæ Silonitis, veteris Testamenti Prophetæ: *Te assumam & regnabis super omnia,* qua desiderat *Animatua*, Sicuti porrò herbarum historici,

Malach. 2.

Luc. 2.

Proverb. 8.

Ioann. 19.

Philipp. 1.

Succus Heliotropij medetur venenis.

3. Reg. 11.

afferunt, Solsequij succum præsentissimum, contra omnia venena, & contra omnia, siue interiora, siue exteriora, corporis mala, remedium & Antidotum; sic deuoti Cultores, huius Solsequij, ne dubitate, stillat vobis hoc vestrum *Heliotropium*, è Throno cœlestis gloriæ, quotidie, stillat vobis, inquam, succum *gratiæ*, succum *Misericordiæ*, succum *Materni Patrociniij*, & perpetuæ intercessionis, apud Filium suum, Dominū nostrum IESVM CHRISTVM. Testatur id Ecclesia, quæ Dei Filium, dum se ad hodiernæ festiuitatis celebrationem accingit, orans alloquitur. *Munera nostra Domine apud tuam Clemētiam, Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de præsentis sæculo transulisti, ut pro peccatis nostris, apud te fiducialiter intercedat. Utinam, ô cœleste Solsequium, Dei mater, nos miseri Peccatores, hunc tuæ Misericordiæ, & Maternæ sollicitudinis, perpetuūq; Patrociniij succum, auidè hauriamus, quod vt fiat, te fauēte, filio tuo iuuante, Patrocinium tuum, Maternam sollicitudinem tuam pro nobis, pro omnibus peccatoribꝰ, ad te confugientibus, pro tota Ecclesia Catholica, hoc breuē sermone, contemplantur, cultum tuum, deuotis Clientibꝰ tuis, omni meliori modo, quo possumus inculcaturi.*

*Orat. Secreta.
Vigil. Assumpt.*

*Æ Virginis pro
humana salute
sollicitudo.*

Te assumam, ait ad te Filius tuus, ô Regina hominū & Angelorum, Imperatrix cœli & terræ, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua: Omnia, quacunq; volueris in cœlo & in terra, erunt in potestate tua: Scimus porrò, te pro salute humani generis, sollicitam fuisse, quādo & quotiescunq; contemplantur, vaticinia Esaiæ, aliorumq; Prophetarū, per quos Deus olim Messiam Saluatorem mundi, promiserat, deuota suspiria emittens, Deo supplicās, vt tandem populi sui misertus, Filium suū mitteret in hunc Mundū; In quo ipso opere, te Angelus inuenit, quando Filij Dei Incarnationem, nunciāns, eius Matrem, gratia plenam, te salutauit. Scimus te pro Neonymphorū in nuptijs Cana Galileæ,

Luc. X.

Ioann. I.

Galileæ, necessitatibus, ac defectu vini, etiam non rogata, sollicitam tamen fuisse, Filio pro ipsis supplicando: *Vinum non habent*: Scimus te post Filij tui ascensum in cœlos, pro fidelium omnium salute, non solum impigrè cōstanterq; dies ac noctes Deū orasse, sed & reipsa laborasse. Scimus te ardētissima Charitate, in proximos quosq; ope tua indigentes, tota vita flagrasse. Quid? anne Charitatem istam? Anne maternam sollicitudinē istam exuisses, aut deposuisses, translata in cœlum, vbi, vt Paulus asserit, *Sanctorum Charitas in viuos*, quos post se relinquunt, *non euacuatur*, sed perficitur, sed magis accenditur, sed perfectius inflammatur? Minimè gentium, ô Augustissima, ô Serenissima, ô Clementissima Imperatrix, & Cœli Regina.

Figura & typis tuus fuit, *Arca illa Noë*, quæ paucos homines, in communi diluuiio, totiushumani generis, seruauit: Per te totum genus humanum, à diluuiio iræ diuinæ seruatum fuit, quando eum peperisti, *qui saluum facit populum suum à peccatis eorum*. quis ambigat, te adhuc sollicitam esse, pro nostra salute? nobisq; patrocinari? Figura & typus tuus fuit, *Arcus Iridis*, positus à Deo in cœlo, non vt causaret, sed vt tantum significaret, fœdus inter Deum & homines, q̄ humanū genus diluuiio nō esset extincturus. Tu fœdus reconciliationis hominū, cum Deo per filium tuum reipsa restaurasti: Tu miseris peccatoribus, iratum Deum quotidie adhuc placare non desistis, quis ambigat, te adhuc sollicitum esse pro nostra salute? nobisq; patrocinari? Figura & typus tuus fuit, *Propitiatorium, der Gnaden Stuel Tabernaculi fœderis*, in quo Deus hominibus apparebat, in quo responsa dabat, quærentibus, opem ferebat inuocantibus, in quo afflictis succurrebat: Tu verum ac propriè dictum es, *Propitiatorium, tabernaculi cœlestis*, ex quo Dei Filius, CHRISTVS IESVS, in carne nostra prodijt,

II. Figura Virginis curam pro humana salute importantes.

1.
Gen. 9.
Luc. 2.
2.
Gen. 9.

3-
Exodi. 27.

prodijt, & in mundo apparuit, ex quo & per quod, humano generi opem tulit: Quis ambigat, te adhuc sollicitam esse, pro nostra salute, nobisq; patrocinari? Typus tuus & Figura fuit, *Virga Balam*, de qua vaticinatus est: *Consurget Virga de Israhel, & percutiet Duces Moab, vastabitq; filios Seib,* conteret caput antiqui Serpentis, Dæmonum vires infringeret, homines ab eorum Tyrannide, & latrocinij infestatos proteget atq; defenderet. Tu deuotos tuos, sic vt Balam prædixit, in Typo virgæ quotidie adhuc tueris: à Dæmonum potestate eripis: Tu hæreses, quibus fideles seducuntur, & varijs sectis implicati, pereunt, extinguis: *Gaude MARIA Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti in vniuerso mundo:* Quis ambigat, te adhuc sollicitam esse pro nostra salute, nobisq; patrocinari, cum Filius tuus tibi affirmet: *Te assumam, regnabis super omnia, que desiderat anima tua?*

Typus tuus ac figura fuit, ô *Gloriosissima hominum & Angelorum Regina*, animosa mulier illa, quæ non dubitauit cum viris, contra hostes, arma capessere: ideoq; Tyrannum Abimelech, Turrim in Thebes succendere volentem, plusquam heroico ausu, fragmine saxi molaris, è turri deiecto, prostrauit, eiusq; caput contriuit: Tu desuper è coelo iacis, & contorques potentiam & vindictam illius Angularis lapidis, *quem reprobauerunt, edificantes, & factus est in caput Anguli,* Lapidem illum, sine manibus abscissum, à

Petra: Petra autem, inquit Paulus, *erat Christus:* Et proster-nis non solum Dæmones, Propugnacula Filij tui, Animas sanguine eius redemptas, ab infernali Tyranno, peccati igne eas succendere moliente, sed & ab omni, tam visibilibus, quàm inuisibilibus incursum hostium, protegis atq; defendis. Quis ambigat te adhuc sollicitam esse, pro nostra salute, nobisq; patrocinari? Figura & typus tuus fuit, *Abigail,* quæ iratum Dauid placauit, ne se de Nabal, & tota eius familia, humanum sanguinem effundendo, vlcisceretur.

retur, quam ideo insigni hoc elogio, condecorauit: *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, qua prohibuisti me, ne uisciscerem me manu mea; Ecce audiui uocem tuam, & honorauit faciem tuam.* Tu Filium tuum, Mundo & peccatoribus, quotidie magis magisque; irascentem, interuentu tuo, placare non cessas, ut re ipsa ex multis historijs edocti sumus. Quis ambigat te adhuc sollicitam esse, pro nostra Salute, nobisque; patrocinari? *Te assumam, inquit Dei & tuus Filius, & regnabis super omnia, qua desiderat anima tua.*

1. Reg. 24.

Figura & typus tuus fuit, *Bersabea* Mater Salomonis, que ad ipsum in Regali solio confidentem, venit, aliquid petitura, qui eam iussit in aureo throno, iuxta se collocari dicens: *Pete à me mater mea, neque enim fas est, ut auertam faciem meam:* Te hodie Filius tuus, Verus Salomon, ad se ueniētem, collocauit, in throno gloriæ, & potestatis suæ, Te cæli terræque; *Reginam* coronauit. Te familiariter, quiduis pro nobis clientibus tuis, petere iussit, nunquam à precibus tuis, diuinam faciem suam, auersurus. Figura tua & typus fuit, *Regina Sabba*, quæ è Regno suo, preciosa dona, & aromata omnis generis, secum attulit, in Hierusalem. Tu varia Dei dona, è Regno tuo, in quo cum Filio tuo perpetuo regnas, tecum affers quotidie, & distribuis in Ecclesia eius Militante, quæ est *noua Hierusalem*, descendens è cælo, *ornata* sanguine eius, *tanquam sponsa, viro suo.*

1V. Bersabea-
Mater Salomo-
nis.

I.

3. Reg. 3.

2.

3. Reg. 10.

Apoc. 4.

3.

2. Reg. 24.

Figura & typus tuus fuit, mulier illa *Thecuitis*, quæ prudenti sermone, compositisque; verbis parabolicis, Absaloni Parricidæ fratris Ammon, fugituo coram Dauid, nec audenti manere in Hierusalem, reditum atque securitatem, impetrauit: Tu fugitiuis, à facie Dei peccatoribus, exulibus cæli, eò quod fratrem suum, **CHRISTVM IESVM**, Filium tuum, peccatis suis denuò, ut Paulus ait, crucifixerint, reditum ad patriam & *Sandto* Hebr. 6.

3. huldigung impetras. Tuus typus & figura tua fuit, Mulier
 4. Regum. 4. illa, quæ iussu Elisæi Prophetæ, vasa vacua, impleuit aqua,
 & stetit Oleum: Tu animas gratia vacuas imples, oleo gra-
 tiæ, oleo exultationis & latitiæ, filio tuo adiuuante: Quis am-
 bigat te adhuc sollicitam esse, pro nostra salute, nobisq;
 patrocinari, & in necessitatibus opitulari? *Te assumam &*
 V. Testamētum *regnabis super omnia quæ desiderat anima tua.*

MONUM.
 Luc. 2.

Eccl. 24.
 Exemplum S.
 Petri.
 1. Petri 1.

Tu visitans Elizabeth, non solum vterum eius, sed
 & totam domum, copiosis gratiæ cœlestis donis, perfu-
 disti: Quinimò cœlestibus donis deuotos tuos, quotidie
 afficere & cumulacim ornare, non desistis: Sencite vos
 MARIÆ hostes, Lutherani, Calvinista, & Atheistæ calumnia-
 tores, quidquid velitis de eius sollicitudine, patrocinióq;
 apud Filium: Nos pij Catholici Christiani, de eius pro-
 missione, per Spiritum sanctum, eius loco factam, eique
 ab Ecclesia Christi attributam, certi sumus: *Transite ad me*
omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini:
Qui me inuenerit, inquit, inueniet vitam, & habuet salutem à Do-
mino: In me omnis Spes vitæ & virtutis: Beatus qui vigilat ad
fores meas quotidie, & qui obseruat ad pestes ostij mei, qui con-
 tinuis precibus implorat misericordiam meam: Nam
 si S. Petrus fidelibus viuentibus promisit: *Certus sum,*
quod est velox depositio tabernaculi mei, secundum quod & Do-
minus noster IESVS CHRISTVS, reuelauit mihi; Dabo autem
operam, frequenter habere vos, post obitum meum, vt horum me-
moriam faciatis; id est orabo semper apud Deum, pro vo-
 bis, vt Deo fideliter seruientes, salui fiat: Quancò ma-
 gis tu, quam tota Ecclesia, singularem Patronam, colit,
 deposito corporis Tabernaculo, gloriosè cum Filio, re-
 gnans, humano generi interuentu tuo, patrocineris,
 cum tibi Filius promiserit: *Te assumam, & regnabis super om-*
nia, quæ desiderat anima tua.

Ignosce

Ignosce mihi, ô Superum Heroina, ô Potentissima Regina, si colloquium meum à te paulisper auertens, ad S. Patres, aliosq; eximios Ecclesiæ Doctores, deuotos tamen seruos tuos, laudisq; tuæ studiosissimos Encomiastas, conuertam: Id enim non aliam fit ob causam, quam vt fideles isti agnoscant, quid non boni à Patrocinio tuo, expectare possint. Tibi vetustissime & maxime Doctor Irenæe, primum locum concedo: quid tu de huius Regine Patrocinio, sentis? Audite ipsummet loquentem: *Sicut Eua seducta est, vt effugeret Deum: Sic MARIA suasa est, obedire Deo, vt Virginis Eua (& quid ni totius humani generis, cuius Mater prima, est Eua!) B. Virgo MARIA fieret Aduocata?* Si Aduocata, quis ambiget, eam adhuc sollicitam esse pro nostra salute? nobisq; patrocinari? Tibi S. Pater Ambrosi, secundum locum assigno, quid tu de huius Regine patrocinio sentis? quid tibi persuades? Audite eius verba: *MARIA glorificata in cælis, terrigenis nunquam Patrocinari desistit:* Quis ergo ambigat, ô S. Ambrosi, eam pro nobis adhuc sollicitam esse, nobisq; patrocinari: Tibi S. Pater Augustine tertium locum datum volo: quid tu de eius Patrocinio sentiendum reris? hæc eius sunt verba: *Facta est MARIA Scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos.* Quis igitur ambigat, ô S. Pater Augustine, Beatissimam Virginem, pro nostra salute, apud Deum, plurimum elaborare? Tibi ô S. Pater Fulgenti, qui coætanens extitisti, B. Patri Augustino, quartum locum concedo: quid tu, de Virginis sollicitudine, pro nostra salute, statuendum arbitraris? Idem fere ad verbum, quod S. Augustinus: *Facta est MARIA Fenestra Cæli, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines mereantur ascendere ad cælos; intrent vt astra stebiles, cæli fenestra facta es, in-*

II. Testimonia SS. Patrum.

Lib. 5. contra hæreses.

Serm. de Natiuit: Virginis.

Serm. II. de Natiuit: Domini. Tom. 19.

Serm. de laudibus Maria.

quit: Et Beatissima Virgo, pro salute nostra non amplius sollicita credatur?

*II. S. Bernardus
ad longum.
Serm: I de As-
sumpt. Deipara*

Tu quintum locum habeto, S. Pater Bernarde, quid tu de huius Virginis Patrocinio credidisti: *Aduocatam*, inquit, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordia, suppliciter & efficaciter, negocia nostra pertractabit; Ascendens ergo in altum, Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus; quid ni daret! Siquidem nec facultas ei desse poterit, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est, denique Mater est Vnigeniti Filij Dei: Nihil enim sic potest, potestatis eius & pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur Dei Filius, Matrem honorare, aut dubitare quis potest, omnino in affectum Charitatis transisse MARIÆ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit. Ipsa est Mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa per quam & nos Dominum Deum, in domos nostras excepimus. Quis ergo ambigat, ô S. Pater Bernarde, eam adhuc sollicitam esse, pro nobis in cælo?*

*Serm: de Nat:
Maria.*

Audite ulterius, quomodo idem S. Pater omnes fideles ad implorandum Virginis Patrocinium, exhortatetur: *Alius ergo, inquit, intueamini, quanto deuotionis affectu, eam voluit à nobis honorari, qui totius boni plenitudinem, posuit in MARIA, ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit diuitijs affluens? Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle MARIAM, hanc Maris Stellam, ubique magni & spaciosi, quid nisi caligo inuoluens & umbra mortis, ac densissima tenebra, inueniuntur! Totis ergo medullis, cordium, totis precordiorum, affectibus & votis omnibus, MARIAM hanc veneremur, quia hæc est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per MARIAM. Ad Patrem verebaris accedere? IESVM tibi dedit Mediatorem; Aduocatam habere vis ad IESVM? ad MARIAM recurre,*

recurre, exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet utiqꝫ Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater; Filioli hæc Peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei mea.

Quid pluribus immoror? Afferit Sanctus Bernardus disertis verbis; & verè: Nihil nos Deus habere voluit, quod per MARIÆ manus non transiret; & ipsa humanæ salutis procurandæ, non inuigilaret?

Adiungo deniqꝫ; S. Patribus Idioram, vetustum scriptorem, qui ante septingentos, & amplius circiter annos, floruit in Ecclesia Dei: Accede, monet ille, per deuotam mentis contemplationem, ad Gloriosissimam Virginem MARIAM, quia peripsam, & cum ipsa, & ab ipsa, habet mundus & habiturus est, omne bonum, scilicet superbenedictum Filium eius. Ipsa preces & sacrificia Seruorum suorum, & maximè, qua sibi exhibentur, representat in conspectu Diuine Maiestatis, quia est nostra apud Filium Aduocata, sicut Filius apud Patrem; immò apud Filium, & apud Patrem, procurat negotia & petitiones, nostras: quia thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum, ipsius. Cateri Sancti, iure quodam Patrociniꝝ, pro sibi specialiter commissis, plus possunt prodesse, in curia altissimi, quam pro alienis: Beatissima Virgo MARIA, sicut est omnium Regina, sic & omnium Patrona, & Aduocata, & cura illi est de omnibus. In nunc ô Infidelis Hæretic, & nega Patrocinium Virginis, in cœlo: Si, ut Deus ait, in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum, quanto magis in ore tot Sanctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum stabit Patrocinium Dei Matris? Eius inquam Matris, cuius Filius pollicetur: Te assumam, & regnabis super omnia, qua desiderat Anima tua.

Rectè igitur, ô S. Pater Athanasi, hanc Dei Matrem inuocasti: Inclina aurem tuam ad preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, ad te clamamus recordare nostri, Sanctissime

Serm. 3. de Vigilia Natalis Domini.

III. Idiota vetustus Doctor.

Lib. de contemplat. Maria in prolog.

Deutero: 19. Matth. 18.

I.

IV. SS. Patrum ad Virginem directe inuocationes. Serm. in Evang. de S. Deipara.

2.
Lib. de Excel-
lencia Virg. glo-
riosa cap. 12.

simā Virgo: Intercede herā & Domina, & Regina, & Mater Deī
pronobis. Rectē ō S. Pater Anselme, hanc Dei Matrem,
Patronam humani generis inuocasti: *Benignissimus Filius*
tuus, Dominus noster IESVS CHRISTVS, erit ad conceden-
dum, quidquid voles, promptissimus & exaudibilis: tantum mo-
dō itaque velis salutem nostram, & vere nequaquam salui esse
non poterimus. Vt ergo Filium tuum, totius mundi Saluatorem,
& te citis Reconciliatricem veraciter sentiamus, eō nos propensio-
ri studio inua, fove, precamur, quos in fecibus mundi natos, &

3.
Orati. in Salut.
Angelic.

alitos, potiori leuamine prospicis, indigere. Rectē ō S. Mar-
tyr Christi Andrea Cretensis, Dei Matris patrocinium
implorasti: *Gaudeto diuinum inter Deum & homines, concili-*
ationis perfugium, gaude thesaure, vita immortalis. Et rur-
sum: *Placa Deum pro communi figmento; Nam quam diu qui-*
dem versabaris in terris, te habuit parua terra portio: Ex quō
autem translata es à terra, te vniuersus mundus continet, com-
mune Propitiatorium:

4.
In Encomio de
beatissime Dei-
para dormit.

Rectē ō B. Germane, Patriarcha
Constantinopolitane, eruditione & vitæ sanctitate ce-
lebris, Dei Matrem inuocasti: *Quis post tuum Filium ita*
generis humani curam gerit, sicut tu? *quis ita nos defendit in*
nostris tribulationibus? Quis in Supplicationibus ad eō pugnat pro
Peccatoribus? Nullus enim est qui saluus fiet, O Sanctissima, nisi
per te: Nemo est qui liberetur à malis, nisi per te, ō Castissima;
nemo est, cui donum concedatur nisi per te, ō Potentissima: Nemo est
eius misereatur gratia, nisi per te, ō honestissima, quamobrem,
quis te beatam, non pronuntiabit? Concludo cum S. Bernar-
do: *Meritò in te, MARIA, respiciunt oculi totius Creaturæ,*
quia in te, & per te, benigna manus omnipotentis, quicquid
creauerat, recreauit: Et quod plus ad rem nostram facit,
Filij tui hæc est, promissio: Te assumam, ō Mater mea,
& regnabis super omnia, quæ desiderat Anima tua.

5.
Hom. de Zona
& fascijs Dei-
para.

6.
Serm. 2. in die
Penthec.

Et quis, obsecro, Beatissimam Virginem vnquam

III. Historie.

piè coluit, & eius apud Deum Patrocinium non est expertus? De Narsese Eunuchō, insigni Virginis Cultore, memorat Nicephorus, Eum in omni consilio & negotio suo, ad Virginis opem ac tutelam, singulari cum fiducia confugisse, nec vnquam cum hostibus confixisse, nisi omine aliquo, aut visione per Virginem immissa, prius admoneretur: Et hoc medio, non solum innumerabiles victorias, ab hostibus reportauit; verum etiam, totam Italiam ab eorum Tyrannide liberauit, atque ab Ariana hæresi expurgauit: Paulus Diaconus auctor est, Heraclium Imperatorem, acceptam à Stephano Cyzizeno, Virginis Imaginem, secum tulisse, cum contra Chosroën Persarum Regem, qui Phœcæ Tyranni desidia, cunctas Asiæ Regiones, Chalcedonem vsque occupauerat, vnâ cum Exercitu in campum prodiret. Cumque se, suosque Milites, Virginis tutelæ, obnoxius commendasset, opiculatum eius non solum, in velitationibus, verum etiam campestribus prælijs, sensibilibiter est expertus: Nam non solum triplicem Persarum Exercitum deleuit, & Chosroën in fugam coniecit, verum etiam Syriam, Ægyptum, ac Lybiam, Romano Imperio recuperauit. Stupenda sunt, quæ de Georgio Castriotto, Epyri Principe, quem Turcæ Scanderbegum, & alterum quemdam Alexandrum Magnum nominauerunt, à Scriptoribus enumerantur. Erat is insignis Virginis Deiparæ Cultor, & eius auxilium, & interuentum, sine intermissione implorabat, vnde sæpè cum parua quingentorum aut trecentorum militum manu, triginta ac quadraginta Turcarum millia fudit & fugauit: Cuiusnam auspicijs, *Serenissimus ac Potentissimus Bauaria Dux, & Elector*, nobilem illam, & Illustrissimam Victoriam, propè Pragam est consecutus!

Haud

1.

1. *Narses Eunuchus Virginis opem, multis Victor. lib. 17. cap. 17.*

2.

2. *Heraclius Virgine auxiliante ante Chosroën fugat. lib. 6. Hist.*

3. *Georgius Castriotus Virginis Patrocini victoriosus. Ionius in Elogijs Illustrium virorum. Berardin. Scandean in hist. Pat.*

4. *Victoria Pragensis eidem adscribenda?*

Haud dubiè virginis Matris, totius Ecclesiæ, Augustissimæ Protectricis, apud Deum precibus eam adscribit: Quid de *incomparabili Heroë Comite Tillio*, proferam? Unde tot admirabiles victoriæ, contra Imperij peruelles, quibus Nomen suum, æternæ hominum memoriæ commendauit! A Patrocinio Virginis, cuius deuotioni, quam impensissime, est adstrictus. Plura equidem in hunc sensum, cum de Serenissimi Bauariæ Ducis, Electoris, tum etiam & de Tillio, Heroë famosissimo, ad ædificationem vestram, in medium, proferri possent; Verùm ne viuentibus in faciem abblandiri velle videamur, Sermonem abrumpimus, alijs temporibus & locis illa reseruantes.

Tu porro *Gloriosissima Virgo, atque in æternum Benedicta Patrona*, quæ Clientibus tuis, tot celeberrimas, contra visibiles hostes, victorias es elargita, & nobis contra inuisibiles inimicos, *tenebrarum Principes*, clementer promptissimeque succurre, vt in extremi agonis

lucta, per te victoria potiti; æternæ felicitatis laurea, cum sanctis coronemur.

A M E N.



SERMO XXIV.

Gloriosissimæ Virginis, ad succurrendum Clientibus suis ineffabilis Promptitudo, & cuncti potens facultas.

Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Eccl. 24.



YLLIAS Agrigentius Ciuis, locupletissimus, tantæ benignitatis, tantæque beneficentiæ ac liberalitatis homo, ab historicis perhibetur, vt eius horrea & penuaria, quibuscunque indigentibus paterent: quin etiam per plateas obambulando, pecunias in vulgus erogabat: & si deessent, qui aliquid peterent, ipsemet ad accipiendum, occurrentes incitabat: Vnde SINVS BENIGNITATIS, passim, nec iniuria, nominabatur. Quod si Gloriosissimæ Virginis paratissimæ humani generis, Opitulatricis beneficia, in nos calamitosos mortales, adhuc in ista miseriarum valle degentes, intueamur, facile inueniemus, Agrigentini illius Benefactoris opera, cum cælestis nostræ Benefactricis, largitionibus quotidianis comparata, vix guttæ instar, totius Oceani respectu, censenda. Non poterat ille benignitate sua, nisi conciuibus suis, opem ferre: At ista quotidie, peccatoribus etiam benefaciendo, vniuersum orbem peragrat: Illius facultates tandem exhauriebantur: Virginis *Misericordia & Munificentia*, durabit à generatione, in generationem, & à sæculo vsque ad finem Mundi, nunquam scaturire cessabit: Et quod eius admirabilem bonitatem, adhuc sublimius exalcat, omnes plane homines, opis egentes, immò & vniuersam,

234 *Sermo XXIV. De Ineffabili Prompt.*

Filij Dei, Militantem in terris Ecclesiam, suauissime ad se allicit & inuitat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus & Mater-na erga vos affectio super me dulcis, & hæreditas mea, Misericordia mea, quam à Filio meo hæreditaui, super Me & fauum. Quæ eius, procliuissima, in bonum nostrum voluntas, immò etiam indefectibilis facultas, annuente Virginis Filio, breui, quam nunc dabimus, sermone inclarescet.*

I. Voluntas Beatissima Virginis.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini: Vos nunc imprimis, O deuoti Cultores, huius Potentissimæ Reginae, compello; Consulite quæso, vestrummet discursum rationi coniunctum, & re ipsa deprehenderis, quam potens sit Patrocinium Virginis, Deiparæ, quam efficax, eius pro nobis miseris interuentus apud Deum: Memini me ex S. Thoma legisse, Ad hoc, vt quis vestri, Patrocinium suscipiat, & efficaciter agat, Tria requiri: Primum VOLUNTAS, Deinde FACULTAS, denique SCIENTIA. Voluntas vt velit;

Lib. 3. contra gentes.

I. Voluntas Dei Matræ. Marc. ultimo. Hebr. I.

*Facultas, vt possit; Scientia, vt sciat, quid sibi desit. Ponite iam in Trutina, Voluntatem huius Reginae, & animi erga vos promptitudinem, pensate, nonne Christus eam vobis Matrem dedit, in cruce? Ecce, inquit, Mater tua: Nam si Christus est Frater noster, secundum carnem, vt seipsum multoties appellauit; Vade, inquit Magdalenæ, & dic Fratribus meis: Et Paulus eum nominat primogenitum in multis fratribus, id est inter alios prædestinatos, ad vitæ æternam electos: Quidni ergo Maria eius Mater sit Mater nostra? Si Mater, ergo non dedignabitur succurrere Filijs in necessitate, constitutis: hæc est eius protesta-tio: Nunquid Mater potest obliuisci infantem suum, vt non misereatur Filio vteri sui? Merito itaque eam inuocat Ecclesia Sancta: *Monstrata esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.* Scitis quanto cum labore Matres*

Esai. 49.

In hymno. Martii officium Exercent erga suos deuotes.

filios

filios parturiant, quanta sollicitudine nutriant, foueant: quam ægrotantibus condoleant, quid non faciant, ut bene sit illis: Nec dubitatis, non secus laborat, ista Mater vestra, ut vos in gratia, filio suo pariat, ut vos cælestibus donis, nutriat, ut vos *gemina veste Charitatis* vestiatur, *omnes enim domestici eius, vestiti duplicibus* ut bene sit vobis, bene, inquam, in hora mortis, & longe melius, post hanc vitam: Ideo vos inuitat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.*

Prov. 4 I.

Huic Maternitatis titulo, adiungite alium: Appellatur insuper *MISERICORDIÆ MATER*; Non solum quia Dei Filium, qui est ipsa Misericordia, concepit, utero gestavit, & peperit, qui nostri misertus, è cælo venit carnem nostram assumpsit, & in ea, morte sua, nos redemit; Verum etiam, quia ipsa verè misericors est, & nemini potest, fauorem & gratiam suam, negare: *Salua Regina Mater Misericordiae*, salutat eam Ecclesia. Verè *Regina Mater Misericordiae*; Et *Eleemosynaria beneficiorum Dei*; Sicut Principes suos habent Eleemosynarios, quorum officium est, pauperum curam gerere, & stipem illis, nomine Principum erogare: Sic etiam Dei Mater, ubique passim, toto terrarum orbe, in omnibus planè locis, *Dispersit dedit Pauperibus*, ipsam deuote implorantibus, tam varia beneficia, ut *iustitia eius maneat in sæculum sæculi*: Et sicut prioribus sæculis, ita & moderno æuo, miraculosa etiam beneficia, conferre non cessat, ut nullus in toto mundo locus, Catholicus inueniatur, in quo Templum, Deiparæ, miraculis clara, non inueniatur: Sicut & nostra hæc patria, eodem priuilegio inlarescit: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.*

II. Misericordia
& ater.

Psalms, 111

Accedit nouus alius Titulus, dum *Misericordiae Mater* etiam *Aduocata* ab Ecclesia salutat: *Eia ergo Aduocata*

III. Aduocata.

*nostra, illos tuos misericordes oculos, ad nos conuerte; Aduocata est, sed pauperum potissimum, & eorum, qui contrito & humili corde, auxilium eius implorant: Iura ciuilia sanciant, vt in omni bene constituta Republica, constituatur peculiaris Aduocatus, qui pauperum, Viduarum & pupillorum causas potissimum agat, & quidem gratis, cum ipsis non sit, vnde soluant: S. Iuo Presbyter, Pauperum aduocatus fuit, insignis, sine omni mercede: Ab hac tamen Humani generis, Aduocata multis parasangis superatur: Hanc Aduocatam, gratuitam, qua omnes causas nostras gratis agit, Dei Filius, in Ecclesia Triumphanti constituit Matrem suam; Aduocata est, de eius fide, sinceritate, amore, in te, & Zelo salutis tuæ ne dubita, sed dic in omni necessitate; Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & voti composeris; & IESVM benedictum fructum ventris sui, tibi post hanc vitam ostendet. Ideo cum fiducia vos in clamat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.**

S. Iuo. Presbyter pauperum Aduocatus Surius In eius vita.

IV. Clemens pia & dulcis.

In eius vita.

Et quod multo gratius, & iucundius, est, O miseri & afflicti Peccatores; scitote Ecclesiam, instinctu Spiritus sancti, haud frustra eam insuper, Titulo Clementiæ, pietatis & dulcedinis insignire: *O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA;* Clementia & pietas, in homines, præsertim afflictos, mirifice grata est & dulcis, ad subleuandos eos, & consolandos, qui in tristitia & afflictionibus sunt constituti; De Vespasiano Imperatore, Suetonius memorat, quod ita clemens, ita affabilis, & pius fuerit, erga omnes homines, præsertim eos, qui calamitatibus oppressi, omnique ope destituti iacebant, vt neminem à se repulerit, sed omnibus & singulis, opem suam, promiserit, quantum per occasionem licuit: Monitus quandoq; quod plura polliceretur, quam forsân præstare posset, respondit: *Non oportet aliquem à Caesaris colloquio, tristem discere.*

dere. Fateor, magna hæc erat, in tanto, & quidem in Ethnico Principe, humanitas, & pietas: At nihil erga Clementiam Dei Matris. Poterat ille temporalia polliceri, & præstare beneficia; Hæc quæcunque, etiam cælestia, ipsam accedentibus, ipsam inuocantibus, erogare non desinit: non omittit: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.*

Quod si Clementiæ & pietati adiungas etiam liberalitatem, de qua Cicero ait: *Nihil est Naturæ hominis accommodatius, quam liberalem esse;* Commendat virtutem hanc, etiam Xenophon, in Cyro Perlarum Rege, quod nullum tam in suos, quam alienos, liberalitatis genus prætermiserit. Dicebat, Æliano teste, Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex, *malle se alios ditare liberalitate sua, quam ipse ditescere.* Alexander Seuerus, nullum diem prætermisit, quo non liberaliter res suas in subditos suos, expenderet, teste Lampridio: Eandem liberalitatis laudem, tribuit Cuspinianus, Constantino Magno. De Leone X. Papa, Principe liberalissimo, memorat Iouius, solitum dicere: *Eos Principe loco indignos, qui nequaquã benefica manu in suos uiderentur.* Quid hæc istorum Principum, liberalitas, ad Dei Matris liberalitatem? Umbra ad corpus; Poterat illorū liberalitas, exhauriri, hæc non potest, quia nec finem, habet, nec fundum: Benefecit hominibus iam nunc, à tempore, quando exaltata est in cælum; benefaciet in sempiternum: O Dulcis Dei Mater, ob hanc liberalitatem tuam, quam nemini vnquam negasti, quam optimo Iure dulcedinis titulo Insigniris? Sileat enim miseratio nestuas O benedicta, quisquis in necessitatibus inuocatã sibi meminit, vnquam defuisse, merito ais: *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit suauitatẽ odoris:* Cum Rex æ-

V. Liberalitas.
lib. 1. officiorũ.

In Cyri Pedia.

In varia hist.

Ælius Lampr.

In Cesaribus.

Lib. 4.

Cant. 2.

mentia mea, benignitas & dulcedo mea, se se latissime diffuderunt. & in omnes miseros peccatores, disseminauerunt: Nardus est herba, odore grata & admodum calefactiua: gratus est nobis, *Opiæ & dulcis Mater*, odor benignitatis tuæ, calefacit corda nostra, amore ac deuotione in te, vt post Deum, omnem fiduciam nostram, in Patrocinio tuo, collocemus: Nec enim frustra nos citas: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.*

*II. Facultas Dei
Matris.*

*3. Reg. I. I.
I. Regina &
Imperatrix.*

*Psal. 44.
Eccl. 24.
Gen. 27.
2. Domina
Mundi.
Hebr. 12.*

Velle igitur Dei Matrem hominibus patrocinari, & opitulari cerum est. An possit, Hæretici in dubium vocant: Nos veri Christiani, credimus quod omnia per Filium suum efficere possit: Etenim promisit Filius: *Te assumam, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua.* Est *Imperatrix celi & terræ, hominum & Angelorum Regina*, quam videns Dauid Exclamat: *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate:* Ipsa vere dicit: *In omni populo & in omni gente primatum habui,* in eam quadrat vacininium istud: *Esto Domina fratrum tuorum, seruiant tibi tribus & populi, & incuruentur ante te, Filij Matris tuæ.* Sed quæ nam Mater nostra? *Qua sursum est Hierusalem caelestis, Mater & Patria nostra.* Filij eius S. Angeli, ipsam honorant Reginam suam: Omnes tribus & populi, eius beneficia expetentes, venerantur illam, vt potentissimam benefacticem suam: Est Domina Fratrum suorum, secundum carnem, *Domina totius Mundi,* nam Filius eius non solum creationis sed & redemptionis iure, est Dominus omnium. Eat nunc infidelis aliquis, & neget, eam posse interuentu suo, fidelibus patrocinari. *Misereris omnium Domina, quia omnia potes: subest tibi, cum volueris posse.*

*III. Scientia eius
Ex historijs potissimum elucef-
cit. Sap. 12.
I. Ratis eius
scientie.
Esai. 3.*

Quod autem scias quid desite inuocantibus, quis neget? De Beatissimis in cælo viuentibus, ait Propheta: *Regem in decore suo, videbunt oculi eius, cernent terram de longe.*

Quid

Quid enim latere possit, quæ videntem omnia videt! inquit S. Gregorius, Qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in natura agitur, quod videre non possint. Inspeculo vides omnia, quæ relucet in eo, & ipsum pariter speculum: Ergo si alij sancti, quanto magis ipsa? Si sancta Poramiena, Interfectori suo, Basilidi, Eusebio teste, eo quod tantum petulantiam accurrentium cohibuisset, cum ad supplicium duceretur, se cum ad Deum peruenisset, aliquid ei singulare impetraturam; ac deinde post tres, à Martyrio, dies, apparuit ei, per quietem, capiti eius Coronam imponens: statim itaque in Christum credidit, ac Martyr effectus est, quæ summa gratia, merito æstimanda; Quantò magis Dei Mater, pro deuotis suis, qui eius honori sunt addicti, quæcunque, tum corporalia, tum Spiritualia Beneficia, à Filio suo, possit impetrare? De S. Felice Confessore, testatur, Sanctus Augustinus; Non solum beneficiorum effectibus, sed & ipsis hominum aspectibus, Confessorem apparuisse Felicem, cum à Barbaris Nola expugnaretur audiuius, non incertis rumoribus, sed certissimis testibus: Quantò magis hæc de Virgine Deipara, affirmari possint, quæ non solum multis passim apparere, sed & omnes se inuocantes, varijs beneficijs afficere, consuevit. O lucundissimam Virginis inuocationem: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.*

Euoluat quis omnem Ecclesiasticam antiquitatem, historias omnes, à mille sexcentis annis scriptas, ni inuenerit, Dei Matrem, totius Ecclesiæ non solum, sed & singulorū, te deuote inuocantium, Patronā semper extulisse ni inuenerit, fidem abnuat. Ad vniuersam Ecclesiam quod attinet, quantas in ea turbas excitarit, *Iulianus Apostata*, palam est & in propatulo. Sancto Basilio & Ciuitati Cæsariensi, vbi à bello Persico rediisset, excidium comminabatur: dat se orationi vir, Sanctus, cū omni po-

Lib. 4. Dial.
cap. 44. Beda In
cap. 16. Luca

Lib. 6. FMA.
cap. 4.

Lib. de cura pro
mortuis agende
cap. 16.

IV. Historia, tu-
tius Ecclesia sta-
tum concernen-
tes.

I. Ecclesiam
protegit sub Iu-
liano Apostata.
In vita S.
Basilij.
Sur. Tom. 1.
hist. Niceph.
lib. 10. cap. 35.

pulo,

pulo, in Æde Dei Matris, eius opem pariter impensius efflagitantes. Ostenditur igitur S. Basilio, & alijs quibusdam, visio mirabilis; Regina cæli, sedens in Throno gloriæ, vocat S. Mercurium Martyrem, cuius corpus in Ecclesia illa quiescebat, & arma asseruabantur, iubet hostem interimere, qui deuotę familiæ necem moliebatur. Ea ipsa hora, apparet in castris, incognitus Miles, Tyrannum lancea confodiens, qui statim disparuit. Visum secutus est euentus; Lancea Martyris sanguine conspersa, & Mors Tyranni. Ecce Patrocinium Dei Matris.

Memorat Bozius, ex Sigeberti Chronico, & ex Dodechino rem mirabilem. Henrici Quarti temporibus, innumera prodigia, grauissimis hominum peccatis, accensam Dei vindictam, portendebant. Inundationes, terribiles quibus vrbes integræ absorbebantur: Fluuij instar murorum sese erigentes, Terræ motus, monstræ, niues tam altæ, vt syluas opprimerent, pluuiæ sanguinis, armorum strepitus, flumina integrè exiccata, incendia cælitus immissa, pestis & varij morbi; Indicitur per totā Italiam, Triduanum ieiunium, vt Matris Dei patrocinium imploraretur: Et ecce Cremonæ, infantulus vix natus, in cunis, loqui incipit, contra naturam, asserens: *sibi visam Dei Genitricem, ante Tribunal Christi supplicantem, vt Filius, graue Iudicium in homines, instituendum, suspendat.* Atque ita factum esse, preces Dei paræ Virginis, pondus habuisse, compertum fuit: cessarunt enim illico prodigia, & Infans iterum loquelam deposuit, vsque ad definitum naturæ tempus. Ecce Dei Matris, pro tota Ecclesia, interuentum.

*III. Apparet
S. Gregorio &
S. Cyrillo.
Greg. Nyssen.
In vita S. Gregorij
Thaumaturgi.*

Quin etiam, & non rogata, Ecclesiæ curam gerit. Cum Pauli Samosatani hæresis Arrianæ impietati admodum affinis, vbique pullularet, & plurimi etiam sancti viri, in dubio essent constituti, quæ nam vera esset credendi

dendi norma, cui tutò quis inhærere posset, Beatissima Virgo, vna cum B. Ioanne Apostolo, apparuere S. Gregorio Thaumaturgo, & quæ nam vera esset, Ecclesiæ Catholicæ, veritas, edocuere. Annon & istud præclarum specimen sollicitudinis Beatissimæ Virginis, pro Ecclesia! Tempore S. Ioannis Chrysofomi, cum inter se Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Episcopi, ob electum S. Chrysofomum, in exilium, dissentirent, maximumq; in Ecclesia esset dissidium, alijs alios excommunicantibus, B. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, vir alioquin Sanctis, Diuo Ioanni Chrysofomo valdè infensus erat; per visum itaq; in somno admonitus à Beatissima Virgine, Cyrillus, vt resipisceret, ad cor redijt, S. Chrysofomum deinceps, vehementer amare cœpit, & ei petijt reconciliari. Exinde paulò post, optata Ecclesiæ tranquillitas est consecuta, & fides Christi latissimè propagata.

Nicetas Choniates, lib. 14. cap. 28.


Refert Zonaras, cum Constantinus Copronymus, omnium flagitiosissimus Imperator, ac Leo Armenius, sanctis omnibus bellum indixissent, eorumq; reliquias, vbiuis passim contaminarent, Catholicosq; ferro & igni persequerentur, beatissimæ Virginis interuentu, Copronymum cœlesti igne correptum, & intolerandis cruciatibus exagitaturn cognouisse, quam male fecisset, contumelijs grauissimis Dei Matrem afficiendo; Rogabat insuper, vt beatissima Virgo, condignis laudibus exornata, sibi placaretur: sed impius homo, instar cuiusdam Antiochi, & Herodis, paulò post excessit è vita: nam vt illorum, ita & huius ficta erat, pœnitentia. Leo itidem Armenius, eius vestigijs insistens, simili casu periijt, Dei Matre vindicante, iniurias, deuotis suis illatas. Vidit Mater eius beatissimam Virginem, quasi in æde sacra Constantinopoli, in Blachernis, Dei Matri dedicata, cuius

IV. Iconoclastas expugnat. In Annalibm.

pauimentum totum sanguine madebat, iubere, vt epotaret, vas plenum cruore; quod cum illa auersaretur, dixit: *Atqui tuus Filius, non facit finem, effundendi sanguinem mihi deuotorum, meamq; Filij iram, in se concitandi.* Et paulò post, infelicissimè necatus est. Ecce sic virgo nos inuitat: *Transite ad me omnes, & à generationibus meis adimplemini.*

Ecclesiast. 24.

Quod si, ô potentissima Ecclesie Tutrix ac Propugnatrix, tantam totius Mystici corporis Filij tui, curam agis, quidni etiam membrorum singulorum bene aduigiles? Annon es *Mater pulchra dilectionis*, tuosq; deuotos, ardentissimo complecteris amore? Annon *Mater sancte Spei*, quæ nullius fiduciam eludis? Annon *in Hierusalem potestas tua*? Succurre itaq; nobis in omni clade & angustia, qua premimur; dispelle à nobis culpæ Malum quo affligimur: Prohibe à nobis omne malum pœnæ, quod incessanter peccando, toties promeremur: Duc nos ad Paradisi gaudia, vt tecum & cum Filio tuo perenniter exhalaremur, Amen.



S E R M O XXV.

Virginalis tutelæ Beneficia vberius explicata.

Spiritus enim meus super Mel dulcis, & hereditas mea, super Mel & fauum. Eccl. 24.



Um Sol est in proprio signo, admiranda in terris operatur; nam ab eo paulatim tempore, terram mirificè sæcundat, creaturas omnes viuificat, flores producit, fructus varios promouet ad maturitatem. Hoc sacro gloriosissimæ Assumptio-

sumptio-

sumptionis Virginalis tempore, circa medium Augusti, Sol ille oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, ingreditur Virginem Matrem, ex qua homo factus, carnem nostram assumpserat, Animam eius, pariter cum corpore, assumendo in cœlum, eamq; pro meritorum copia, gloriæ corona inaugurando, suæq; diuinitatis fruitionem, vberius ei, & abundantius, quam vlli alteri, Creaturæ, communicando, quin etiam per eam, innumera beneficia, miseris peccatoribus, pleno Copiæ curnu, impertiendo. Quæ dum spiritali Panegyrico, præsentis sermone, Laconicè perstringimus, Dignare nos omnes & singulos, debitè te collaudare, Virgo sacrata, & contra hostes tuos, ac nostros feliciter pugnandi, gratiam cœlicus emittere: *Spiritus enim tuus super mel dulcis, & hereditas tua, super mel & fauam.*

Innumeras propemodum generosas mulieres, memorat sacra pagina, quæ omnes & singulæ, Virginis Dei Matris dignitatem & Maiestatem, & erga humanum genus, beneficentiam, non solum præfigurarunt, verum etiam, præambula repræsentatione, orbi vniuerso, iam dudum inuulgarunt. Omitto alia hic allegare; sola isthic Rebecca, nobis est in ore, & in sermone: Hæc enim à Paranymphe suo, Eliezer, Abrahami seruo, boni omnium ergò rogata: *Pauxillum aqua mihi ad bibendum præbe, de hydria tua: qua respondit; bibe Domina mi; quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant; & quod promiserat, re ipsa effectum dedit.* Eadem prorsus, immò incomparabiliter effusiori liberalitate, beatissima Virgo, cœlestis gratiæ aquam, è fonte perpetuo, cœlestis gratiæ, iugiter hauriens, non solum Eliezer, Abrahami fidelissimo seruo, sed & Camelis eius, non solum, inquam, iustis, sed & Peccatoribus, qui vt iumenta, in Stercore suo com-

I. Figura & Vaticinia Virginalis tutela.
I. Rebecca.

Genes. 24.

Joel. I.

putruerunt, potum gratiæ affatim degustandum propinar', Et Spiritum suum super mel dulcem, hereditatemq., inna-
tæ misericordiæ, mel & fanum, excedere demonstrat.

II. Vaticana I.
signum Adiu-
torij.

I. Machab. 8.

In Machabæorum libris reperio scriptum: Dato signo, adiutorij Dei, commiserunt cum Nicanore, & vicerunt. Tu nobis, ô Virgo, es illud Adiutorij signum, de quo Ioannes Apo-
stolus & Propheta: Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole & Luna sub pedibus eius; Tu nobis in signum Ad-
iutorij, es collocata in cælo, quam primum peccator te
inclamat: Fac mecum signum in bonum, ut videant me, & con-
fundantur quia tu, ô Domina, adiunxisti me, & statim com-
mittit prælium, cum Mundo, Carne & Diabolo, haud
dubiè victor euadit. In qua cœlesti visione, inter alia
refert S. Ioannes Apostolus, dilectus Filius tuus: Visa est
Arca Testamenti Domini, in templo eius, & facta sunt fulgura
& voces, & terra motus. Tu vera, fæderis Noui Testamenti,
Arca, collocata & visa, in Templo Ierusalem cœlestis,
à nobis inuocata, emittis fulgura, quibus deuotorum tuo-
rum hostes prosternis, emittis voces quibus peccatores
ad pœnitentiam vocas: Emittis terra motus, quibus eorū
terrena corda, mundanis & carnalibus tricis planè ad-
hærescentia, commoues, vt peccata omninò dimittant.

Apoc. 12.

Psalm. 85.

2. Arca in
templo Cœle-
sti.

Apoc. 11.

Tu ô benedicta Regina Cœli, verè es Aquila illa, de qua
Dominus ad S. Iob, est locutus: Nunquid ad præceptum tuum
eleuabitur Aquila, & ponet in arduis Nidum suum? in petris ma-
net, & in præruptis silicibus, commoratur, & inaccessis rupibus;
Inde contemplatur escam, oculi eius de longè prospiciunt. Pulli eius
lambunt sanguinem, & ubicunq; fuère cadauer, statim adest:
Aquila Rex est omnium auium: Tu Regina hominum & An-
gelorum, & omnium Creaturarum. Datæ sunt tibi ala, dua
Aquila magna, vt in Apocalypsi Ioannes testatur: Ala, in-
quam, profundæ Humilitatis, & Ala inuolatæ Virginitatis,
quibus super omnium purarum Creaturarum, & super

3. Aquila in
arduis nidum
ponens.

Iob. 39.

Apoc. 12.

Cheru-

Cherubin & Seraphin, dignitatem euolasti. Posuisti in
arduus nidum tuum, Thronum tuum Regalem, velut alte- 3. Reg. 4.
 ra Bersabeæ, iuxta verum Salomonem, Filium tuum col-
 locasti. *In Petra manes: quæ est Christus*, Qui tota corpore & 1. Cor. 10.
 anima, es vnica. *In præruptis silicibus & inaccessis rupibus com-* Cant. 4.
 moraris, velut fortissima *Turris David*, edificata cum septem
propudnaculis, in qua mille clypei pendent, omnis armatura for-
 tium, qui omnes, Diaboli, Carnis & Mundi, tentationes
 superare contendunt. *Inde contemularis escam*; ô quam dul-
 cem escam, in Mensa Domini, quam deuotis pullis præ-
 parare moliris, conuiuis tuis disponis, eam nimirum, de
 qua David aiebat: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: Nihil Psalm. 15.
 lominus tamen oculi tui de longè prospiciunt, & intuentur de-
 uotos tuos, in terra degentes, quid patiantur, quibus ne-
 cessitatibus vrgeantur, vt eos ope tua materna, subleuare
 possis. *Pulli tui lambunt sanguinera* deuoti Filij tui, assidua
 Meditatione, Christi Domini, ac Dei sui passionem per-
 uigili Viuaciq; memoria, in vsu quotidiano, Sacri Rosa-
 rij, versantes, sanguinis & meriti eius participes reddun-
 tur. Et *vbicunq; fuerit cadauer statim ades*: Cadauer est grauis
 peccator, qui cadit à vita gratiæ; Sicut enim cadauer, est
 corpus sine anima; ita cadauer est anima, sine gratiæ vi-
 ta, dicente Esaia: *Videbunt cadauera mortuorum, qui præuari-* Esa. 66.
cati sunt in me. Vbicunq; igitur est cadauer, & Anima pec-
 catrix, inuocata statim ades, & precib⁹ tuis gratiæ vitam,
 in illud introducis. *Quinimmò, sicut Aquila, prouocans ad* Dent. 32.
volandum pullos suos, & super eos volitans, ita tu non solum vir-
 tutum tuarum Exemplo, sed & perpetuo interuentu tuo,
 nos prouocas, vt post te volitemus in cœlum.

Quid altius, quid dignius de te dicam, ô Regina po-
 tentissima, *super omnes Angelorum choros exaltata*? *Meliora* 5. Alia innu-
mera Elogia
Virginis etc.
lam Illustran-
tia.
sunt vbera tua vino, fragrantia unguentis optimis; Vbera Mife-
 ricordiæ Matris, sunt nobis gratiora, vino Iustitiæ Dei: 1. Cant. 1.

- Fragrant enim Vnguentis optimis, fragrant quotidianis adhuc beneficijs, quæ in miseros mortales, te inuocantes,
2. cumulare non cessas: Tu obstinatos peccatores ad poenitentiam emollis: *Flabit spiritus eius. & fluent aquæ, lachrymarum & contritionis.* Tu cæcos, nouissima non prouidentes, illuminas; ait enim Filius tuus, de te: *Dedit e in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris liberares.*
3. Tu fragiles in peccata casuros, ope tua, ne cadant, sustentas: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Tu lapsos erigis: *Cum corruerint, inquit Daniel, subleuabuntur auxilio paruulo, id est auxilio tuo, quæ parua humilitate*
4. *semper extitisti, in oculis Dei. Tu pauperibus subuenis, in omni necessitate sua: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Tu iustos protegis: *Hac venditum iustum non derelinquit, sed à peccatoribus liberat eum, descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non derelinquit illum.* Tu seruos tuos, ab omni aduersitate custodis: *Super scutum & super lanceam, aduersus inimicum tuum, pugnabit pro te.* Tu seruos tuos morientes, suscipis & in cælum deducis: *Qui enim eius Patrocinio se commendauerit, deuotè, in præfentis exitu vitæ obuiabit illi, quasi mater honorificata.* O potens, ô Nobilis Regina Cœli: Filius tuus est *Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis; Tu Regina Mater misericordie, Vita dulcedo & Spes nostra.* Ipse Aduocatus est in conspectu Patris; Tu nostra es in conspectu Filij Aduocata. *Tu gloria Hierusalem, tu letitia Israhel, tu honorificentia populi nostri: Gaudere deuoti Filij & Filiæ Dei Matris: non auditis protestantem: Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea, super mel & fauum.*

II. Sancti Patres.

Vos etiam huc aduoco S. Patres Ecclesiæ sanctæ lumina rogans, vt & vestris Patrocinium Dei Matris erga

nos

nōs miseros peccatores, Testimonijs comproberis & illustretis: *In ore enim duorum, trium, aut plurium etiam testium,* Deuteroc. 17.
stat omne verbum: Quid tu, de Dei Matre, hodie in cœlum gloriosè assumpta, sentis, sancte Pater Ambrosi? Orat ne pro nobis, patrocinator ne nobis miseris mortalibus, in terra de gentibus? *Beatissima Virgo MARIA,* inquit, *privi legio virtutum insignis emicuit, Salvatorem edidit, à quo glorificatio in cœlis, nunquam terrigenis patrocinari desistit.* Ecce vnum testem, summæ rursus authoritatis, quod Dei Mater nobis patrocinetur in cœlo. Adduco & alterum: Quid tu de ea sentis, S. Pater Hieronyme? Orat ne pro nobis in cœlo? *Non dubium est,* inquit, *illam, qua meruit pro liberandis peccatoribus ferre precium, posse impartiri libertatis suffragium.* Ecce alterum testem, summæ rursus authoritatis: Adduco & tertium S. Augustinum: Quid tu S. Pater Augustine, de Beatissimæ Virginis Patrocinio, sentis? Orat ne pro peccatoribus in terra commorantibus? Est ne sollicita, pro nostris necessitatibus? Audite quomodo Dei Matrem alloquatur: *Quia fecit mihi magna,* inquit, *qui potens est, & sanctum nomen eius. Quæ tibi magna fecit o Domina, ut beata dici merearis? Fecit, ut Creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares, ut per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret: Sed hac quæ de te ipsa recensuisti, neq; tu, ut dignitas tua meretur, dicere potuisti. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus, super cœlorum peregrinis; Et cum te latantem semper aspicias, stetus quasumus nostros, ipsa ad Deum admittas: Nos enim adhuc in hac terra affligimur persecutionem patimur, iniurijs laceessimur, esurimus, sitimus, in carcere retinemur. Tu verò in cœlestibus Regnis pralata es cunctis, Virginum choris, tu Agnum quocunq; perrexerit, sequeris. Tu in illa beatorum felicissima Regia, primi ordinis dignitatem adeptam, inter Paradisi amantissimas, flores immarcescibiles carpis: Teipse Rex Regum, ut Matrem veram & decoram Sponsam, præ omnibus dili-*

Deuteroc. 17.

I.

Serm: de Nativitate: Beatissima Virginis.

2.

Epist. 2. de Assumpt.

3.

Serm: 2. de Assumpt. Beatissime Virginis.

gens,

gens, amoris amplexu sibi sociat, ut tibi negare, tanquam matre nihil possit. Nec mirum, si dignetur id facere Deus Regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum, toties osculata es in terris ambulans. Annon hoc apertum Testimonium & euidentis argumentum, Patrociniij Dei Matris? hoc verò S. Augustinus nec dum contentus, sed & aliàs opem & auxilium Dei Matris, non sibi solum, sed & vniuersis hominum ordinibus deuotissimè implorat: *SANCTA MARIA, succurre miseris, iuuua pusillanimes, refoue debiles, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto femineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicunq; celebrant tuam sanctam festiuitatem.* Ecce Tertium, omni exceptione Maiorem testem Patrociniij Dei Matris.

Serm. de Natiuitate.

Non est æquum S. Pater Bernarde, quem scimus insignem Dei Matris Cultorem extitisse, non est æquum, ut tui in hoc testium veritatis, examine obliuiscamur. Quid tu de eius Patrocinio sentis? Orat ne pro nobis, in hac ærumnarum valle degentibus? succurrit ne nobis, interuentu suo! Curam ne aliquam nostri, agit, assumpta in Cælum? Audite eius verba: *Aduocatam pramissæ peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis mater, & mater misericordie, suppliciter & efficaciter, salutis nostræ negotia pertractabit. Preciosum hodie munus, terra nostra direxit, in cælum, ut dando & accipiendo, felici amicitiarum fœdere, humana copulentur diuinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, ubi data optima & dona perfectæ, descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? siquidem neq; facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est: Nihil enim, sic potest, potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare; nisi fortè aut non creditur, Dei Filius Matrem honorare, aut dubitare quis potest, omnino in affectum Charitatis, transisse viscera MARIÆ, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit:*

Serm. 1. de Assumpt. Dispara.

Et insuper addit S. Bernardus: *Si quid spei in nobis est, si quid gratia, ab ea nouerimus redundare, que delitijs affluens, gloriose ascendit in caelum.* Vnde & ipsam inuocat: *De hoc exilio, ô sancta Sanctorum, ad te clamamus exules, vt interuentu tuo, ductu tuo, adiutorio tuo, possimus ad cubiculum aternitatis reparari:* Ecce alium irrefragabilem testem, veritatis Patrociniij Dei Matris.

Serm. 7. super
signum magnæ.

Super Salu e
Regina.

Addo ex superabundanti testibus istis, S. Anselmum: *O Femina mirabiliter singularis, inquit ipse. & singulariter mirabilis, per quam Elementa renouantur, Angeli redinegrantur, inferna euacuantur, homines saluantur. O Femina, plena & super plena gratia, de cuius plenitudinis exundantia, respersa, resultat omnis Creatura.* O Virgo benedicta, per cuius beatitudinem, benedicitur omnis creatura, & non solum creatura à Creatore, sed etiam creator à creatura laudatur. O MARIA dulcissima, semperq; beatissima. Si omnis Peccator ad te conuersus, & à te sit despectus, recessu est ut pereat: Si omnis peccator ad te conuersus, & à te conspectus, impossibile est ut pereat. Hæc S. Anselmus. Quis tibi non credat, ô Beatissima & Gloriosissima Virgo, asserenti: *Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea, super mel & fauum.*

De Excellen.
Virginis Glo-
riosa.

Et adeò quidem dulcis est Virginis Spiritus, erga sibi deuotos, & peculiari amore obstrictos Clientes, vt neminem non solum morosè à se repellat, verum potius alliciat, & ad se trahat, vt eius beneficentiæ dulcedinem, pro libitu & appetitu, affatim degustent: Exemplo sit Sanctissimi Patris Dominici, Sanctissimus itidem, & dignissimus discipulus, S. Hiacynthus, verè flos nobilis, inter Virginis amatores, cui apparens, hæc verba est prolocuta: *Gaude Fili Hiacynthe, quia orationes tuæ gratæ sunt Filio meo, & quicquid ab eo per me petieris, impetrabis.* O insignem honoris Virginalis mercedem, omnium eorum compotem effici, quæ per Virginem, à Diuina Maiestate, in qualibet

III. Historia
comprobantes
Dulcedinem
Patrociniij
Virginalis.

I. S. Hiacyn-
thus in eum vi-
ta.


1. B. Joannes
Cantius Cano-
nicus Cracoui-
ensis in eius vi-
ta apud Crome-
rum de rebus
Polonicis.

occurrenti necessitate, efflagitantur. Beato itidem Io-
anni Cantio, Cracouensi Theologo, ipsa cū diuinissimo
Filio, visibili forma conspicua, istud solatium impertiuit:
*Stude Sapiaentia Filii mi, & letifica cor meum, & habebis me semper
in parte tua.* O verè *Spiritum* tuum Dei Mater *super mel dul-*
cem: O hereditatem Misericordiæ Virginalis *super saccha-*
rum & fauum: Quis benignitatis tuæ Nectarea pocula,
vnquam sitiuit, expetiuit, desiderauit, & licet corruptis-
simo animi palato pessimè affectus, primoribus vt mini-
mum labris, si culpa sua impediēte, plus non hausit,
saltem primoribus labris, non pitissauit? Ita est, ô libera-
lissima suauitatis Diuinæ Dispensatrix: *Spiritus tuus super*
Mel dulcis, & hereditas tua super mel & fauum.

Eia igitur, ô *Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA,* cum
Mors temporalis amarissimum terroris & Sathanicarum
tentationum calicem, in extremo agonis luctamine; no-
bis propinabit, tu vicissim, suauitatis Misericordiæ tuæ
copiam, exhibe, & subministra, & amarores nostros in-
dulcora, tu acerbitates omnes mitiga, tu hostium acrimo-
niam retunde, tu Salutis pericula elide, tu æternæ
prædestinationis nostræ securitatem, in tuto constitue,
vt memoriam suauitatis tuæ, lætanter eructantes, & mil-
le beneficia tua in Ecclesia Sanctorum enarrantes,
te iugiter, vnà cum Filio collaudemus,
in sæcula sæculorum,

A M E N.





S E R M O XXVI.

Elogia Spiritus sancti, loquentis in scripturis
sanctis, Virginis Patrocinium, nobis ve-
hementer inculcant atq; com-
mendant.

*Quaest ista qua progreditur quasi aurora consurgens, pulchra
ut Luna electa ut Sol. Cantic. 6,*

*Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in
monte Sion. Quasi Palma exaltata sum in Cades, &
quasi plantatio Rosae in Hiericho. Eccl. 24.*



Vemadmodum Supremus ille rerum opifex
Deus, & Natura quam condidit nihil frustra fa-
ciunt, ut loquitur vulgatissimum illud Philo-
sophorum Axioma: Sic Filij Dei militans in
terris, à Spiritu sancto gubernata Ecclesia, non errat, nec
frustra laborat, tot honorum titulis, tot conditarū Crea-
turarum, speculis extollendo Filij Dei, Serenissimam Ma-
trem ut nunc auroram, nunc Solem, nunc Lunam, nunc
Castrorum aciem ordinatam, nunc verò Palmam, nunc
Cypressum, nunc Platanum, nunc Rosam odoriferam,
nunc Vberem oliuam, nunc Cinnamonum, nunc Balsa-
mum, nunc Myrrham, soleat appellare: Nam quidquid
proprietas, quidquid vtilitatis aut commodi, quidquid
dulcedinis & iucunditatis è rebus illis creatis, in nos re-
dundat, hoc multo excellentiori, atq; diuiniore modo,
è patrocinio Virginis, in eius pios Cultores, coelitus deri-
uatur: Vnde qui bonitatis eius diuinitas, vnquam sui Iu-
ris fecerunt, & conuenienti negotiatione prouidi acqui-
siuerunt, inuenta tam preciosa Margarita, quæ omnibus hu- Matth. 13.

Sap. 7.

ius mundi thesauris, nequit æstimari, meritò gloriari possunt: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Quamobrem vt in seruitio Virginis, magis magisq; inflammemur, aliquot eius præconia, illi, à Spiritu sancto attributa, è præpositis verbis, aliquantisper, hoc sermone pensitemus. Faue gloriosa Virgo labori, Sacratissimo Nomini tuo, atq; honori nuncupato, vt patrocínio tuo apud filium iugiter potiamur.

I. *Questio Angelica, de Eximia Virginis Virginum dignitate.*

Quæ est ista, interrogant Angeli de Virgine in cœlum introducenda, & ad Filij dextram, in gloriæ Throno collocanda, *quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* An sine caussa, hosce honoris titulos, ab auroræ, Lunæ, Solis, aciei ordinatæ, similitudinibus mutuatos assecutam esse putatis? minimè verò:

Conueniunt rebus, nomina, sæpe suis.

I. *Aurora cur?*

Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens? Aurora meritò intitularis, ô Mater Dei: Sicut enim aurora, siccæ terræ & arefcenti, rorem inpendit, vnde à S. Isidoro, quasi *rorans aura* dicitur: Sic tu in exsucca, & fatiscencia corda nostra, æstu carnalis concupiscentiæ exiccata, rorem cœlestis inspergis: O Cor felix, quod benignè respicit hæc Aurora: *In rore cœli desuper erit benedictio tua.*

Lib. 12. *Ety-mol.*

Gen. 26.

II. *Pulchra vt Luna cur?*

Non immeritò *Pulchra vt Luna* intitularis: *Pulchra* es enim *vt Luna* dum est plena: Crescens luna, humores omnes auget, in corpore humano: Sic tua deuotio, augefcens & incrementa capiens in corde cuiuslibet fidelis, illud humore gratiæ cœlestis, irrigat, & nouo vigore ad omne bonum recreat, vt ascendere possit, *de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.* Conspergit insuper miseros peccatores, humore Misericordiæ suæ, vt à peccatis, cum Dei gratia resurgere possint. Sicut Lunæ obedit Mare; Nam cum ea crescente, crescit, ea decre-

Psalm. 48.

scente,

scente, omnino decrefcit : Sic etiam huic Lunæ, obedit
 turbulcatum *Mare tentationum* huius sæculi: Nam ea de-
 super gubernante, & imperitante, conquiescit: *Quia ven-* Math. 2.
ti & mare, obediunt ei.

Merito diceris, *Electa ut Sol*: *Sicut Sol oriens Mundo, in al-* III. Electa ut
tissimis Dei, scilicet sedibus; *Sic Mulieris bona species*: sic tuum Sol. Cur?
 ô Dei Genitrix meritum, apud Deum. Sicut enim Sol Ecc. 26.
 habet virtutem calefactiuam, & inflammatiuam, Nam 1.
 ex motu radiorum & eorum multiplici confectione, &
 multiplicatione, calor generatur, in obiecti corporis su-
 perficie, & maximè, si obiectum corpus fuerit speculari:
 Vnde si circa speculum concauum Stuppa, ponatur, à
 calore generato, incenditur: Sic tu Beatissima Virgo,
 mentes puras & mundas, tibiq; deuotas, intercessione tua
 inflammas, ad Dei dilectionem, vnde Ecclesiasticus te
 nominat: *Matrem pulchra dilectionis*. Et hæc est inflamma- Ecc. 24.
 tio amoris, quæ arefacit fœnum concupiscentiæ, carnalis:
Exortus est Sol cum ardore, & arefecit fœnum. Sicut Sol habet Jacob. 1.
 virtutem fœcundatiuam, omnia enim inferiora fœcudat, 2.
 & generatiuam eorum potentiam excitat, adiuuat & cõ-
 fortat; Vnde nihil crescit, vbi radius solis, non attingit
 Solum: Quod autem animam fœcundat bonis operibus,
 est *Timor Dei*, dicente scriptura: *Qui timet Deum, faciet bona*: Ecc. 15.
 Tu itaq; Mater Dei, te ipsam vocas Matrem Timoris; *Ego*
Mater Timoris, quia deuotos mihi, ad timorem Dei induco, Ecc. 24.
 & donum hoc eis acquirò, quo eos in omni bono fœcun-
 do. O Sol sterilia corda potenter immutans, & abundan-
 ter fœcundans: Aduertite tamen modum Christiani,
 quomodo Solis huius virtutem, hæreditare possitis: O- Sap. 16.
portet preuenire solem, ad benedictionem tuam, inquit sapiens,
& ad orientem lucis te adorare: Oportet quotidie se Dei Ma-
 tris patrocinio, enixius commendare: *Beatus*, inquit ipsa, Præu. 8.
qui vigilat ad fores meas quotidie, & qui obseruat, ad postes ostij mei:

3. *Qui manè vigilat ad me, inueniet me. Electa es ut Sol.* Quia Sol habet virtutem fortificatiuam: vnde in eius ascensu, verus nostrum horizontem, manè circa auroram, omnia animalia vegetantur, & fortiora efficiuntur: & vsque ad diem mediam augmentantur: Et quando Sol tendit ad occasum, rursus debilitantur, & in somnum resoluuntur: Flores etiam in ortu Solis aperiuntur, in occasu clauduntur: Sic tu, ô cœlestis Sol, tibi deuotos, confortas & roboras, dum eis subueniendo, ad spem & fiduciam intercessionem tuam, eorum pusillanimitatem erigis: Vnde *Mater sancta Spei*, meritò salutaris'.

Ecclesiast. 24.

*IV. Terribilis
→ Castrorum
acies ordinata.
Cur?*

Terribilis es ut Castrorum acies ordinata, hostibus & infectoribus, tam visibilibus, quàm inuisibilibus, tuorum deuotorum: Sicut enim ordinata acies, potentissimi cuiusdam Monarchæ, exanimat hostes, eius potentia inferiores: Sic tu exanimas & in fugam vertis, exercitum Diaboli ac tentationum eius, deuotos tuos opprimere volentem, cuius rei, Miracula multa sunt in promptu: Esto itaq; nobis in transitu nostro *Aurora consurgens, Luna pulchra, Sol secundans, castrorum acies ordinata*;

*II. Virginis de
seipsa Professio.
Ecclesiast. 24.*

Si vultis dilecti, patrociniū eius accuratius inspicere, perpendite, obsecro, paulisper tantum, verba, quibus vos alloquitur, in Epistola hodierna: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Sion; Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio Rose in Hiericho. Quasi solina speciosa in campis, & quasi Platanus exaltata sum iuxta aquas; In plateis sicut Cinnamomum & Balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa, dedi suauitatem odoris: Quomodo exaltata es, ô Mater Dei, quasi Cedrus in Libano? Cedrus odore suo mirificè recreat homines, sic tu intercessionem tuam & patrociniū tuo, reficis elanguidos peccatores: Cedrus odore suo, fugat serpentes, & omnia animalia noxia; Sic tu hæreses conteris, & dissipas, vnde*

1. Quasi Cedrus in Libano.

Eccle-

Ecclesia tibi concinit: *Gaude MARIA Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti, in vniuerso mundo.* Vnde notate mirabilem Antipathiam, inter Dei Matrem & Hæresiarchas, quorum nullus nostro tempore fuit, qui honorem Dei Matris non oppugnârit. Sed *Gaude MARIA, Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.*

Quasi Cypressus exaltata sum in monte Sion. Quomodo exaltata es quasi Cypressus! Cypressus, perhibetur à Medicis esse, arbor tota Medicinalis, in cortice, folijs & fructu. Verè ô Mater Dei, hodie exaltata es, vt Cypressus; quia quicquid in te extitit, totum virtuosum, & nobis extitit medicinale: In te medicinalis cortex, id est externa conuersatio sancta, qua alios ædificabas; in te Medicinalia folia, fructuosissima verba tua, quia peccatores ad pœnitentiam, & Dei amorem attrahebant: Medicinalis fructus tuus, in hodiernum diem, nempe Intercessio tua sancta, qua innumera beneficia, te inuocantibus passim, conquiruntur.

II. Quasi Cypressus in monte Sion.

Quasi Palma exaltata sum in Cades. Quomodo quasi palma? *Statura tua, inquit Sapiens, assimilata est palmæ;* quia vt palma est signum victoriæ, vnde Martyres, palmas in manibus habere, dicuntur: Sic tu es signum victoriæ, omnibus deuotistuis; & qui te amat, seq; tibi commendat, signum habet, quod per te sit adhuc Dæmonem victurus, & vel in extremæ vitæ suæ articulo, seriam pœnitentiam acturus. Palma habet fructus dulcissimos, vnde Sponsus eos concupiscens, dicebat: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius:* Fructus Beatissimæ Virginis, est ille *benedictus fructus ventris eius,* quam ab ipsa petimus, post hoc exilium nobis ostendi: Fructus eius sunt, innumera beneficia, quibus quotidie miseros peccatores cumularim perfundit.

III. Palmas in Cades.

I.

Cant. 7.

2.

Quasi plantatio Rose in Hiericho: Quomodo quasi plantatio

IV. Rosa in Hiericho.

256 *Sermo XXVI. De Elogio Spiritus S.*

1. tatio Rosæ? Rosa non solum iucunda visu, sed & odorifera: Tu verè, ò Beatissima Viirgo, es quasi *Flos Rosarum*, *in diebus vernis*: Qui enim pulchritudinem animæ tuæ cõtemplatur, qui virtutum tuarum odorem, quo Dei filius è coelo, attractus erat præsentit, impossibile est, vt te non
2. diligit, à te non trahatur: Rosa multiplici vsui seruit, ex ea fit aqua; ex ea fit saccharum rosatum; ex ea fit acetum rosatum: Sic Beatissimæ Virginis deuotio, ad omnia tibi est utilis, per eam omnia, quæ ad corpus & animam, tibi necessaria sunt, à Deo valebis impetrare: Quid nobilius hac rosa Hierichuntina?

V. Oliua speciosa.

Quasi oliua speciosa in campis. Quomodo quasi oliua? oliuæ liquor vt S. Isidorus ait, est pabulum luminis, me-

1. dela vulneris, refectio esurientis. Verè ò Beatissima Virgo, Misericordia tua, est liquor oliuæ; Misericordia tua,
2. illuminat tenebrosos, in agnitione Dei: hinc enim *Mater*

Ecclesiast. 24.

agnitionis vocaris. Misericordia tua, medetur vulneribus, animarum nostrarum, vnde Samaritanus infundit cum

Luc. 10.

4. vino oleum in vulnera viatoris, à latronibus expoliati. Misericordia tua, cibat & nutrit deuotos tuos, multiplici

Ecclesiast. 24.

consolatione, vnde eos ad te vocas: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus, super mel dulcis, & hereditas mea, super mel & fauum.*

VI. Platanus iuxta Aquas.

Quasi Platanus exaltata sum iuxta aquas; Quomodo quasi Platanus? Platani folia desiccata, sciunt qui oues alunt per hyemem, earum pabulationi non dulce solum, sed & vtile nutrimentum præbent, quia noxios humores, exiccant, & à scabie præseruant; sic huius Platani folia, quibus Christi, in hyeme charitatis diuinæ, virtutum, inquam, Beatissimæ Virginis, exempla, fidelibus benè masticata, mirificè conducunt, easq; à scabie variarum cupiditatum, præmuniunt ac defendunt.

Sicut

Sicut Cinamomum & Balsamum aromatizans, odorem dedi. *VII. Cinamomum & Balsamum.*
Quomodo sicut Cinamomum? calefacit & siccit cinamomum, gratum odorem spargit; Tu corda hominum, igne amoris Diuini, accendis, noxios concupiscentiæ carnalis humores, abstergis, virtutum odorem præbes omnibus, tua beneficia expertis.

Quomodo sicut Balsamum? Balsamum est præstantissimus liquor non solum suauissimū odorem præbens, sed & corpora præseruans, ne computrescant: Sic deuotio tua, fideles Clientes condit, & præparat, ne quasi iumenta, in stercore suo obsordescant.

Quasi Myrrha electa, dedi suauitatem odoris: Myrrha est *VIII. Myrrha electa.*
per se odoris optimi; solebant ea condiri olim corpora mortua, vnde Nicodemus venit ad Corpus Christi mortuum, ferens mixturam Myrrhæ: Hæc Myrrha *pœnitentiam* significat, quæ Deo & toti cœlesti curiæ est pergrata; est tamen peccatoribus aliquantulum amara. Hac myrrha, soles ô Beatissima Virgo, condire Cadauera, id est, defunctas animas tuorum, qui in peccatis sunt mortui, vt reuiuiscant. cuius effectus, luculentissimum exemplū, in Theophilo spectamus. Merito itaque gloriaris: *quasi Myrrha electa, dedi suauitatem odoris.* *Ioan. 19.*

Ecce vobis, Zelosi Virginis amatores, quàm vberes, *III. Historia.*
quàm copiosi fructus, è Patrocinio Virginali, in nos miseros peccatores, redundant, dummodò lubeat acceptare: Nec enim Virgo bonitatis suæ sinum, & Munificentiæ thesaurum, cuiquam claudit, exinde prohibitu haurire cupienti. Testis erit *S. Casimirus* Poloniæ & Lithuanix Princeps; *Casimiri Jagellonij* Poloniæ Regis, & *Elizabethæ* Austriacæ, Filix *Alberti* secundi Cæsaris, Filius, qui à puero, & ipsismet incunabulis, cum materno lacte, Virginis deuotionem imbiberat, vnde in tantum eius amore, exarsit, vt non solum pulcherrimum hymnum, *In eius vita, inter Tria Lilia Viridarij Martiani.*

in virginis honorem composuerit, quem quotidie recitare solebat; sed & virginis amore, perpetuæ castitatis votum amplecteretur, interdium noctuq; orationibus vacaret, corpus inedia, cilicio, alijsq; Mortificationis generibus, emaceraret; Vnde ad tantum sanctitatis gradum peruenit, vt cum Leo X. Pontifex Anno 21. præteriti sæculi, in Sanctorum Catalogum adscriberet, & Deus pariter, eius Mortem ac triumphum, præclarissimis Miraculis illustrarit: Nam in hodiernum diem, corpus eius integrum & incorruptum seruatur, & hymnus ille quem cœli Reginae quotidie recitauerat, in eius pectore, ipso, ita iubente, sepultus, pronuper Anno 1604. Vilnæ, in referato eius sepulchro, fuit inuentus. Testis insuper erit, *S. Stanislaus*, Episcopus & Martyr, cui Beatissima Virgo, totum Beneficiæ suæ Thesaurum, in manus tradidit, & consignauit; vt ex eo, quantum vellet desumeret, & Animum suum locupletaret. Testis *S. Hedwigis*, Poloniæ Principissa, quam Virgo in benedictionis suæ dulcedine, ita præuenit, vt eius imagine, quam semper secum gestabat, mediante, mira & stupenda operaretur. Testis *Kunegunda* Poloniæ Regis filia, quam à Matris utero segregatam, cultui suo Deipara mancipauit, vt eius amorem statim, cum aura vitali combiberet, & hauriret; quam primum enim nata fuit, non ex aliorum infantum consuetudine, fletum edidit, sed sacrum Carmen *Aue Regina Cœlorum*, altissima voce cantillauit; & exinde consecræ Sanctissimæ vitæ præsagium, dedit, & quasi *Myrta electa*, sub Virginis tutela, suauissimum Sanctitatis odorem exhalauit.


Et nobis, ô liberalissima Patrona, esto *aurora*, diuinæ rorem gratiæ, largiter infundens; Nobis esto *Luna*, huius sæculi noctem, ne aberremus, illuminans; Esto *Sol* nostram in omni loco, sterilitatem sæcundans: Esto *castra*

In eius Vita
pud Surium.

In eius Vita

Cromerus in
historia Polonica.

rum acies ordinata, cum ab hostibus oppugnamur; Esto Cedrus, odore tuo virtutum, serpentes effugans ac depellens; Esto Cypressus ægritudinibus nostris salutare Medicinam præstans; Esto Palma, victoriam contra Diabolum procurans; Esto Rosa, odore tuo fragilitatem nostram corroborans; Esto oliua Misericordie tuæ oleo, nos copiosè perungens: Esto Platanus, nos oues Pascuæ tuæ, à vitiis scabie præseruans; Esto Cinnamomum & Balsamum aromatizans, & quasi Myrrha electa, suauitatem odoris spirans; vt non solum in amore Dei, & proximi, efficaciter, incalescamus, sed & Christi Filij tui, bonus odor, virtutum exemplis, in omni loco euadamus, qui tecum sit benedictus in sæcula, Amen.



S E R M O XXVII.

Beatissima Virgo Paradisi Aquæductum,
semet appellitans, Patrocinij sui vtilitates nobis insinuat.

Ego quasi Aquæductus, exiui de Paradiso: dixi rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum;
Eccles. 27.



Nter alia complura, ob quæ amplissima aliqua Ciuitas aut Metropolis præcipuè laudari & commendari consueuit, amænissimi fontes, ab adiacentium Montium, scaturiginibus, per Aquæductus, vsq; in primariam plateam aut forum deriuati, præcipuum obtinent locum: Nam ibi varios per siphunculos, canales, ac tubos salientes, ac defluentes, non solum periucundum ac volupe aspectantibus spectaculum

eulum præbent, verum etiam incolis multiplicem pariunt vtilitatem, id quod Monachij, Augustæ, Norimbergæ, luculenter est videre. Cum itaque Dei Filius nouam Ecclesiæ suæ, quam è sacrosancti lati eis sui vulnere construxerat, ciuitatem, omni necessario apparatu, instruere decreuisset, atq; vt *Fluminis impetus letificaret Ciuitatem Dei*, Matrem suam benedictam, in cœlum translata, omnium cœlestium gratiarū Aquæductum, in nos eius Patrocinio addictos, cœlitus deriuauit, vnde inquit:

Psalm. 45.

Ecclesiast. 24.

Ego quasi Aquæductus, exiui de Paradiso: ad quid? Dixi rigabo hortum meum, plantationum; inebriabo partus mei fructum, clientibus meis varia cœlitus beneficia, demittam, vt agnoscant, me impensa mihi obsequia fructu suo, nunquã destituere ac frustrari: Sine igitur, & cum Filij tui gratia annitere, ô Virgo, vt te cœlestem Aquæductum, hoc breui sermone paulisper contemplantes, gratiarum tuarum copię participes efficiamur.

*I. Preparatio
Aquæductus.*

Ego quasi aquæductus exiui de Paradiso, ait de se & verè affirmat, Dei Mater. O nobilissimum cœlestis illius, & perennis, atq; inexhausti fontis, Diuinæ Bonitatis, Aquæductum. Nostis cum per Aquæductum fons aliquis amœnissimus, è vicino monte, in ciuitatem venerit deriuandus, prima omnium cura est, vt Aquileges originem fontis inquirent, eaque inuenta, quantum aquæ suppeditare possit, disquirant: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderabant Animæ Patrum veteris Testamenti, fontem illum, quem Esaias prædixit: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, salutem æternam, è sanguine Filij Dei, ex eius Vulneribus largissimè, profluentem, percipietis: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, clamabant in tantis suspirijs. Submiserant quidem nomine totius humani generis, Aquileges varios, in *Lege Natura Patriarchas*, in.

*2. Inquisitio
Scaturiginis.*

Psalm. 4.

Esai. 12.

Esai. 45.

*3. Aquileges
fonti exploratores
in veteri
Testamento.*

Lege

Lege Moysis Prophetas, & illi quidem riuos duntaxat Figurarum, isti verò vaticiniorum, & Prophetiarum venas, quibus hic Fons indicaretur, hominibus aperuerunt, at Fontem ipsum minimè referarunt. Submissus tandem, in lege gratiæ, prioribus multò peritior, Nomine Diuinus Amor, in genus Humanum; hic cum summo conatu impenso Gratiæ fontem indagaret, eum inuenit, & modum excogitauit, quo per cœlestem Aquæductum, per Virginem inquam, Dei Matrem, in huius mundi Ciuitatem, in forum Ecclesiæ, magno habitantium, non solum gaudio, sed & emolumento, per commodè deduceretur: *Ioann. 3.*
Sic enim Deus dilexit mundum, ut opera Aquilegis huius, Diuini amoris sui, filium suum Vnigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aternam. O peritissimū Aquilegem, Diuinum amorem, qui quod priscis illis tam difficile, immò factu impossibile erat, tam in lege Naturæ, quam Mosaica, in lege gratiæ, tam facile adinuenit, tanta industria perfecit, & absoluit.

Scaturigine fontis iam explorata, quid vterius fieri solet? Vocatur Architectus, qui fontis receptaculum, ex consilio Aquilegis designat, extruit, intus & extra non solum, accuratissimè, musco, alijsq; rebus obstruit & cõmunit, ne aqua penetret, aut diffuat, sed & figulino luto, diligenter oblinat, & obturat, ne vnquam detrimentum capere, aut aquam amittere possit. Quis nam Architectus, à Diuina Charitate, in genus humanum, in partem operis huius, ad fabricandum Receptaculum, fontis illius perennis, omnium bonorum ipsius Dei fuit conductus? Spiritus sanctus, de quo Sapiens: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & quod continet, omnia, scientiam habet vocis:* Spiritus sanctus, inquam, de quo ad Virginem, Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi,* operam suam hic impendit, & erogauit.

3. Aquilex
 Noni Testamē-
 ti, Amor Di-
 uinum.

II. Fabricatio
 Receptaculi
 fontis.

I. Architectus
 Spiritus san-
 ctus.

Sap. 6.

Luc. 1.

2. *Receptaculū
ubi & quodnā
constructum?*

Psalm. 50.

Cantic. 4.

Psalm. 92.

3. *Eius Com-
munitio.*

*Serm. Cogitis,
ad Paulam &
Eustoch.*

3. *Quo luto
liniuit?*

Ioann. 1.

II. Canales.

Quod nam receptaculum construxit! In qua officina construxit? in officina vteri benedicti, sanctæ Annæ, à qua sterilitatis opprobrium, Deus depulerat, fabricauit immaculatam Virginem, *MARIAM*, eiusque, tam corpus, quàm Animam, ab omni immunditia, omnique labe originalis maculæ, sic præseruauit, ut tamen si omnes alij homines, dicere cogantur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, ipsa tamen sola dicere possit, *Nigra sum, sed formosa; Nigra*, quia carnem ex Adamo traxi; *formosa*, quia ab omni peccati fæditate, immunis: *Tota pulchra sum, & macula non est in me*. Et quid mirum, ô Fons cœlestis, ô Fons diuinitatis, Si *domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum*.

Quomodo tandem illud Receptaculū communiuit? Varijs gratiarum donis, quibus eam copiosissimè cumulauit; *Ceteris enim per partes, MARIÆ se tota insudit gratia plenitudo*, attestatur S. Hieronymus. Quo figulino luto eam liniuit, ne aquæ perfluerent? ne gratias à Deo multipliciter acceptas, amitteret; Luto considerationis se puluerem esse, se è terra formatam esse, se tot gratiarum diuinarum Muneribus indignam esse, atque ita se, infra infirmos homines abijciendo atque humiliando, potissimum cum Dei Mater salutata, in hæc verba erumperet; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Non poterat sanè, meliorem, donorum cœlestium, custodem adhibere, quam Humilitatem. Sic tandem formato & adaptato receptaculo, Fons Diuinitatis, illud intrauit, & occupauit, ac nouem mensibus in eo habitauit, cum *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. O nobilem, ô illustrem cœli Aquæductum: *Ego Aquæductus exiui de Paradiso; dixi rigabo hortum meum, plantationum, & irrigabo, partus mei fructum*.

Quid potè fieri solet, fabricato iam receptaculo fontis,

fontis, ac fontanis iam aquis repleto, vsque ad summum? Canales ei aptantur, & applicantur, vt aquam ex Receptaculo haustam, paulatim deducant, in Ciuitatem, atq; in medium forum, vbi varijs syphonibus ac tubis, varijs item in locis aqua exiliens, incolas & aspectu recreet, & ad varios vsus conducat. Per quos Canales, hic Aqua ductus, directus est in Ciuitatem huius mundi, in Ecclesiae plateam! Per Abraham, Isaac, Iacob, per varios Patriarchas, & Prophetas, per Reges & Principes, quos vsq; ad Ioseph virum MARIÆ, in Euangelio, audiuitis recēseri. Onobilissimos Canales, per quos Fons cœlestis gratiæ, ad nos defluxit. Aquæ ductu per canales constituto, caua in foro erigitur Columna, in quâ ascendens aqua, per varios Syphones, tubos ac fistulas diuisa decurrit. Qui nam Syphones ac tubi huic Receptaculo Diuinitatis adhibiti! Tubus Perpetuæ, quam Deo consecrauerat, Virginitatis, quando *Virgo ante partum, virgo post partum, virgo in partu*, perseuerans, Dei Filium peperit in hunc mundum, & velut in medio Ecclesiae foro, eum collocauit, vbi per diuersos Syphones, per Apostolos, aliosq; verbi sui prædicatores, cœpit erumpere, & hominum corda irrigare, ac fecundare per totum mundum: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est nobiscum Deus: Nobiscum, inquam, in Carne, nobiscum in Redemptione, nobiscum in Myserio Eucharistia;* Adhibitus est Receptaculo nostro, Tubus Sapientiæ, qua non solum Apostolos, sed & ceteros fideles, quindecim annis, quibus post Christi ascensionem, superstes fuit in vita, in varijs fidei nostræ Myserijs, informauit, vnde merito Doctrinx & Magistra Apostolorum, ab Ecclesia salatur. Adhibitus est, huic Diuinitatis Receptaculo, *Tubus misericordiæ*, per quam in omnes miseros peccatores, & afflictos, Dei Matrem, & eius apud Deum Patrocinium, & interuersionem implorantes,

1. Canales Patriarcha & Prophetæ.

2. Tubi.

1. Perpetua Castitas.

Esai. 7.

2. Tubus Sapientia.

3. Tubus Misericordia.

rantes, varia gratiarum & auxiliorum dona, deriuantur. Audite, quam magnifica, quam præclara, de hoc diuinitatis Receptaculo, prædicat in eius Persona, Spiritus sanctus: *Ego mater pulchra dilectionis, & amoris, & agnitionis sanctæ Spei. In me omnis gratia, via & veritas: & spes æternæ vitæ & virtutis, Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea, super mel & fanum: Memoria mea in generationibus sæculorum; Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Quid magnificentius de hoc tubo, Misericordiæ, Virginis Deiparæ proferri possit? Tecum sentimus S. Bernarde: Sileat miserationes tuas, ò benedicta, quisquis te in necessitatibus inuocatam, sibi meminit unquam defuisse. Et meritò quidem gloriaris: Ego quasi Aquaductus exiui de Paradiso.*

Super Missus
est.

IV. Varij Sypho-
nes, varia Pro-
uincia.

Italia.

2. Hispania.

Cum magnus Fons aliquis, copiosè fortiterq; scaturiens, è Receptaculo suo, per Aquæductum in ciuitatem, præsertim si a quis plurimum abundat, variè diuidi & per varios Syphones, vt in diuersis exiliat, domibus & plateis, diuidi possit, quod recenter videre est, in fonte, nuper in hanc Ciuitatem deriuato; Quid noster Aquæductus? annon aquas Diuinitatis & gratiæ variè diuidit? Annon eas per totum mundum, distribuit? Quæ natio? quis populus? Quæ Prouincia Catholica, per totum Mundum, reperitur, vbi non sint Tempa, Deiparæ consecrata, in quibus Aquæductus iste noster, aquas cœlestium donorum, & gratiæ, non copiosissimè effundat? Si Italiam spectes, annon admiranda & stupenda operatur in Æde Lauretana? Si ipsam Urbem Romam; Fidei Petram, quotnam Tempa Deiparæ, quotidianis florentia miraculis, ibi visuntur? Si Hispaniam, annon hic idem Aquæductus, stupendis, etiamnum hodie beneficijs claret apud Deiparam Cæsaraugustanam, Guadalupensem, & Montis-

Montis Serratensem? Si Galliam, annon ibi occurrit præ nobilis Ecclesia Diuæ Virginis Exhileratricis in Picardia, vt alia innumera taceam? Si Germaniam nostram, tam superiorem quàm inferiorem; annon apud nos in Weyerenſi Ecclesia, & in Franconia inferiori, in Dettelbacenſi, apud Heluetios, in Diua Virgine Eremitana, in Bauaria apud Oeringam, in Inferiori Germania, apud Alſpricolenſem & Hallenſem Deiparam, innumera quotidie Miracula, diuinitus eduntur, quibus varia hominibus, tam ſpiritualia, quàm corporalia beneficia, distribuuntur? Si Indiam, annon omnibus paſſim Inſulis, Miracula fiunt, ad memorias, & inuocationem Dei Matris? O Illuſtrem, ô Abundantiſſimum, ô nunquam deficientem Miſericordiarum Dei Matris, Aquæductum: Nouerunt qui pulcherrimum, Auguſtanæ Ciuitatis Aquæductum, Baſſer- funſt/viderunt, fontem illum tam copioſum, per omnes, magnæ illius Ciuitatis, plateas deriuari, ita vt quicunq; Ciuis, paucis aureis numeratis, venam inde in domum ſuam, deriuare poſſit, ideoq; fons ille, non ſolum in præcipuis plateis, ſed & in quibuſq; priuatis, domibus, exilire viſitur. Quid noſter Aquæductus? tam copioſas, diuinæ gratiæ, aquas fundit, vt non ſolum totum per mundum diſperſam Eccleſiam, in omnibus populis & nationibus irriget; Sed & vniuſcujuſq; Chriſtiani peccus, bonorum ſuorum communionem repleat, dummodo ſe patrociniſ eius, & Maternæ protectioni commendat. Quam ergo benè de te gloriaris, ô Dei Mater: Ego quaſi Aquæductus exiui de Paradifo.

Quomodo nam, ô Cœleſtis Aquæductus, & quando exiuiſti de Paradifo? exiui è Paradifo cœleſti, vbi Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam fa- ceret à principio, prædeſtinatam nimirum ab æterno, in Matrem Filij ſui, quando Animam meam creauit ab o-

3. Gallia.

4. Germania.

5. India.

Aquaductus
Auguſtanæ.V. Exitus à
Paradiſo.1. In Prædeſti-
natione.

omni macula puram, & incontaminatam, eamq; Corpori meo, in utero Matris, infudit atque uniuic. *Exiui Paradiso*, ut degerem in hoc mundo: *Exiui à Paradiso*, ut per Vnigenitum Filium meum, *Exules Filios Eue*, à Paradiso terrestri exclusos, reducerem, velut altera Eua Mater uiuentium, in cœlestem, quæ sursum est Patria nostra. O omnis boni fonte copiosissimè affluens, Aquæ ductus, quanto bono nostro, è cœlo descendisti, in terras? *Ego quasi Aqueductus, exiui de Paradiso.*

Hebraeor. 12.

VI. Cur hic Aqueductus exiui è Paradiso.

Ad quid? quo fine? ad quem effectum? *Dixi rigabo hortum meum plantationum*, quis nam hortus plantationis tuæ? *Inebriabo partus mei fructum*, quis nam partus fructus tui? Si de partus ipsius fructu, sit sermo, Fructus iste, Partus, & Filij ipsius, sunt omnes Electi, quos ipse Sanguine suo redemptos, efficaciter trahit ad salutem: Si hortum plantationum eius quæras, sunt omnes eius deuoti Cultores, quos in horto suæ protectionis plantauit, hos cœlestibus gratijs irrigat, hos bonorum suorum copiosis largitionibus inebriat, hos virtutum meritis locupletat: Et quid ni hoc præster? Ipsam loquentem audiamus: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Ifrabel hereditare*: in Ecclesia mea, quam ex gentibus colligam, inquit Dei Filius: *Et in electis meis mitte radices*: tuæ deuotionis. Quid consecutum? *Et sic in Sion firmata sum*, in Ecclesia Filij mei, singularis fidelium Patrona & Aduocata, designata sum, & *in Hierusalem potestas mea*, in cœlesti illa, ac superna Hierusalem, Regina cœli & terræ inaugurata & coronata sum. *Et radicaui in Populo honorificato*, inter eos, qui verè credunt in filium meum, & *in parte Dei mei, hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea*, animas, quas Filius meus per gratiam occupat, & ego ambio, cum eis, in hac vita demoror, eis assisto, eis opem fero, donec sanctorum plenitudinem, & Societatem Angelorum

Ecclesiast. 24.

Psal. 44.

Apoc. 12.

gelorū possideant in cœlo, Sic rigo hortum, quem planto, sic inebrio fructum, quem protulit Filius meus. Ego quasi aquaductus exiui de Paradiso, rigabo hortum meum, plantationum, inebriabo partus mei fructum.

Vtinam, ô Cœlestis Aquaductus, in nos etiam perpetuò fluere, corda nostra irrigare, & sterilitatem, omnis boni depellere digneris. Vtinam cultu & honore tuo, nobis nihil prius, nihilq; antiquius esset. O quam benè de nostra salute ageretur: Eia ergo dilecti mei, imitami vestigia, sequimini exempla plurimorum sanctorum, qui ex hoc aquaductu, omnium copiam bonorum hauerunt. Sic S. Franciscus, referente S. Bonauentura, cœlestem hunc Aquaductum, semper in summo respectu habebat, & ex eo quotidie, gratias eius, vberimè haurire satagebat: *Matrem, inquit, Domini nostri IESV CHRISTI, ineffabili complectebatur amore, ut qua Dominum maiestatis, fratrum nostrum effecerit, & per quam nos sumus misericordiam consecuti: In ipsa per Christum, præcipuè fidens, eam sui & suorum Aduocatam constituit, & ad honorem ipsius, à Festo Apostolorum Petri & Pauli, usq; ad festum Assumptionis, deuotissimè ieiunauit. Eam verò his verbis deprecabatur: Sancta MARIA Virgo, inquam, non est tibi similis nata in mundo, in mulieribus, Filia & ancilla, altissimi Regis, Patris cœlestis. Mater Sanctissima Domini nostri IESV CHRISTI, Sponsa Spiritus sancti: Ora pro nobis cum sancto Michaële Archangelo, & omnibus Virtutibus cœlorum, & omnibus sanctis, tuum Sanctissimum Filium, dilectissimum Dominum nostrum, & Magistrum, Amen. Et rursum: Sancta Dei Genitrix, dulcis & decora, Regem morti traditum filium tuum dulcissimum, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, pro nobis exora, ut ipse per suam piissimam misericordiam & Clementiam, & virtutem Sanctissimæ Incarnationis, & mortis ipsius acerbissimæ, nobis indulgeat peccata nostra, Amen.*

VII. Eorum
Exempla, qui
ex hoc Aqua-
ductu bibe-
runt.

1. S. Franciscus
eius vita, cap. 9.

Sic cœlestem hunc Aquaductum Dei Genitricem

2. S. Henricus
Imperator.

*Petrus Canisius
Lib. 5. de Dei-
para, cap. 27.*

Virginem MARIAM, impensissimè amabat, & ex eo deuotissimè sine intermissione hauriebat *S. Henricus Imperator*, qui, vt florem sanctæ Virginitatis, integrum conseruaret, singulari eius ope adiutus fuit, & in colenda ipsa, tam sedulus extitit, vt si quando urbem aliquam, ingrederetur, primam quidem noctem precandi gratia, in illa æde consumeret, quam Beatæ Virgini sacram, fortè reperisset: Hinc Ecclesiam Cathedralem Bambergensem, in primis Beatissimæ Virgini, ac deinde S. Petro Apostolo, & S. Georgio voluit nuncupari.

*3. S. Stephanus
Rex.
Petrus Canis.
lib. 5. cap. 28.*

*Bonfinius lib. 3
Dec. 2 rerum
Vngaricarum.*

*Lib. 1. Decad. 1.
Rerum Vngari-
carum.*

Sic *S. Stephanus Vngariæ Rex*, quem *S. Henricus*, data sorore sua *Geyfila*, in vxorem, ad fidem conuertit, ex hoc eodem Aquæductu, fideliter hauriebat, susceptoq; Baptismo, seipsum totum, atq; vniuersum Regnum suum, per votum & oblationem, in perpetuæ Virginis MARIÆ, tutelam, assiduis precibus consignauit. Et olim quidem à temporibus eiusdem sancti Regis, vsq; ad nostra tempora, quibus tot Hæreses grassari cœperunt, Sacratissime Virginis honor, & gloria, tam celebris apud Hungaros extitit, vt festum Assumptionis eius, tacito proprio nomine, *Festum Domina* appellârint. Hinc etiam eius effigiem, in nummis matibus, tam aureis, quàm argenteis, effingebant, & in vexillis atq; armis, gestabant; Quinimò, vt Rex pijsimus, propensiolem, tantæ Virginis deuotionem, & Patrocinium, promereri posset, in ipsa Regiæ Sedis Ciuitate, quam *Albam* vocant, in eiusdem virginis laudem & honorem, ingentem Basilicam erexit, opere sanè mirifico, cœlatis chori parietibus, & pauimento marmore pulcherrimo strato, & innumerabilibus sacrarum vestum & vasorum aureorum, & argenteorum, ornamentis, condecorauit. de quo itidem rem memorabilem recenset *Bonfinius*: Quadam nocte, cœlesti percitus instinctu, clam sine comite, à Regia prodiit,

diit, distentos nummorum loculos, ferens, quos pauperibus distribueret. Cumq; ad Ecclesiam venisset, stipemq; vicinim distribueret, inter petulantes rogatores mox orta seditio, Regi per contumeliam, barba distracta, maioriq; parte euulsa est. at ille nequaquam ira induccensus, sed insolito quodam gaudio, perfusus ad Ecclesiam properauit, atque ante aram Deiparæ Virginis procidens, ingentes Dei Matri gratias agit: *Regina*, in-
quiens, cœli, Dei magna parens, unica Hungarica, Patrona gen-
tis, immortales tibi gratias ago, quod me, quem Regem esse voluisti,
milites tui, hoc modo tractarint. Si has ab hominibus iniurias, ac-
cepissem, tuo fretus auxilio, ulciscerer: proinde hinc futura felicitatis
auspicia capto, neq; irrita filij tui verba spero fore, cum suis Apo-
stolis, ne minimum quidem è Capite capillum eorum periturum esse,
recepit. Ecce quantum virtutis & gratiæ hauserit ex hoc Aquæductu Cœlesti, hic Rex sanctus.

Ex hoc Aquæductu impigrè hausit *S. Gerardus* Mar-
 tyr & Episcopus Canadiensis in Hungaria, cuius tantus
 erat, in ipsam affectus, vt si quis reus à familiaribus ve-
 niam ab ipso peteret, in nomine Matris Dei, mox audito
 nomine *Matris Misericordie*, Pater sanctus, lachrymis per-
 funderetur, & proinde, ac si ipse reus esset, à reo veniam
 peteret. Ex hoc ipso fonte & Aquæductu, Martyrij tan-
 dem gratiam, de mutuauit.

Sic etiam, ex hoc Aquæductu sedulo hausit, deuotif-
 simeq; coluit Dei Matrem, *Fridericus Tertius* Princeps Au-
 striacus, Imperator; Pro festa Beatissimæ Virginis, om-
 nia, præsertim Assumptionis eius, ieiunabat, atq; omni
 ferè cibo & vino abstinebat. Quam pietatem, atq; erga
 Deiparam deuotionem, etiam *Albertus Quartus* Impera-
 tor, icidem Austriacus legitur religiosissimè, vsq; ad fi-
 nem vitæ exercuisse. Ex quo fonte, omnem in hac vita,
 qua floruerunt, felicitatem perceperunt, & haud dubiè,
 in altera, cœlestia gaudia sunt consecuti.

S. Gerardus
Episcopus.
Surius in vita,
 29.

S. Fridericus 3.
& Albertus 4.
Austriaci.
Canisius lib. 5.
cap. 27.

Canis. lib. 5.
cap. 27.

*Surius in vita
cap. 14.*

Sic ex hoc Aquæductu hauriens S. Elzearius, comes Ariani, a pueritia Dei Matrem in Patronam elegerat, & Aduocatam, quotidie sæpius ei sese commendans, sæpiusq; eam salutans, ita vt Christus Dominus Nobili Matronæ Garsendæ Nutrici S. Elzearij, oranti pro ipso, apparens affirmauerit: *Iuueni huic, pro quo oras, noueris. me Matrem meam dedisse Magistram; nihil igitur de illo dubites.* Ex hoc igitur Aquæductu, Patrocinijs gloriosæ Virginis, vt in perpetua uirginitate, cum Delphina coniuge sua, vixerit in Matrimonio, est consecutus.

*6. Comites Scheyrenses
Tribem. de Orig. Princ. Bavaric.
Canis. lib. 5.
cap. 27.*

Sic deuotissimè colæerunt Dei Genitricem, Comites Scheyrenses, qui suum præcipuum castrum Scheyern, eisdem Deiparæ Matri, perpetuo Iure donarunt, atque in Monasterium conuerterunt, vno duntaxat excepto, ex illis, qui hæredes erant, quem Ducem Arnoldum infelicem appellabant, qui cum Dæmonem sibi familiarem, haberet, illiq; suam partem deuouere mallet, hoc demum precij consecutus est, vt sanus & sospes, à Dæmone abreptus, ac præsus è medio sublatus, & in Lacum Monasterio vicinum proiectus, vitam miserimè terminaret: En eius terribilem interitum, qui cum alijs fratribus suis, ex hoc Aquæductu noluit haurire. Impensissimè tota vita Dei Genitricem coluit, & ex Aquæductu gratiæ eius bibit, Alfonsus Salmeron, vnus è primis Patribus, qui vnà cum B. Patre Ignatio, Societatem Iesv fundarunt; Nam omnibus diebus Sabbathi, per totam Quadragesimam, vbicunq; prædicaret, etiam si aliud feriæ illæ deposcerent, immò & quotiescunq; aliàs occasio ferret, de eius laudibus concionabatur. quo medio, innumera-biles homines, ad hauriendum ex hoc cœlesti aquæductu, mirificè accendit.

*7. Alfonsus
Salmeron.*

8. Petrus Ribadeneira.

9. S. Odilo Cluniacensis.

Sic impensissime coluit Dei Matrem, & ex Aquæductu Patrocinijs eius deuotè bibit, S. Odilo Abbas Cluniacensis,

ensis, qui quotiescunque MARIÆ nomen proferri, audiebat, se se profundissimè inclinabat. In choro quoq; existens, cum in hymno S. Ambrosij & S. Augustini, versiculus iste cantaretur: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non borruisti Virginis uterum*, in terram semper se prosternebat, Dei Matrem singulari honore afficiens. Et S. Lutgardi Virgini quoq;, vti refert Thomas Cantipratenensis, sub eodem versu, Beatissima Virgo apparuit, eò gratulabunda, indicans gratissimam sibi esse, sub hisce verbis, memoriam Incarnationis Dominicæ, & quod ipsa sit Dei Mater, in mentem reuocare. & addit Thomas Cantipratenensis, *Hoc illa mihi tanquam Filio dilecto, reuelans, admonuit, vt quoties versum illum dicerem, toto me corpore, ad laudem Sacratissime Virginis inclinarem.*

B. Petrus Damianus in vita.

Sic ingenti feruore Dei Matrem coluit, & ex hoc Aqueductu auidè bibit, S. Hedwigis Poloniæ Ducissa, Sanctæ Elisaberhæ viduæ Matertera, Dei Matris Imaginem semper circumgestans, vt ex amore, crebro eam posset intueri, & inspiciendo, ad amorem eius semet excitaret. Qua imagine interdum cum benediceret languidis, illicò curabantur. Vt etiam miraculorum gloria, cunctis innotesceret, ad quantam meritorum altitudinem, ipsa iam peruenisset, quæ feruenti Dei Matris amore, incitata, hanc Matris Dei Imaginem sedulò circumferret.

10. S. Lutgardis, in vita cap. 24.

Surius 16. Iunij.


Quid plura adijciam? Nemo vnquam huic cœlesti aqueductui; os applicuit, qui non singularia Dei dona exinde perceperit. Vel vnico recensito, Exemplo, finem facio. Cuiusdam Toparchæ in Austria, vxor sterilis, in matrimonio, non satis firma in fide, cum diebus prohibitis carne vesceretur, consilio cuiusdam, è societate Patris, deinceps diebus Sabbathi à carnibus, in honore Beatissimæ Virginis abstinuit. Et ecce breui sterilitate depulsa, vno partu gemellos, Filium & Filiam enixa, Dei Matris beneficium agnouit.

11. S. Hedwigis, Surius in vita cap. 5.

12. Matrona Scerilis. Franciscus Benzius in Annalibus Prouinc. Austria.

Cha-

Charissimi mei, qui cupitis salutem æternam assequi, vos rogo, vos moneo, vos oro & obtestor, applicate quotidie ora vestra, huic Aquæ ductui, & bibite & inebriamini, temporalibus & cœlestibus Dei donis, diebus Sabbathinis peculiariter, in honore virginis ieiunate, Rosarium eius diligenter legite, cultui diuino, honori eius dicato, per Tricesimum diligenter vacate, Memorias eius, & Altaria, quantum in vobis est, ornate, obsequijs omnibus, vti pios decet filios, Matrem istam demulcete: Mihi credite, in hac vita centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Amen.



S E R M O XXVIII.

De Peculiari erga Virginem Deiparæ amore
ac Deuotione; in eius Natiuitate
habitus.

*De qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS,
Matth. I.*

*Serm: 1. de S.
Laurentio.*



I S. Leo, Natalem S. Martyris Laurentij, celebrans, Christianos omnes exhortatur; Gaudeamus igitur dilectissimi, gaudio spirituali, & de felicissimo, inchoati viri Natali, gloriemur in Domino, qui est mirabilis in Sanctis suis, in quibus nobis præsidium constituit & exemplum. Quamto magis in natali hodierno, Matris Dei, spirituali gaudio nobis exultandum, in qua longè mirabilior & gloriosior, extitit, quam in alijs Sanctis, in qua potissimum, post Deum præsidium, vt in totius humani generis Aduocata, est constitutum, in qua omnium Virtutum Exemplar, nobis proponitur imitandum, Vt ergo
Dei

Dei mandatum, à Dauide promulgatum: *Laudate Dominum in Sanctis eius, & benedicentes Filium eius, exaltemus illam, quantum possumus, iuxta Sapientis monitionem, exequamur hac concione, de peculiari eius amore, ac Deuotione, & quas ob causas, eam summè diligere, & venerari debeamus, breuiter aliquid pertractemus. Et tu ô gloriosa Virgo aperi labia & corda nostra, vt laudes tuas dignè proferre, & mentibus nostris imprimere, valeamus, & hoc medio in amore ac deuotione tua feruentissimè inflammemur. Si enim, teste S. Bernardo, *dubium non est, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere; Et cum Filium honoramus, à gloria Matris nos non recedere;* Sic etiam, cum erga te singulari pietatis studio, colendam, sensus affectusq; nostros impendimus, id totum, in Christi Filij tui honorem, à quo tu omnia bona accepisti, terminatur. Ideo dum anxi ac deuotioni tuæ vacamus, Filium tuum vnicum, ex toto corde glorificare contendimus, atque conamur.*

De qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS. En vobis causam principalem Deuotionis, & Fundamentum Amoris, quem Virgini, cuius Natalem celebramus, iure summodebemus: *Quia ex ea natus est IESVS CHRISTVS, Saluator noster, qui nos morte & passione sua, redemit:* Hæc enim est mulier illa, per Martham præfigurata, *quæ CHRISTVM IESVM, Dei Filium, nostræ salutis causâ, huius Mundi Castellum intrantem, non tantum vteri sui Virginalis Domo, sanctissimoq; totius mundi loco, domicilioq;, ac dignissimo Templo, nouem mensibus hospitio excepit, sed & omnium hominum nomine, quorum salutem procurare venerat, ei sollicitè ministravit, eum lactauit, atque ad perfectam ætatem educavit, vt in ipsa, Sapientiæ vaticinium fuerit impletum: *Qui creauit me requisuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In**

Psal. 150.

Ecol. 43.

I. Beatissima Virgo cui denu. se colenda?

Lm. 10.

Ecol. 24.

Cantic. 6.

Proverb. 31.

Luc. 1.

Hebraeor. 1.

Hierem. 31.

II. Ob beneficia
ab ea accepta.

Iacob in Ecclesia mea inhabitat, & in Israhel hereditare, & in electis meis mitteradices; tuæ deuotionis: Ob hanc Maternam dignitatem, qua, ut Deum & hominem pariter, utero conciperet & pareret, Viderunt eam, inquit Salomon, Filia Sion, hoc est animæ fideles, & beatissimam predicauerunt, & Regine, id est præstantissimorum Sanctorum animæ, vnâ cum Angelorum choris, laudauerunt eam: Nec immeritò: Hæc enim est mulier illa fortis, quæ Diabolum gladiodiuinæ virtutis, per filium suum prostrauit, cuius precium, procul & ab ultimis finibus, altissimi cœli; de qua verè Salomon: Surrexerunt Filij eius & beatissimam predicauerunt, secundum vaticinium ab ipsa prolatum: Ex hoc nunc beatam me dicent, omnes generationes, id est fideles vniuersi, quibus per Filium primogenitum, in multis fratribus; vniuersalis Mater est, data, & in Matrem in cruce commendata: Vir eius, id est Christus IESVS, quem virum, iam perfectum, utero circumdedit, & laudauit eam, dum tot miraculosis vbiq; beneficijs, Nomen eius glorificat, per orbem vniuersum, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus: Quid ni eam amemus, & deuotissimè semper colamus?

Quod si beneficia, hominem attrahere solent, ad amandum benefactorem, à quo post Deum plura, quàm ab ipsa Dei Matre, beneficia possumus sperare? Ipsam obsecro audite, ex ore Sapientis vos alloquentem: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauum, quasi diceret: O vos omnes Christiani, qui me peculiariter concupiscitis, accedite per amorem meum, & quotidianam intercessionis meæ inuocationem, & à generationibus meis, hoc est Filio meo, à Patre ab æterno Deum genitum, quem Deum pariter & hominem in tempore genui, tanquam à pereanni, bonorum omnium fonte, implemini. Nam in gremio & sinu meo, facilius, quam*

quam alibi inuenitur: Spiritus enim meus super mel dulcis, Misericordia mea, qua erga vos afficior, quam in vos spiro, dulcedine sua Mel superat: Et hereditas mea, & bona omnia quæ possideo, vobisque libentissimè communico, super mel & fauum, super omne, quod animæ gustum valeat delectare. Quid amplius à me desiderare poteris?

At hic non subsistit, non deficit eius Munificentia: *III. Quia nos facundat bonis operibus.*
 Sicut non sufficit arborem, solo arido, implantare, sed ut radices agat, & vireat, oportet eam sæpius rigare; *Simile.*
 Sic ego vobis non solum varia beneficia confero, sed & ea conferuo & augeo: Nam sicut Aqueductus exiit de Paradiso, Dixi: rigabo, hortum meum plantationum & inebriabo prati mei fructum, bona, quæ vobis impertio, libenter multiplico, & conferuo, ut maturescant, & ad æternæ vitæ fructus pertingant. Cauete, ô Christiani mei, cauete, ne hic Aqueductus Paradisi vobis præcidatur, cauete ne deuotio & Amor Virginis, Diaboli opera, vobis eripiantur: Nostis, si Ciuitati alicui aqua subtrahatur, & aliò deriuetur, eam faciliè capi posse: Sicut enim Holofernes Bethuliam obsidens, teste scriptura, dum circumuehit per gyrum, *Indith. 7.* reperit, quod fons, qui influebat, Aqueductum illorum à parte Australi, extra ciuitatem dirigeret, & incidi præcepit Aqueductum illorum; quin etiam & fontium usum, qui erant iuxta muros ciuitatis, eis ademit, ut eos in potestatem suam redigeret: Sic etiam Diabolus hoc vnum sollicitè agit, & molitur, ut homines ab amore & deuotione Virginis abstrahat, & in omne flagitiorum genus præcipites agat. Quam obrem ei viriliter resistite & in Virginis amore constanter perseuerate: Nam etiam si ex humana fragilitate aliquando in peccata quæ piam delabaris, care coelitus erigente facillimè resurgere valebis, & cum cecideris, non omninò collideris; ipsa enim *Psalm. 36.* supponet manum suam, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus.

Adiunt nostrates Hæretici, Virginæ Deuotionis & honoris Calumniatores: *II Eius beneficia præcivita.* Quid nobis cum MARIA, cum omnia

1. Cavillus Ha-
reticorum.

Serm: super
missus est.

Beatissima Vir-
go Mediatrix
ad filium.

Serm: 18. de
Sanctis.

3. Mundo per-
dito succurrit.

fit nobis Christus? Ille nobis sufficit, ab illo est, quod omne bonum speremus, non est necesse, ut recurramus, ad eius Matrem: Sed audite, quæso S. Bernardum, vobis respondencem: Et quidem sufficere nobis poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex Deo est: Sed nobis bonum non erat, esse hominem solum: congruum magis, ut adesset nostræ reparationi, sexus uterq̃. Et paulò post: Christus misericors est, habet tamen iudiciariam potestatem. Deniq̃, Deus noster, ignis consumens est, quid ni vereatur peccator accedere? ne, quemadmodam fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: Opus est enim Mediatore, ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilis, quàm M A R I A. Et post multa: Deniq̃, inquit, M A R I A omnibus omnia facta est, Sapientibus & insipientibus, perfectissima Charitate, se debtricem fecit, omnibus Misericordia finem aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi, æger curationem, tristis consolationem, Peccator veniam, Iustus gratiam, Angelus latitiam, deniq̃, tota Trinitas gloriam, Filij Persona, carnis humana substantiam, ut non sit, qui se abscondat à calore eius. Et quemadmodum Sol super malos & bonos indifferenter oritur; Sic ipsa sole avicta, præterita non discutit, merita, sed omnibus se se exorabilem, omnibus Clementissimam præbet, omnium deniq̃, necessitates, amplissimo quodam miseratur affectu. Et quid ni gloriosissimam istam, humani generis Benefactricem, impensissimè amemus ac diligamus? quis non cum S. Augustino exclamet & profiteatur? **O Beata M A R I A, quis tibi dignè valeat lura gratiarum, & laudum præconia rependere, qua singulari tuo assensu, mundo succurristi perditio? quas tibi laudes, fragilitas humani generis, persolvet, qua solo tuo commercio, aditum recuperandi invenit? Accipe itaq̃, quascunq̃, exiles quascunq̃, meritis tuis impares gratiarum actiones & cum susceperis vota, culpas nostras, orando excusa: sit per te excusabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus, accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica Peccatorum. Per te speramus peccatorum**

torum

torum veniam, & in te beatissima, nostrorum est expectatio praemiorum. Num plura de gloriosissima Dei Matre, expetitis? Ipsa est, inquit Cæfarius, orbis conservatrix; & Tribulationum Consolatrix, fida sibi famulantium, defensatrix. Per ipsam Peccatores illuminantur, desperati ad confessionem reparantur; Apostata à Deo per ipsam mirabiliter conciliantur, iusti reuelationibus consolantur; Nomen eius & memoriale eius, morbos sanat, Demones fugat, vincula soluit, timores pellit, tentationes compefcit. Per ipsam pusillanimes consolantur, torpentes excitantur, cieciti misericorditer reuocantur; Diligentes se diligit, inmodò diligendo prauent, & honorat; Et contemnentés se, quia iusta est, punit & humiliat; Apud ipsam, Electuaria sunt confortatiua, vnguenta sanatiua. Nomen eius super mel dulce, & hereditas eius super mel & fanum; Morientibus assistit, & mortuorum animas, ad vitam perducit eternam. Quid ni ergo, Deipara Virgo, à fidelibus omnibus, summo pietatis, amoris ac deuotionis affectu prosequenda? Si enim, vt ritè argumentatur S. Ioannes Damascenus, honor is, qui conferuis habetur, communiæ Dominum declarat, quò tandem modo studium te honorandi qua Dominum peperisti, negligendum erit? Annon illud, vel necessario Spiritui preferemus? ac vel ipsi vita anteponemus? hac enim ratione, nostram, erga Dominum beneuolentiam, luculentius ostendemus. Et S. Bernardus: Totis medullis cordium, totis precordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit, per MARIAM, in omnibus siquidem, & per omnia, providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abijcit, erigit pusillanimitatem. Ecce hæc & innumera alia beneficia, confert nobis, Mater illa benedicta, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus, quis eam non amet? non colat? deuotissimèque honoret?

Porrò ad hanc ipsam, erga Virginem pietatem, nos meritò excitare debent, non tantum beneficia, à Virgine

4. Congregatio
Partheniorum
beneficiorum.
Lib. 7. Miracul.
cap. 1.

Serm. 1. de dormit. Deipara.

Serm. de A. quædam.

III. Beneficia eius futura.

1. *Auxilium
in hac vita no-
bis necessarium.*

1. Petri 5.

2. *Influxus eius
in omnia Eccle-
siae membra.*

3. *B. Virgo ve-
luti collum in
corpore Eccle-
siae.*

4. *B. Virgo ve-
luti radix.*

Luc. 1.

5. *Expers deuoti-
onis erat Vir-
genem quam miser.*

iam pridem accepta, verum etiam, quæ per ipsam in-
sterum speramus. Cum enim miserrimi simus, *in hac mi-
seriarum valle* rerum omnium egentes, multis erratis ob-
noxij, viribus ad omne bonum imbecilles omniq; auxi-
lio destituti, à Dæmone vaferrimo atque immanissimo
hoste, qui *tanquam Leo rugiens circuit, quarens quam deuoret*,
acerrimè oppugnati, idcirco diuino auxilio præsidioq;
quam maximè indigemus; tùm vt admissa peccata, nobis
remittantur, tum vt ab hostium insidijs protegamur.
At quæ nam ad hæc omnia, vtilior Aduocata, apud Fi-
lium, ipsa Virgine gloriosa? hæc enim tantoperè apud
eum accepta est & gratiosa, tantaq; præualet authorita-
te, vt nunquam repulsam patiatur: Et quod rei caput est,
ipsa necessitates nostras, plusquam materno affectu, cõ-
pletetur. Finge tibi Ecclesiam vniuersam, cum omni-
bus membris suis fidelibus, per totum orbem dispersis,
vnum corpus esse, cuius caput est Christus Deus & homo,
collum Beatissima Virgo: Sicut ergo in corpore huma-
no, influxus omnis capitis per collum descendit & diui-
ditur in reliqua membra, sic omnis gratiæ influxus, ve-
lut per collum corporis Christi mystici, per Virginem,
inquam, **MARIAM**, in nos, eius deuotos Clientes deriuat-
tur. Quod Radix est in arbore, hoc in cœtu fidelium, est
gloriosa Virgo **MARIA**: Radix è terra, attrahit & sugit
suecum, quem diuidit in ramos & frondes; vnde vire-
scent, flores proferunt, fructus producant: Sic etiam
Beatissima Virgo, & Mater benedicta, virtute suæ humi-
litate, plenitudinem succi diuinæ gratiæ, dum ab Ange-
lo *gratia plena* salutatur, attraxit, quem in fideles Clientes
suos, liberalissimè dispersit, vt crescant virtutibus, vire-
scent Exemplis bonis, floreant cœlestibus desiderijs, con-
dignis pœnitentiæ fructibus abundant. Et sicut ramus,
qui virtute attractiua destituitur, vt succum à radice, ad se
nequeat

nequeat attrahere, illicò moritur & exarescit; Sic etiam Christianus, in cuius pectore deuotio & amor, Virginis, extinguitur, mox omnem solidæ pietatis sensum amittens, in peccatis emoritur, & à Dæmone iugulatur.

Quam verè te, ô Virgo gloriosa, salutat Ecclesia: *IV. Honorum Tituli, quibus insignitur.*
Tu Regis alti ianua, & porta lucis fulgida, intrent ut astra flebiles, *I. Ianua & porta.*
cæli fenestra facta es. Et quid ni Regis altissimi Ianua? *Ioann. I.* Ianua nobis es, per quam in hunc mundum venit Filius Dei: *porta.*
 iterum, per quam nos miseri ingrediamur ad Filiū tuum, ad vitam illam, verè beatam, & immortalem.
 Quid ni *Porta Lucis fulgida?* Per te, veluti per portam, *I Tim. 6.*
Lux vera, qua illuminat omnē hominem, venientem in hunc mundum, *Psal. 103.* inrauit in vallem istam tenebrosam, mortis caligine operam: Per te, veluti per portam, ingredimur ad lucem illam, in qua Deus habitat, in accessibilem, *2. Fenestra Cæli.*
lumine, sicut vestimento. Quin etiam, *li.* intrent ut astra flebiles, *cæli fenestra facta es.* Fenestra lumen à sole accipit, & per cubiculum omne, ac tetrum conclaue, diffundit: Sic tu, *Solem illum, Iustitia,* per Incarnationis Mysterium, in Horizonte nostro, oriturum, vtero tuo primum excepisti, & in Natiuitate eius, vniuerso generi humano communicasti: *Felix namq; es sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima, ex te enim ortus est Sol Iustitia, Christus Deus noster.* Progre- *Psal. 35.*
 dior vterius: *In lumine tuo videbimus lumen;* lumen, in- *Psal. 39.*
 quam, vultus Diuini, de quo Dauid: *Ostende nobis Domine faciem tuam & salu erimus.*

Non porta solum & Ianua, aut Fenestra cæli, sed & *3. Maris Stella.*
Maris Stella, iure summo ab Ecclesia salutaris: *Aue Maris Stella, Dei Mater Alma, atq; semper Virgo, felix cæli porta.* Et quid ni *Maris Stella,* per quam, in medijs huius vitæ procellis, nauem animæ nostræ dirigimus, ad portum Patriæ cœlestis? Qui stellæ huius aspectum, id est Virginis deuotionem non amiserit, spem habet tutissimam, ex procel-
 lis

lis hisce, feliciter euadendi, Tale, inquit S. Bonauentura, est officium Stellæ nostræ MARIÆ, quæ nauigantes per mare mundi in nauî Innocentiæ vel Pœnitentiæ, dirigit ad littus Patriæ cœlestis.

4. Virga &
baculus.
Psal. 22.

Serm. de As
sumpt. Virg.

5. Innumerabi-
lia beneficia va-
rijs indigentib9
collata.

6. Instructio
de uotorum e-
ius Cultorum.
1. Consilijs Gre-
gorij Papa.
lib. 1. Epist. 47

Quid plura memorem? Virgatua, & baculus tuus, & Fili Dei, ipsa me consolata sunt; Quæ Virga? Quis baculus? Audi Beatum Petrum Damianum: In Virgine Virga, & baculo crucis, miserorum spes & consolatio, mortalium continetur. Quis enim enumerare valeat, eos, qui per Virginem Deo reconciliati sunt? Quotnam Virginis ope, à molestissimis tentationibus, & perplexitatib9 liberati sunt? Quam multi vires, ad superandas grauissimas tentaciones, cœlitus à Virgine acceperunt? Quot tepidi, mox à Deo euomendi, non statim, velut Arbores infructuosæ, sunt succisi, ne terram frustra occuparent, sed per Virginem expectati, vt fructus facerent? Quotnam à sæculi, & ambitionum fluctibus, ad tutissimum sacræ Religionis Portum, Virginis auxilio, commigrarunt? Hæc sunt & his similia infinita. O deuotissimi Virginis Clientes, quæ mentibus vestris impressa, & cordib9 infixata, vos in cultu, amore ac deuotione Virginis, mirificè inflammabunt.

Hanc in Deiparam pietatem & amorem, Sanctissimus Pontifex Gregorius Septimus inter præcipua Monita Mechtildis, Filiæ Beatricis, Tusciæ Ducissæ, reponit: Inter cetera, inquit, quæ tibi contra Principem mundi, arma, Deo fauente, contuli, vt certæ fiducia, Matris Domini, te omnino committeres, præcepi, cui te principaliter commisi & committo, & nunquam committere, quousq; illam videamus, vt cupimus, omittam. Quid tibi dicam? Quam Cœlum & terra laudare, licet vt mereatur, nequeant, non tamen cessant. Hoc tamen proculdubio teneas, quia quanto altior, ac melior, & sanctior est, omni Matre, tanto clementior & dulcior, circa conuersos peccatores, & peccatrices. Pone itaq; finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa, ex corde contrito & humiliato, lacrymas effunde: inuenies illam procul-

proculdubio, promitto, promptiorem, carnali matre, ac mitiorem
 in tui dilectione. Hanc etiam, erga Virginem deuotionem,
 cunctis fidelibus suadet S. Bonauentura: *Ut Gloriosam, in-*
quit, Reginam, Domini nostri benedictam Matrem, in summo ha-
beas, omni tempore, affectu, & in cunctis, ad eam necessitatibus, pe-
riculis & pressuris, tanquam ad refugium tutissimum, te conuertas,
ipsius tu elæ presidium flagitando, eamq; in tuam suscipiens Aduo-
catam, deuotissimè ac securè, tuam ei causam committas, quia
Mater est Misericordie, quotidie studens, ei specialem & singula-
rem Reuerentiam exhibere. Idem alibi consilium repetit,
 sed paucioribus verbis: *Matri etiam Christi, omnem, quam*
potest, exhibeat reuerentiam, & dicat: Dulcissime IESV, dignare
donare mihi, misere Peccatori, Matri tue dignè seruire. Ad-
 dit etiam loco supra citato, tantò gratiorem vicissim,
 deuotionem nostram futuram, quantò maiori conatu,
 mundiciam castitatis eius, cum humilitate ac mansuetu-
 dine, studuerimus imitari: *De qua natus est IESVS, qui vo-*
catur CHRISTVS.

2. S. Bonauentu-
 ra, in Epistola.
 Vingt quinq;
 memorialium:
 & emor: 13.

Tom. 2. opusc. 2.
 lib. de defectib.
 Religiosorum.
 cap. 10.

Discite hanc deuotionem erga Virginem, à S. Nico-
 lao, Myreenfi Episcopo, vitæ sanctimonia & miraculorū
 gloria, celeberrimo, qui Dei Matrem ieiunando, ab in-
 fantia, Sabbathinis diebus, impensissimè honorabat.
 Quare nocte quadam, dum adhuc Laicus esset, vidit, vt
 refert Ioannes Diaconus, Angelum iuxta se adstare, li-
 brumq; sibi Euangeliorum, auro & gemmis decoratum
 porrigere, ab alio latere, Sanctā aspicit Dei Genitricem,
 Omophorium Pontificale (*Pallium nimirū, quo Archiepiscopi*
uti solent) sibi super humeros ponere; Elapsis postmodum
diebus paucis, defuncto Ioanne Myræ Antistite, Nico-
laus eiusdem Ciuitatis Episcopus creatur: Quin etiam,
cum iam senex Niceno Con- lio interesset, & Arrianum
quemdam Hæreticum, Fidei zelo in maxillam percuss-
isset, agentibus eius æmulis, è Concilio, Mitræ & Pallij

VI. Exempla
 eius peculiariū
 amatorum.

In eius vita.
 Alois Lipom.
 Tom. 5.
 Baron in Mar-
 tyrio 4. Decē-
 bris.

Petrus de Na-
 talibus in cata-
 logo, SS. lib. 1.
 cap. 33.

vsus, ei auferretur: Sed dum aliquando Missam Beatissimę Virginis, cui deuotissimum erat, in reliquis Pontificalibus, celebraret, cunctis videntibus, duo Angeli astiterunt, pręsente Virgine, qui ei Mitram & Pallium restituerunt. Et illud arguit, S. Nicolaum deuotissimum Virginis Cultorem extitisse: Nam cum Helsino Abbati, Rhemensis, in mari cum suis, naufragij periculum timentis, appareret, (*referentibus innumeris propemodum scriptoribus*) Festum immaculatę conceptionis Virginis, octaua die Decembris celebrandum reuelans: Gloriosa Virgo, S. Nicolaum Episcopum, in habitu Pontificali, mira claritate fulgentem, deputauit, vt istam Dei & Virginis pariter faennem festiuitatem annunciaret, instituiq; mandaret: & Helsinum pariter cum suis omnibus, ę naufragij periculo liberatos, ad optatum patrię portum traduceret. Vnde facillę est colligere, quantoperę ą Virgine, in vita fuerit dilectus, vt eius ministerio post mortem quoq; voluerit glorificari.

Baron. in Martirologio 8. Decembr. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanct. Arnold. V. Virg. lib. 5. ligni vitę. cap. 103.

2. S. Gerardus Canadensis Episcopus.

Discite hanc deuotionem, ą S. Gerardo Episcopo Canadensi, & Martyre, Hungarorum Apostolo, qui Venetis parentibus oriundus, Virginis deuotionem ą puero imbiberat; Et in Ecclesia ą se dedicata, Dei Genitricis aram crexerat, antequam Thuribulum argenteum collocauit, duosq; prouectę ętatis homines, adhibuit, qui iugiter vigilarent, operamq; darent, ne vlla vnquam hora, Thymiana ibi deesset. Singulis quoq; Sabbathis, cum nouem lectionibus, Assumptionis Deiparę pensum ibidem persoluebat. Cęteris autem diebus, bis quotidie manę post Matutinum, & vesperti post completorium, ante Virginis statuam, Christum in Matre sua laudans, orationibus insistebat. Reis Deiparę nomine veniam poscentibus, facillimę ignoscebat. Eo auctore, ab Hungaris Nomen ipsum Matris Dei, non pronunciat, sed

Suaris in vita. Tom. 5. 24. Septembris.

Domi-


Domina vocatur. Quod si Nomen M A R I A pronuncietur, statim flexis genibus & demissis in terram vultibus & capitibus illud honorant. Atq; adeò Pannonia vniuersa, deuotione Beatissimæ Virginis, inflammata fuit, vt à S. Rege suo Stephano, *Familia Deiparæ Virginis* fuerit appellata. Vnde Reges in aureis & argenteis monetis, Virginis imaginem exprimebant. Et quis dubitet, quin nõ etiam hoc tempore, Virgo Hungarica Patrona, à Catholicis exorata, Hæreticorum Procerum proditoria, contra Regem *Ferdinandum*, consilia, disturbârit, ne florentissimum illud Regnum, Iugo Turcico, omninò subijceretur? Atque vcinam & nos in hac ciuitate tantoperè, in deuotione Deiparæ Virginis inflammemur, vt eius peculiaris familia, dici mereamur.

Discite demum hanc deuotionem, à Sanctissimo Patrono nostro, *S. Martino*, qui tantopere diligebat Virginem Dei Matrem, vt eum sapientissimè, vnà cum S. Tecla Virgine visitare dignaretur, quod ipse Sulpitio quærenti manifestauit: Mihi credite, si cultui ac deuotioni Virginis, similiter addicti fueritis, vos non solum quotidie, inuiset, multiplicem gratiam impertiendo; verum etiam, cum ex vita transeundum fuerit, visitabit, consolabitur, ad Patriam beatitudinis æternæ animabus vestris ducatum præbebit.

Amen.

3. *S. Martinus*,
Seuer: *Sulpit.*
Dialog. 2. de
vita & transi-
tu eius.





S E R M O X X I X .

Eadem feruens, & pia erga Virginem deuotio,
Signum prædestinationis ad æternam
salutem.

In electis meis mitto Radices. Eccl. 24.

Res & negotia libentissimè tractamus, operibus illis gnauiter incumbimus, & impigerimam, vt plurimum operam nauamus, è quibus ingens aliquod commodum, aut emolumētum, in nos redundaturum speramus. Quod maius lucrum, siue in cælo, siue in terra nobis velimus, aut faueamus, quam summi boni possessionē feliciter adire, & ad Diuinæ prædestinationis scopum infallibili certitudine peruenire, ad æternæ beatitudinis præmia, ærumnosa, quâ interris agimus, peregrinatione decursa, indubitanter pertingere? Nemo nostrum erit, qui huius voti compos euadere, non quam maximè efflagitet & exoptet. Audite rem non solum in scripturis diuinis, & Ecclesiæ Doctorum libris ratam & probatam, verumetiam, ipsamet experientia compertam, & exploratam: Virgo Deipara in mandatis habet, à Deo Filio suo: *In Electis meis*, quos ego ad æternam salutem elegi, creauit & prædestinaui, *mitte* deuotionis tuæ *radices*, vt exinde signum euidentem capiant, se in numero saluandorum censendos, & sine dubio, in generali mortuorum resurrectione, inter oues ad dextram Iudicis inuentu iri: Cuius rei, dum causas aliquot, ex ipsismet æternæ veritatis fundamentis erutas, præsentī Sermonē explico: Tu ò potentissima humanæ salutis Protectrix, amoris tui copiam, honoris cultusq; tui

tui zelum, deuotionis deniq; & Patrociniij tui desiderium flagrantissimum, cordibus nostris insculpe, tuarq; pietatis radices emitte.

Quis nostrum, obsecro, naturali quodam instinctu, sibi non exoptaret, hoc à Deo Lumen, vt certò scire posset, se esse ad æternam gloriam, post hanc vitam prædestinatum? Sed id certò & infallibiliter sciri non potest, nisi peculiari reuelatione, diuinitus manifestetur, vt docet Sacrum Concilium Tridentinum: Vnde iubet David: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et Apostolus Paulus: *Cum metu & tremore, salutem vestram operamini.* quid ita? *Nescit enim homo utrum amore vel odio dignus sit. Quis enim cognouit sensum Domini?* Nihilominus tamen Sancti Ecclesiæ Doctores, per multa probatissima signa recensent, è quibus hæc Electio ad salutem æternam, probabili coniectura colligitur & persuadetur: Inter ea porrò, præcipuum obtinet locum, intima, ex integro corde, promanans Virginis Deiparæ Deuotio & amor ac studium, eam omni affectu honorandi atq; colendi, vt ad eò inter ea, quæ nostram salutem concernunt, nihil ardentiori affectu inter temporalia huius vitæ bona petere conueniat, quam vt veram Dei Matrem impensissimè, & amandi & honorandi, in pectoribus nostris Deuotionem concipiamus. O ineffabile Dei beneficium, Dei Matrè singulari affectu diligere, & omni conatu possibili honorare; indeq; saltem probabili ratione certificari, & lumine Virginis illuminari, quæ est *lumen ad reuelationem gentium & gloria plebis Israel.*

Sed cur deuotio & amor in Virginem eût *signum* probabile *predestinationis*? Audio Deum Filium in Spiritu, de hac, erga Virginem, pietate, sub Tabernaculi figura loquentem, ac pollicentem: *Ponam Tabernaculum meum, in medio vestri, & non abijciet vos anima mea.* Quodnam Tabernaculū tuū, ô Domine Iesv? *Benedicta*, inquã Mater

I. An quis sciret certò Prædestinatus sciri non potest.

*Psal. 2.
Philipp. 2.
Ecclesiast. 9.
Rom. 13.*

Luc. 2.

*I. Causa: Quia Tabernaculum Dei.
Leuit. 26.*

Psal. 18.

Leuit. 26.

Esaia 14.

Leuit. 26.

3- Reg 2.

In meditat.

eius, in cuius veteri Tabernaculo, nouem Mensibus corporaliter requieuit, de quo Dauid: *In sole posuit Tabernaculum suum: Sanctificauit Tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius non commouebitur, nulla peccati concupiscentia maculabitur, aut destruetur. Ponam Tabernaculum meum in medio vestri.* Quodnam medium nostri? Cor est medium hominis, sicut centrum, medium circuli. Quibusnam hoc Tabernaculum ponit in medio cordis? quibus deuotionem singularem erga Virginem Deiparam infundit. Ad quid porro proderit hoc Tabernaculum, in medio Cordis? Audi Esaiaem Prophetam: *Et tabernaculum erit in Umbraculum diei ab aestu & in securitatem & absconsonem à turbine & à pluuia.* Quid hoc beneficij? defendit & proteget suos Clientes sibi peculiari deuotione addictos, ab omni malo, tam huius quàm alterius vitæ: *Et non abijriet vos anima mea, nec sinam, vt in damnationis æternæ statum incidatis; Quin etiam grauissimi Peccatores ab æterno interitu, per hoc Tabernaculum conseruantur: Dicebat Salomon Abiathar, qui partes Adoniæ adiuerat Equidem vir mortis tu es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei, coram Dauid Patre meo: Sic etiam Christus, multis Peccatoribus qui Diaboli partes sectantes, Mortem secundam æternæ damnationis promeruerunt, eaquæ merito plectendi essent, parcit, perpetuò ignoscit, quia hanc veram & animatam Filij Dei arcam, feruenti deuotione, semper gestant in corde, vt verissimè dixerit S. Anselmus: *Sicut enim, ô beatissima, omnis à te auersus, & à te respectus, impossibile est, vt pereat: Et sicut Domina, Deus per te genuit illum in quo omnia viuunt: Sic tu, ô Flos Virginitatis, genuisti illum, per quem mortua reuiuiscunt; Ergo Domina Mater es, Iustificationis, & Iustificationum; Genitrix es, reconciliationis, & reconciliatorum, Parens es salutis & Saluatorem; ad sis mihi, ô Genitrix Vitæ, ô Mater Salutis, ô Templum ô Tabernaculum Pietatis, & Misericordie. Ecce quomodo Deipara Virgo, in electis ad salutem, mittat radices.**

Cur

Cur deuotio & amor in Virginem, est *Signum* probabile, diuinæ *Prædestinationis*? Audio Virginem, quæ de se, vt Noui Fæderis Tabernaculo, olim prædicta erant, ex ore Diuinæ sapientiæ; affirmantem & probantem, non solum, sed & effectu ipso explentem: *Qui creauit me, re-* Ecclesiast. 24.
quieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabitare, & in
Israël hereditare, & in electis meis mitte radices. Quam Domum Iacob, ô Virgo, ô Domina gratiosissima, iuberis inhabitare? Iacob Supplantatorem sonat; sic illa habitat in Supplantatore vitiorum, Diaboliq; Triumphatore. In Iacob Electi, sicut in Esau reprobis intelliguntur, teste Apostolo, qui ex Malachia introducit Deum loquentem: *Iacob dilexi; Esau autem odio habui. In Israël hereditare: quis* Rom. 9.
Israël? Idem qui Iacob, sed *videns Deum facie ad faciem,* Malach. 1.
 Diuinam Essentiam in cælo, iugiter contemplaturus; qui ad hanc gloriam electus est, sic ille hæreditas tua. *Et in Electis meis mitte radices:* Velut arbor fertilis, radices suas protendit, sub terra quibus succum extrahat, à quo habet vt viuat, vireat, floreat, fructum producat: Sic tu deuotionis tuæ radices, infere in cordibus Electorum, pariter & saluandorum, vt hac in te pietate mediante, sugant gratiæ succum, vt fiant arbores plantatæ, *secus de-* Psal. 1.
cursum aquarum, quæ fructum suum dent, in tempore suo, & folia eorum non defluant, & quacumq; fecerint bona prosperentur: Quid dubitas, ô deuote virginis Cultor? quid, inquam, dubitas, de Effectu? Nonne audis promittentem? *Beatus homo qui* Prouerb. 8.
audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei: Quis est iste, qui te audit? Qui consilijs meis, menti eius inspiratis, obedit: Qui virtutum mearum, exempla, deuotè imitatur: Quis ille, qui *vigilat ad fores tuas quotidie, & obseruat ad postes ostij tui?* Qui Milericordiam meam iugiter implorat, qui me manè, dum surgit, peculiari deuotione veneratur, & patrociniò meo, te obnixius
 commen-

Ibidem.

commendat. Quid dubitas, ô Cliens, huius pijssimę Matris? *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: Quid ni ergo, ô beatissima Domina, bono nostro, cum Germano Patriarcha, tibi congratulemur, dicentes ac proficentes: *Quomodo corpus nostrum, vitalis, signum operationis habet, respirationem: Ita & Sanctissimum tuum Nomen, Virgo Benedicta, quod in ore Seruorum tuorum versatur assiduò, in omni tempore, loco & modo, vitę, lætitię, & auxilię, non solum est signum, sed ea etiam procurat, conciliat, & ad æternam tandem eos promouet salutem*. Quid ni ergo, de te prædicemus, eos in quibus deuotionis radicem egisti, ad æternam salutem, à Filio tuo, esse ab æterno prædestinatos?

III. Causa exemplum Sanctorum.

Cur deuotio & Amor erga Virginem, est signum Prædestinationis? Quia re ipsa experimur, omnes, quotquot in Ecclesia vnquam eximia sanctitate siue doctrina, floruerunt, conspicua semper obseruantia, Deiparam coluisse: quam ob causam de illa prædicatur à Sponso: *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs*. Quis ille aceruus tritici, in utero Virginali? S. Epiphanius, & S. Ambrosius, Mysterium hoc, nobis declarant: *Christus granum frumenti, in cruce mortuum, multum fructum attulit, & sic electi omnes, velut aceruus tritici, ex Passione Dominica multiplicati, in utero Virginis, velut eius Filij spirituales, continebantur, sicut in duobus geminis, Jacob & Esau, in utero Rebeckę, duo populi contineri dicebantur*. Est itaque Gloriosissima Virgo Mater Specialis omnium Sanctorum, qui vnquã in Ecclesia floruerunt; Et *Venter eius aceruus Tritici, vallatus Lilijs candidis* Virginitatis, *rubris* Apostolorum & Martyrum, *cæruleis* confessorum, *multicoloribus*, omnis Status & conditionis electorum.

3. Simile à natura agniculi.

Quocirca, sicut Deus auctor naturę agniculo instinctum dedit, quo ex boatu Matrem suam inter mille alias oues agnoscat, & ad eius vbera currens, lac sugat: Ita gratiam iustis infundens Deus, inclinationem tribuit, vt Deiparam

ram Virginem, Diuinæ Misericordiæ Matrem, reuereantur, & ad eius præsidia vltro confugiant, libentissimeq; procurrant: Et quid mirum? Si Moyſes videns rubum qui ardebat, non tamen comburebatur, quo **MARIE**, Exod. 3. intemerata perpetuaq; Virginitas, præsignabatur, properanter contendebat: *Vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc grandem*: Cur non & nos, in præſenti vita, ad eam cõtemplandam, Fidei oculos conuertamus, Cant. 4. *memores vberum ipsius*, & omni cordis affectu *teneamus pedes eius; nec dimittamus, donec benedixerit nobis?* Cur non mutuò inſuper ad eius amorem nos prouocantes, dicemus: *Venite ascendamus ad montem Domini*, de quo abſciſſus eſt lapis ille, apud Gen. 33. *Danielem*, qui cõterit omnes, Mundi totius Monarchias, & Eſai. 2. *ad Domum Dei Iacob* Matrem eius, Mich. 4. *Et docebit nos vias ſuas*, Dan. 3. quomodo ad animarum noſtrarum ſalutem æternam, efficaciter promouendam feſtinare debeamus? Vnde ſi Virginem, inter mortales adhuc degentem, velut humanæ ſalutis originem, teſte S. Ignatio, qui eam *cœleſte prodigium, & ſacraſſimum ſpectaculum* appellat, fideles tanto perè geſtiebant videre: Nil mirum, ſi ſancti omnes, tanto ardore, in ipſam ferantur, iam immortalẽ & regnãtem in cœlis, cum eius promotione, ad ſummi boni poſſeſſionem, ſe tandem peruenturos, omninò confidant: Meritò igitur, ô Virgo Deipara, *in Electis Filij cui, mittis radices.*

Cur deuotio & amor in Virginem, eſt *ſignum æternæ prædeſtinationis*? Quia ſicut Chriſtus eſt Filius Virginis, Naturalis; Ita Sancti, eius Filij ſpirituales: Notandum iſthic, oñes Prædeſtinatos, debere quodammodo aſſimilari Chriſto Domino, qui eſt caput prædeſtinatorum, de quo IV. Cauſa: *in capite libri ſcriptum eſt: Et primo genitus in multis fratribus: Nam quos præſciuit, inquit Apoſtolus, & prædeſtinauit, ſonformes fieri, imaginis filij ſui, dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri,* Quia eſt Mater Prædeſtinatorum.

bis qui credunt in nomine eius. Et ipsemet fratres nos appellare suos, non erubescit: Sicut ergo Christus, singulari pietate & amore, sacratissimā Matrem suam, semper coluit, & obseruauit: Sic & Electi ad salutem, fratres eius spirituales, in hoc amore, erga Matrem, ei tenentur conformari, vnde à Sanctis Patribus, Mater viuentium, vita gratiæ in hac, & gloriæ, in altera vita, merito appellatur: Hoc ipsum aperte declarat Origenes, cum dicit: *Quisquis perfectus est, non amplius uiuit ipse, sed in ipso uiuit Christus; Cumque in ipso uiuat Christus, dicitur de eo MARIÆ: Mulier ecce Filius tuus: Gaudete igitur & exultate, Cultores deuoti Virginis Matris: Quoniam merces uestra, copiosa est in cælis, per eam, quæ in Electis filij sui mittit radices.*

*Prefat. Tom. I.
in Ioannem.*

Matth. 5.

*V. Quia est
Mater misericordis,
& humani generis
Aduocata.*

Cur deuotio & amor erga Virginem est signum Prædestinationis? Quia Virgo ipsa, est *Mater Misericordia, & Peccatorum Aduocata*, quæ à Deo apud quem summa præpoulet gratia, cum interpellat pro peccatoribus, nunquam patitur repulsam: Vnde Fiduciam, quam tota erga ipsam habet Ecclesia: *Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*, vnicuiq; etiam conuenit, implorare: *Nulla*, inquit S. Bernardus, *ibi potest esse repulsa, ubi tot sunt charitatis indicia.* Quo fit, vt qui erga Virginem afficiuntur, magnam exinde salutis spem possint concipere, dummodo à grauioribus peccatis, per Pœnitentiæ Sacramentum, quantocyus emergant, & per bona opera, vt S. Apostolus Petrus monet, *certam suam uocationem & electionem faciant*, & gratia, quam per Virginem accipiunt, ad iniuriam Filij eius non abutantur: Verè enim cor durum malè habebit in nouissimis: & qui amat periculum, peribit in illo. Sicut ergo, cum aurora oritur, in climate nostro signum est, Solem mox oriturum: Sic cum Virginis deuotio, in corde peccatoris enascitur, per Christi

*Serm. de A.
quaducto.*

1. Petri. 1.

Ecclesiast. 3.

*Simile ab Au.
vrra.*

Chri-

Christi gratiam, ad salutem efficaciter pertrahitur, mox consecuturam: Quod de Theophilo, qui Christum & Matrem eius, abnegauerat, & se proprii sanguinis Chirographo, Dæmoni tradiderat, & alijs quàm plurimis compertum habemus, Et hoc quidem modo ac fine, illa in deuotis *Electis* Filij Dei, *mittit radices.*

Cur Deuotio & amor erga Virginem, *Signum æternæ Predestinationis?* Quia Christus Dominus, quos singulari aliqua ratione diligit, eos Matris suæ Clientelæ Patrociniq; vtrò commendat, Annon *Discipulus ille, quem diligebat IESVS*, hanc gratiam est assecutus? quid enim aliud sonat, quod Matri è cruce pendens dixit: *Ecce Mater tua?* Quod si omnibus etiam electis suis, *dedit potestatem filios Dei fieri*, cuius incomparabilis Beneficij nos admonet S. Ioannes: *Videte*, inquit, *qualem charitatem ostendit nobis Deus, ut Filij Dei nominemur & simus*, quid ni & Matrem suam, eisdem Matrem dabit! & singulari quadam beneuolentia consignabit? Quod si S. Apostolus Paulus, eos, quos in Christo per Euangelium genuerat, filios appellat, & per Charitatem, in corde se habere, ac circumgestare testatur: *Eo quod habeam vos in corde*, inquit; Et quod plus est, addit: *In cordibus nostris estis, ad conuiuendum & commoriendū:* Quanto magis, de amplissima Virginis Matris Charitate, existimandum est, in eius corde, omnes adoptiuos Dei, & ipsius Filios, contineri? Vnde cum gaudio, de hac Virginis gratia, sibi applaudunt: *Sicut latantium omnium, nostrorum habitatio est in te, Sancta Dei Genitrix.* O Virgo Mater benignissima, *Quid est homo, quia apponis erga eum Cor tuum?* quid inquam est, vt tanta sollicitudine, hominum negotia apud Deum procuras? Res ipsa, quod Christus peculiari ratione sibi selectos Matri suæ recommendet, & eius Patrocinio contradat, clarior fiet exemplis: *Gar-*

VI. Causa:
Quia Filius E-
lectos suos Ma-
tris commendat.

Ioann: 19.

Ioann: 1.

Philip. 1.

2. Corinb. 7.

Psal. 86.

Cor 1ob. 7.

In vita S. El-
zeari Comitis
Arriani,

cap. 14.

rio, quem enutrierat feruentius oraret, corporeis auribus audiuit, Christum sibi dicentem: *Inueni huic, pro quo tantum oras, noueris me Matrem meam dedisse Magistram, nihil igitur de illo dubites: Ex hoc tandem Virginis Magisterio ille Sanctissimus euasit. Idem etiam beneficium præstitit S. Gertrudi, quod in eius Reuelationibus describitur hisce verbis: Ex speciali quadam reuelatione, dum intellexisset Sancta Virgo Gertrudis, sibi in augmentum meriti, aliquid aduersitatis imminere, & inde ex humana fragilitate trepidaret, pius Dominus ipsius fragilitati condescendens, Misericordem Matrem suam, inclitam Cælorum Reginam, Imperatricem, illi dedit in Matrem, benignamq; Dissensatricem, ut, quantumcunq; nimietate aduersitatum, supra vires graueretur, semper ad ipsam Matrem Misericordia, securum haberet recursum, cuius interuentu, se sciret alleuiandam. Post hac, breui interuallo temporis elapso, cum valde graueretur, quadam in re, recurrit ad Desolatorum Consolatricem, cupiens ab ea doceri quid in hac causa magis expediret, & ab ipsa responsum pariter & consolationem accipere meruit: Et alias cum animo penitus desolata, iucunditatem diuinæ præsentia sibi videretur amisisse, vidit Virginem Deiparam, pro se apud Filium interpellantem, & illicò serenitas Cordis, cum pace gaudioq; reducta fuit. Ecce quanta sollicitudine Beatissima Virgo suos tueatur Clientes. Vnde non ambigendum, deuotos eius, ad æternam salutem, re ipsa indipiscendam, effectu infallibili per tot licet, huius viræ difficultates, promoueri. Per te igitur accessum habemus ad Filium, ò Benedicta inuentrix gratia, Genitrix vita, Mater Salutis.*

Lib. 3. cap. 1.

Lib. 4. cap. 49.

*S. Bernardus
Super Missus*

*VII. Causa:
Promouet Cultores ad Veram
Contritionem.
I. Latro de quo
S. Anselmus.
In libro Miraculorum Virg.*

Quod autem Beatissima Virgo, magna sollicitudine procurat, ne patrocinio eius addicti, pereant, & sine Sacramentali confessione moriantur, per paucis quidem, attamen miraculosissimis historijs elucidatum dabo. Primã refert S. Anselmus in hæc verba: *Quidam fuit Prin-*

ceps Latronum, qui Sabbatho quodam cum venisset ad Domum Paupercule mulieris, vidit ipsam cum filiabus ieiunantem, & requisivit, cur Sabbatho ieiunarent? at illa respondit: Didici à quodam sancto viro, prædicante, quod quicumq; ieiunat, ob deuotionem Beatissimæ MARIÆ in Sabbathis, merebitur confessionem facere, in articulo mortis, & non decedens sine gratia, vera pœnitentiæ, aternam damnationem euadet. Latro igitur, exemplo femina, permotus, ac suæ salutis consulturus, ait: Et ego voueo Beatissimæ Virgini, quod quam diu vixero, diem Sabbathi, eundem in finem ieiunabo. Et perfecit quod vouit. Post annos aliquot accidit, vt Latro, ille caperetur in scelere & sine dilatione decapitatus est. Ecce mirum: Ipsum caput præcisum, cœpit continuè clamare & dicere; Confessionem, confessionem, &c. stupefacti qui aderant, omnes, illico ad villam miserunt pro Sacerdote, qui veniens, caput ipsum vnium corpore, tunc Latro ait: Hoc bonum ad reuerentiã Virginis, feci in vita, vt ieiunarem Sabbatho, & dum, facta de capitatiõne, Diaboli vellent rapere animam meam, affuit Beatissimæ Virgo, & non permisit eam de corpore exire, quousq; contritus verè, ac plenè sic confessus, damnationem aternam euadam. Et sic confessis omnibus peccatis, & postulatis deuotè suffragiis, mortuus est. Porro bomines laudauerunt Deum, & magnificauerunt eius clementiam in Virgine. Simile propemodum in omnibus commemorat Thomas Cantipratensis.

Alia duo, non minus stupenda, describit Pelbartus Themisuariensis, Ordinis Minorum, in signis Theologus; Primum sic habet: Cum ad partes Transalpinas Imperator Sigismundus, qui anno 1437. obiit, bellando accessisset, ibi in prælio quendam militem cecidisse intellexit. Post multos autem annos, cum iterato idem Imperator, partes ad illas, cum Exercitu accessisset, ecce omnibus audientibus, vox quasi fletus, ac lugubris sibilationis, cœpit exaudiri. Cumq; cuncti, quidnam foret, mirarentur, de mandato Imperatoris, cœperunt inquirere, inter vepres, Syluasq; & Lucos, circumiacentes: Et ecce repererunt quoddam cadauer,


Lib. 2. Apum.
cap. 29. part. 18.
2. Miles in bello Interfectus.
In stellam Corona lib. 12. part. 2. art. 1.

iacere in quedam rubo, adeo putrefactum, ut increscentes lunci,
 & spina Veprium, ipsum pertransiēdo penetrauerint; & ex illo ca-
 dauere, sonus ille tam flebilis audiebatur, insonare: Vnde clara voce
 ait adstantibus, & quid foret, inquirentibus, dicens: Habetis ne
 Presbyterum? cui consitear, afferte & adducite eum; Ego etenim
 ante annos plures, in bello Sigismundi Imperatoris, miles fui, & in
 hoc loco pugna corruui, sed quoniam Beatissime MARIÆ, in vita
 mea, semper deuotè seruiui, ideo eius meritis fauentibus, id mihi à
 Deo concessum est, & donatum misericorditer ne anima mea è cor-
 pore ipso, iam penè consumpto, & tabefactio, dissolueretur, ut damna-
 tionem eternam euaderem: Vnde tota anima mea, in me tenetur,
 nec mori possum, donec plenè consitear, quia habeo damnabilia cri-
 mina, que commiseram, & pro veritate confirmanda, mox ubi con-
 fessus fuero, à flebili sibilo, hoc meum cadaver cessabit, anima disso-
 iuita, que vsq; modò miraculosè, est per Virginem retenta. Tunc ob-
 trulerunt ei Sacerdotem, & facta confessione, perceptaq; absolutione,
 mox resoluta anima, vocis illius sonus cessauit: Et Imperator, atq; o-
 mnes qui aderant, Deum in virgine glorificauerunt. Hæc Pel-
 bardus, quibus etiam testimonium dat Antonius Bonfi-
 nius, & alij complures. Addit aliud Pelbardus hisce ver-
 bis: Vidi quendam hisce oculis virum, qui fide mediante asseruit,
 se fuisse unà cum duobus socijs nauigantibus, & aquis subintranti-
 bus, in medio flumine Danubij submersum, alijsq; natando euaden-
 tibus, ipse solus in profundum descendit, eò quod natare ignoraret,
 & eidè in profundo, facta est vox dicens: O Homo ecce mori deberes
 & quia peccata habes damnabilia, insuper damnari: sed ex quo ser-
 uiuisti Matri DEI MARIÆ, en donatum est tibi, ut libereris, &
 peccata consitearis: Cumque sui socij enatantes, in villa prope exi-
 stente, apreciatis piscatores, adduxissent, qui hunc, quem crede-
 bant suffocatum, in flumine requirerent, cum tribus illum diebus
 quesuissent, & iam vellet abire, ecce illis videntibus, de profundo
 fluminis ad ripam homo exscendit, & gesta narrauit, atque mox ad
 confessionem faciendam ad mo deuenit. Et concludit Pelbar-
 dus:

3. Submersus
 in Danubio in
 Chronicis
 Hungaricis.
 Vide Pelbard.

duſ: Patet ergo, quoniam, qui Beata MARIÆ ſeruit, ſaltem in morte ad pœnitentiam & confeſſionem, dabitur ei gratia, ac damnationem euadendo, perueniet ad Regna cœlorum. Ecce quomodo Virgo Dei Mater, in Electis Filij ſui mittat radices.

Quid plura? Tu es illa Maris ſtella, O Dei Mater, quæ nauigantes, in procelloſo huius mundi Pelago, lumine virtutum tuarum, & gratiæ, dirigis ad portum ſalutis: Tu ſollicita illa *Abigail*, quæ familiam tuam, ab irati *Dauidis* Filij tui, vindicta, fatagis præſeruare: Tu *Hefter* illa quæ populum ſuum ab internecione eripere molitur: *1. Reg. 25. Hef. 6.*
 Quid ni, cum nos quotidie inclames: *Transite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauû,* noſtram quoque ſalutem in tuto collocare fatages? Integris ergo cordium affectibus, ſub tuum præſidium confugimus O ſalutis humanæ Fideliffima Promotrix, ad milericordiæ tuæ genua procumbimus; dignare nos, in tuam clientelam recipere & ſub tuæ protectionis alis, fouere, atque ita per temporalia dirigere, vt æterna bona, non amittamus, ſed te opitulante, perenniter obtineamus.
 Amen.



S E R M O XXX.

Beatiffima Virgo Clientibus ſuis, ex hac vita emigraturis, omnium maximè patrocinator in agone.

Conſurget Virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab, vaſtabitque Filios Seth, de qua natus eſt IESVS, qui vocatur Chriſtus. Num. 24. Matth. 1.



Vlgariproverbio circumfertur; *Finis coronat opus.* Multa & reiſpa, non exigui momenti, protulimus
 vir.

Virginalis Patrociniij, euidentissima emolumenta non solum, sed & argumenta, quibus toto vitæ decursu, clientes, peculiari deuotione, sibi addictos, in benedictionibus dulcedinis, præuenire consuevit. Restat, vt quomodo in extrema, huius vitæ periodo, suos tractare consueuerit, exploremus: Ibi enim agitur *de momento, vnde pendet ÆTERNITAS*; Ibi humana salus, aut à Calumniatoribus Infernalibus, controuertitur & hostiliter impugnatur, aut singulari Dei prouidentia & Virginis opitulatu, in tuto collocatur, Tuus hic, O Gloriosa Virgo, in cardine honor versatur: Fac vt quod innumeri, reipsa, Dei faciem, contemplantes, iam pridem expectri sunt, & non ingentis beneficiij loco reponamus, & in vltimi agonis horula, veraciter & fructuose persentiscamus, tuoque munimine, salutis æternæ stadium, feliciter & prospere attingamus.

1. Diaboli Impugnatus in agone.

2. Eius Inuidia.

Saph.

Consurget Virga de Israhel, & percutiet Duces Moab, vastabitque Filios Seth, quæ est Virga ista? de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus. Inuidet Diabolus homini, quod à Deo sit creatus, & illius amænissimi Domicilij possessionem ex quo ipse, superbia sua est exturbatus, proindeque statim ab initio creationis humanæ, conatus est homines impedire, ne beatitudinem sibi destinaram assequerentur, quando, vt sapiens ait, *Inuidia Diaboli, mors intravit in hunc mundum*; Nam primos Parentes, illico ad transgressionem mandati diuini sollicitauit tantumque effecit, vt peccando, se regni illius possessione, indignos, redderent; Et licet misericors Deus, statim remedium inuenit, & Messiam Filium suum, semen mulieris Dei Matris, in tempore venturum prædixerit, qui serpeuti caput esset obtriturus, & humanum genus, è potestate Diaboli liberaturus: Inimicitia tamen & inuidia, Diaboli, non potuit extingui, aut vlla hominum perditione

exa-

exaturari: *Ponam inimicitias*, inquit Deus, *inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen mulieris*, vbi maximè Inimicitia ista apparebit in fine hominis, cui tum maximè perniciem molietur. Nam tu *insidiaberis calcaneo illius*: cur calcaneo? Insidias strues, & non potius vertici, & decursui totius vitæ? Sicut calcaneus est vltimum Corporis; ita mors vltimum vitæ, quare, si, vnquam Diabolus hominem grauiter infestat, tum certe omni imperu, aggreditur: Si enim Sanctus Petrus nos admonet de tota vita: *Fratres sobrii estote & vigilate, quia aduersarius vester, Diabolus, tanquam Leo rugiens cirouit, quarens quem deuoret*: quanto magis id faciet, in fine vitæ? Hinc Angelus nos in Apocalypsi exhortatur: *Va terra & mari: descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet*, subolens, inquam, & præfagiens, vos paulo post, eius potestati eripiendos, & si tunc vobis non præualuerit, non præualiturum amplius in æternum. Tunc porro, quando vires nostræ, ad resistendum tam potenti hosti, deficiunt: *Non est nobis colluctatio, aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates, tenebrarum, tunc, inquam, consurget in adiutorium nostrum, Virga de Israel, percutietq; Duces Moab, Principes tenebrarum, vastabitque Filios Seth, omnia, peccata, omnes eorum tentationes dissipabit. Quæ Virga ista? De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus.*

Nihil in hoc mundo curat Diabolus, præterquam animas perdere: *Da mihi animas*, inquit cum Rege Sodomorum, *cætera tolle tibi*. Ipse enim est, Draco ille, qui vt David ait, *insidiatur in abscondito quasi Leo in spelunca sua, insidiatur vt rapiat pauperem, rapere, pauperem dum attrahit eum, dū decipit eum, & tentationum illecebris, irretitum, abripit captiuum*. Tam potens est hic hostis, vt S. Iob affirmet: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, vt neminem timeret*: Et Propheta Abacuc: *Congregabit quasi*

Gen. 3.

1. Petri 5.

Apoc. 12.

Ephes. 6.

II. Potestas
Dæmonis Et
Exempla Vi-
ctoria.

Gen. 12.

Psal. 9.

Iob. 41.

Abacuc. 1.

quasi arenam captiuitatem, id est, quos cepit suis insidijs, & fallacijs, præsertim quas struit in agone, ipse de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi eius erunt: Totum in hamo subleuabit, scilicet genus humanum, traxit illud in sage nam suam in Paradiso. & semper interficere gentes non cessat, vsq; ad vltimum vitæ spaciū, humanum genus impugnat vt non sine vrgenti causā, cum Dauide dicer e possumus: Erue à frænea Deus Animam meam, & de manu canis vnicam meam, salua me ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

psalm. 21.

II. Quomodo se
Virgo Diabolo
opponat.

Iudic. 4.

Iudic. 9.

Iudith. 10. &
13.

Hest. 1.

Huic ergo terribili hosti, pro animabus tibi deuotorum, audacter opponis te Beatissima Virgo, & velut Iael clauo per tempora Sisaræ Ducis Regis Chananzorum adacto eum terræ affixit, & populum Israhel liberauit: Sic Tu *Calcatrix serpentis*, dissipas omnem potestatem implacibilis inimici, eumque ad terram prosternis. Sicut Mulier illa, quæ Abimelech, hostem populi sui, obsidentem oppidum Thebes, & ignem Turri ciuitatis supponerentem, fragmine molæ de super deiecto ruina oppressit caput & contriuit: Sic tu, cum hostis ille infernalis, animabus nostris ignem Inferni, supponere nititur, succurris, de super è cælo proijciens Lapidem molarem potentæ tuæ, & caput eius, id est superbiam Diaboli confringis. Sicut Iudith Holofernem, populum suum obsidentem, & vehementer prementem, caput ei amputando liberauit, sic *victrix ista, humani generis, Patrona*, Dæmoni caput per Filium comminuit, dum eum è fidelibus & deuotis suis effugat, ac dispellit. Sicut Hesther pro populo suo Aman, Semet opposuit, eiusque conatus ad nihilum redegit: Ita Diabolo conanti, præsertim in extremis fideles tuos, perdere, te opponis: Tunc *consurget Virga de Israhel*. Tunc implebitur vaticinium Isaiæ: *A facie Domini pauebit Assur, Virga percussus, Qua Virga? hac ipsa, de qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS,*

Noli,

Noli, O homo Christiane, noli duqitare, de hoc Dei Matris patrocínio, in agone tuo. In manu eius est, omnis animã viuentis. Ipsa est cui cum fiducia dicere potes; *Vsquequo exaltabitur inimicus meus, super me? respice me & exaudi me. Illumina oculos meos, per Filium tuum, qui est ver a lux, qua illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, ne vnquam obdormiam in mortu nequando dicat inimicus meus, preualui eum.* Ipsa est quæ, vt rursus Dauid affirmat, *extendit manum suam in retribuendo, & compensando honorem, quẽ ei in vita tua exhibuisti. Manus enim mea auxiliabitur ei, inquit, deuoto meo, & brachium meum, confortabit eum.* Ipsa est de qua dicitur: *In fraude circumuenientium eum, adfuit illi, fidei seruo suo, & ita quidem, vt ei vicissim gratias agere possit: Liberasti me à rugientibus preparatis ad escam.* Cui, O Gloriosissima auxiliatrix, in mentem veniat, de hoc auxilio tuo, in agone suo dubitare? Tu es mulier illa fortis Dæmonibus terribilis, vt castrorum acies ordinata. Tu es Turris Dauid, edificata cum propugnaculis, mille Chypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: Tu es illa, de qua cum admiratione Angeli quærunt: *Quid videtis in Sunamitide nisi choros castrorum?* Quidni possis & vales Dæmonum tentationes omnes frangere, & agonizantibus dilectis tuis, propulsare? Rursus de voluntate tua similiter non est ambigendum: Tu enim es quæ dicis: *In me omnis gratia via & virtutis,* Tu es quæ dicis: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Tu es quæ consurges de Israhel, & percuties Duces Moab, & Filios Seth euastabis.

Verè ait S Pater Ambrosius: *Non ita timent hostes visibiles aciem ordinatam, sicut Demones Dei Matrem.* Quidni eos in agone nostro, nos infestantes, arcere possit, & quasi fræno coërere? Vere affirmat S. Pater Bernardus: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic Demones ad inuocationem nominis MARIE.* Quidni eorum furori resistere possit? Recte

II Fiducia erga
Virginem.
Iob. 12.

Psaln. 12.
Ioann. 1.

Psaln. 54.

Psaln. 88.
Sap. 10.

Ecccl. 51.

Cant. 6,
Cant. 4.

Cant. 7.

Pron. 8.

III. S. Patres
Virginis Vigi-
lantiam decla-
rant. Serm. de
Natiuit. Virg.
Idem. 2. super
missus est.
Lib. de ritib.
Ecclesiarum.

adstruit vetustus Doctor Origenes: *Nunquam homines ita timuerunt, hostem corporalem: Sicut maligni Spiritus, MARIAM Dei Matrem.* Quidni nos ab eius hostilibus impugnationibus potentissime defendere posset? Recte de ea dixit Epiphanius: *Si Catulum Leonis, Iudam non obscure dixit Iacob, Christum denotans. Et in Apocalypsi habetur: Ecce vicit Leo de tribu Iuda ex semine David. Si itaque Dominus Leoni assimilatur non secundum naturam, sed propter anigma, & eo quod Regium animal, inter omnia animantia, violentissimum ac fortissimum, & alias per omnia gratiosissimum profecto etiam Genitricem ipsius Leenam dixerim. Unde enim gignitur omnino Leo, si non Leana mater vocabitur. Si erga Potentissima Leana sit, quidni Leonem illum rugientem, & rapientem, quem benedicto fructu suo contriuit, tum præsertim, quando nos vehementissimè vrgebit, compescere possit?*

Heresi. 78.
AntidicoMa-
riantarum.

IV. Virginem
in agoneliuino-
sant.
Io Encomio
Deipara.

Non igitur immerito tu S. Pater Ephræm, Patrocinium eius, in agone tuo inuocasti clamans: *Sub alis tuis custodi & protege me; miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quam plurimis, creatorem Deum meum, & Iudicem offendi, ne aduersus me glorietur Satanas, exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus; ne seruum tuum, à tui spe destitui cognoscam, ne calumnietur me, detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia, Virgo sincera; Tu enim meus portus, O Virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua, totus sum. Crebris lachrymis te O Celeberrima mater imploro, & aduoluo tibi, O Domina mea suppliciter clamans. Nec solum in agone defendit à Dæmonum infestatione, sed & postquã anima è corpore migrauerit, similiter coram tribunali diuino, contra Dæmonum calumnias, proteget, & patrocínio suo subleuabit. Hinc se solatur Ricardus de S. Victore: *Si accedam ad iudicium, & Matrem misericordie mecum habuero, in causa mea, quis iudicem denegabit propitium? MARIA facta est Mater Dei propter Misericordiarum, hanc quoque credo**

p 2. eper. In ex-
posit. cant. can-
ticorum cap. 39.

credo, quod indefinenter exerceat pro humano genere, coram Patre & Filio: & maxime pro examinandis exercebit, in iudicio, hoc misericordiae iudicium. Porta enim est ipsa, in qua nobilius erit Christus, Vir Ecclesia, cum sederit ad iudicium, cum senatouibus terræ. **MARIAM** igitur matrem, misericordiam, & Portam cali queramus & speremus in Porta iudicij Misericordiam, ut per portam iudicij ingrediamur ad vitam æternam. Proinde Rabi. Simeon, vnus ex præcipuis Synagogæ Iudaicæ Doctoribus introducit omnes Patriarchas Abraham, Isaac, Iacob, & omnes Prophetas, in iudicio clamantes, ad Matrem Messia, ut proipsis iudicem Messiam, Filium suum oret: *Tunc venient, inquit, omnes sancti Patres, Reges & Iusti, ad primum hominem Messia Matrem dicentes: O Regina, & Mater hominum, prima parens nostra. Tu que Dei manu creata es, & ab omni peccato, immunis existis, precare pro nobis Deum, quia nos non sufficimus. Et ipsa rogabit Iudicem pro eis, Deus autem iudicabit bonos & iustos ob eorum bonas & mediocres operationes, ac propter preces primi hominis, vita æternæ, ad iudicabit: Malos autem & impios, perditioni æternæ condemnabit.* Ecce patrocinium Matris, Dei, etiam Iudæi agnouerunt, mirum sanè, quod heretici moderni, ausint adeo pertinaciter negare. Lutherus tamen (. adeo fortis est veritas, ut etiam hostes ad sui testimonium trahat.) hoc Patrocinium Dei Matris, præfertim, ac deinde aliorum Sanctorum sua sit: *In mortis articulo, inquit. Beatam Virginem, Angelos. proprium Apostolum, & Sanctos reliquos, quibus in vita seruiuit, inuocare non cesset, ut pro se intercedant ad Dominum.* Crediderim vero, hæc eum scripsisse, priusquam in abijssum omniū hæresum sese totum precipitasset.

Galatinus, lib. 7. cap. 4. de Arcanis. Hebraeorum.

Lib. de Præparat. ad Mortem.

Sicut Remora in mari nauem in medio cursu sistit & retardat ne vi remorum propelli possit, donec prudens gubernator omni ope adhibita, eam à nauis abarceat: Ita Demones conantur animas in cælum volaturas impedi-

I
Sima.

S. Athanasii
In vita S. An-
tonij.

te, ne faciem Dei, summum bonum assequantur. Vidit quodam tempore, S. Antonius, in Spiritu, eleuatis oculis, quendam terribilem & longum gygantem caput vsq; ad nubes attingentem. Vidit etiam pennatos quosdam sursum euolare, cupientes, quos terribilis ille, extensis manibus prohibebat, à quibus alios quidē apprehensos, allidebat in terram, alios frustra retinere contendens, dolebat supra se eleuari. Et vox ad eum facta est: *Animaduerte quod vides*, Et intellexit Dæmonem esse, prohibentem animas, ne ascendant in cælum, sibi que obnoxios, impediens. Sicut autem nebula dissipatur à radijs solis, ita dispergit hæc *Mulier amicta sole*, caliginem temptationum Diabolicarum: *Consurget enim Virga de Israel & percutiet Duces Moab, vastabitque filios Setb.*

Apo. x2.

Imaginemini vobis dilecti hominem in extremis constitutum, in eisdem fere angustijs esse, in quibus esse solent, qui in arctissima obsidione, mirum in modum ab hostibus vexantur: Tunc enim, si quis illis succurrat, si hostes pellat, incomparabili eos beneficio, sibi deuincit: sic plane agitur cum anima, in extremis: *Quia ecce venient dies in te*, prædicit animæ peccatrici, Christus Dominus, *& circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, mille fraudibus suis, & coangustabunt te undique; omnes vias & modos, te perdendi, diquirent; & ad terram prosterne te, iacebis ibi, non poteris te mouere; & filios tuos, qui sunt in te, id est cogitationes tuas de voluptatum illecebris, de honoribus, ad nihilum redigent, & non reliquent in te lapidem super lapidem, id est anima è corpore violenter expelletur.* Quid plura? in summis eris angustijs, ex infernalium oppugnantium infestatione, qui mille pedicas obrendent, vt te perdant. Quantum tibi tunc solacium erit, cum inelamabis Dei Matrem, vt tibi succurrat, vt te deuotum, famulum suum, contra hostes defendat, vt eorum vio-

Mat. 19.

lentiam propulset? Cole eam & honora deuote, ne dubita, quineius auxilium, sis experturus: Nam sicut *Post nubila Phœbus* Sol post diurnam aëris inclementiam, mirum in modum, & homines & omnia terrena, lætificat: Sic te in momento illo, lætificabit aspectus Dei Matris, ad te in extremis accedentis, & hostes propulsantis, *con- surget Virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab, vastabitque Filios Sech.*

Quam gratum est, inquit S. Ambrosius, nauis, qui multa tempestate iactati incerto cursu nauigantes, ubi nam oberrarent, vel quo tenderent, diu ignorantes, sicælo serenato, Stella Maris stella polaris appareat, iuxta Antarcticum polum? Tam gratum erit nobis, in ultimi agonis lucta, multis Demonum temptationibus, & vehementissimis doloribus exagitatis, ubi viderimus, præclaram hanc Maris stellam, quam Ecclesia salutatur: *Aue Maris stella, Dei Mater Alma*: Nam, ut S. Bernardus ait, *Ipsa est præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spaciosum, meridò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis, quam sequens non deuiss, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans, non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce non fatigaris: con- surget Virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab, vastabitque Filios Sech.*

De Natiuit.
Virginis Dei.
par.

Nec dubita de eius promptissima voluntate, succurrendi tibi, in hoc ultimo certamine, tam periculoso. Mater, nonne filiis, tum omnium libentissimè opitulatur, quando omnium maximè affliguntur? Ecce Mater tua, inquit ad te Christus. Quæ si in nuptijs tam prompte, & non rogata, subuenit nouis sponsis, quanto magis tibi rogata, in tantis angustijs? *Mater Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Homo* Christus, *quinnatus est in ea*, dicet Sion, id est congregationi Christi fidelium: Mater, id est in Matrem tibi dedi eam. Christus enim ab Apostolo dicitur: *Primogenitus in multis fratribus.*

Ergo

VI. Virginis
proutitudo ad
succurrendum

Ioann. 39.
Ioann. 3.

Psalm. 35.

Hebr. 1.

Esaiæ 49.

Ergo Deipara Virgo, meritò est Mater nostra: Nunquid potest mater obliuisci infantem suum, ut non misereatur Filij utrius sui? etiam si illa obita fuerit, inquit, Ego tamen tui non obliuiscar. In manibus enim incis, descripsi te, et muri tui, in conspectu meo sunt semper: Ergo tunc maxime, opem maternam exhibebit. Certe Domina, inquit S. Bernardus, cum te afficio, nil

Serm. 2. super
salutem Regina.

nisi misericordiam cerno: Nam pro miseris, Mater Dei facta es, misericordiam insuper genuisti; Et demum, tibi miserendi officium est commissum. Undique misericordia, tu uallaris, solum misereri tu appetere uideris, ita sollicita es de miseris. Nec mirum etiam

3. Petri. 4.

O Virgo te tam prompte nobis, in hoc articulo succurrere. Hortatur S. Petrus omnes Dei Electos: Sicut accepisti gratiam, in alterutrum eam administrantes, sicut boni dispensatores, multiformis gratia Dei. Tu magnam contra Dæmones, virtutem & potentiam accepisti, liberiterque nobis eam in agone dispensas. Non mirum est, etiam, te adeo fideliter coram tribunali Filij tui patrocinari, tuis deuotis; Es enim humani generis Aduocata: Sicut Ecclesia quotidie salutat: Eia ergo, Aduocata nostra, illos tuos Misericordes oculos ad nos conuerte, et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

III. Dæmones
Virginis poten-
tiam expanse-
rant.Luc. 11.
Fron. vii.

Quid causæ porro, quod fortis ille armatus, qui custodit atrium suum, Princeps mundi, adeo horreat te Fæminam, O Beatissima Mater? Es quippe potentissima illa Heroïna, quæ omnem hostibus potestatem eripuisti: Mulierem fortem quis inueniet? procul et ab ultimis finibus precium eius. Confidit in ea cor uiri sui, et spolijs non indigebit. Cor deuoti sui confidet in ea, & non indigebit aliena ope, cum iuuabitur ab hac fortissima heroïna. Glorietur vetus testamentum, de plurimis, virtute eximijs, fortitudine conspicuis feminis quæ sæpenumero præclara, pro patria, pro populo suo, gesserunt: Mulierem fortem quis inueniet, quæ huic heroïne, possit æquiparari? Glorietur Ethnica vetustas,

De suis Heroinis, quæ heroicis operationibus præ omnibus, mortalem sui nominis famam, posteris transmiserunt. Sic enim Amazones hostibus terribiles extiterunt quarum vna Hypolite, ausa est in Theseum magnum, heroem arma capere: Nos Christiani, gloriari possumus, de hac Deipara Regina Virgine, quæ non solum ausa est, per benedictum furtum suum, arma contra Diabolum sumere, sed reuera eum aggredi, & caput eius conterere. Glorientur Assyrij, de Semiramide Regina sua, quæ innumeras hostium strages, ediderit, & insignes victorias reportarit: nos potius gloriemur de Regina nostra, quæ in agone nostro, Infernales Exercitus innumeros, contra nos insurgentes, animose prosteret. Glorientur, Iustinus, Orosius, & Bocatius, de Artemisia Halicarnassi Regina, quæ in auxilium Xerxis contra Græcos veniens, admirabilem contra hostes virtutem ostendit. Nos potius gloriemur de nostra *hominum & Angelorum Regina, quæ in extremis nostris, nobis assistens, admirabili strage, Infernales hostes depellet.* Glorientur Romani, de Clælia sua Romana Virgine, quæ inter alias Virgines nobiles, Obses Porsenæ Hetruscorum, Regi data, nocturno tempore, custodiam egressa, equum conscendit, celeriq; traiectu fluminis, non solum obsidione, sed etiam metu, Patriam soluit, Viris puella lumine virtutis præferenda. Hæc nostra Virgo nunquam in hostium potestate fuit, nulliusquam peccati rea extitit, at quanto diuinitati Filij Dei, vt Mater est vicinior, tanto hostibus animarum, in extrema illa Agonis obsidione terribilior apparebit.

Sunt Demones fures illi, qui de noctæ veniunt, *volentes perfodere Domum animæ,* ac spoliare nos thesauro gratiæ Dei, idque maximè conantur in extremo vitæ articulo: tunc vt semper excubas super deuotos tuos, ita vel maximè in articulo illo, eorum saluti inuigilabis: Hinc te videns in hoc officio occupatam, Propheta Hieremais,

1. Hypolite
Ouid. lib. 2. de
Ponto.
Statium lib. 12.

2. Semiramis
Polyanæ lib. 8.

3. Artemisia
Halicarnassi
Regina. Iustini
lib. 2.

Oros. lib. 2. cap.
10.

Boca t. de clauis
mulieribus cap.
55.

4. Clælia
Valer. Max.
lib. 3. cap. 2.

Demones fures,
anima domum
spoliare satagunt
see Luca. 12.

2. Latrones.
Hieron. 1.

ait, Virgam vigilantē video. Et sicut latrones obseruant Viatores, ac præsertim diuices Mercatores, in passu angusto, per obscuro ac periculoso: Ita hi latrones animarum, obsident hominem in transitu illo, ex hac vita, & morbi dolorib⁹ vehementer sæuientib⁹, addunt afflictionē afflictō, ibiq; conātur eos spoliare thesauro illo, quē ex Christi meritis in Baptismo, & alijs Sacramentis acq̄siuerunt.

IV. Magni &
sanctissimi Viri
Demonis violentiam in agone exhorrescunt.
1. Anselmus.
Tom. 2. pag.
701.

Mirabile dictu, Dæmones tantopere infestare animas, è corporibus exeuntes, id tamen adeo certum est, vt indubium vocari non queat, vlla tergiuersatione. Vnde S. Anselmus, vt in vita eius habetur, apud Surium: *Anima cum de corpore exit, mox inimici eius, maligni Spiritus, qui eam in corpore degentem, per anfractus vitiorum, sicuti canes leporem, persecuti sunt, crudeliter adsunt, parati, eam quasi prædam rapere & in mortem aternam præcipitare.* Hinc Origenes adeo eos timuit, vt dixerit: *Mibi si concederet Deus, vt proprio sanguine diluerer, morte pro Christo suscepta, securus ex isto seculo discederem: vt veniens ad animam meam, de hac vita exeuntem, Princeps huius mundi non inueniret quicquam, & sanguinis mei profusione sopiretur, ne auderet in aliquo criminari, animam meam, cruore suo dilutam.* Et S. Bernardus morti proximus scribit: *Orate Saluatorem, vt tempestiuum iam exitum non differat, sed custodiat: Curate munire votis, calcaneum nudum meritis, vt is, qui insidiatur inuenire non possit, vnde figat deum, & vulnus infligat.* S. Eustracius nohilissimus martyr, cum post multa tormenta, ad extremū supplicium duceretur, sic Deum orauit: *Et nunc Domine, tegat me manus tua, & veniat super me misericordia tua: Quoniam conturbata est anima mea, & tristis est dum egreditur, de hoc corpore, ne forte mala inimici, potestas, ei occurrat, & eam impediatur in tenebris, propter peccata, qua à me, in vita facta sunt, per ignorantiam. Sis mihi propitijs Domine, & ne videat anima mea, tenebricosum vultum malorum Demonum, sed eam accipiant Angeli lucidi,* S. Eligius etiam, Nouiomen-

2. Origenes.
Hom. 7. in lib.
Iudicium.

3. S. Bernardus
Epist. 310. ad
Abbat. Bonawall.

4. S. Eustracius
Sim. Me.
saphrast.

sis Episcopus, in extremis positus, sic orauit: *Aperi mihi* s. S. Eligii.
properanti, ianuam vite, & Principes tenebrarum non occurrant Andon. lib. 2.
mibi, nec conturbent me potestates aëris huius: sed clemens dextera cap. 33. eius vi-
tua protegat me, & potentia defendat me. Sic viri etiam san- ta.
 ctissimi, timuerunt infestationem Dæmonum in extre-
 mis: Non est igitur potentia, quam hostis magis metuat,
 quam Dei Matris: nec maior resistentia Dæmonibus op-
 poni potest, quam per illam; quæ *consurget Virga de Israhel,*
& percutiet Duces Moab, & filios Seth deuastabit; de qua natus est
JESVS, qui vocatur CHRISTVS.

Sunt porro multi ex Hæreticis, qui tam certam sibi II Sanctissimi
 salutem ex speciali Lutherana & historica fide pollicen- quique à Da-
 tur, vt nihil ducant, istas impugnationes, immo etiam monie in extre-
 vanas, eas & frivolas esse, contendunt: Quid? anne vos mis Infestati.
 sanctiores estis S. Martino, admirabili Dei seruo, quem
 Dæmon in extremis accessit tentaturus? Eum tamen
 abegit dicens: *Quid adstas cruenta bestia? nihil in me funeste* Seuer. Sulpi.
reperies. Extremam hanc infestationem, Dæmonum, su- in vita S. Mar-
 pramodum formidabat S. Melania, morti vicina, vt S. tini.
 Hieronymus asserit, & Deum deuotissime inuocabat, vt 2. S. Melania
 opem ferret, per Matrem suam, totumque cælestem ex- Hieron. de obi-
 erciturum; & tu non timeres? Timuit vehementer S. Ma- tu Blessilla.
 crina Diui Basilij soror, & omnes cælites, ac imprimis Dei 3. S. Macrina.
 Matrem pro auxilio deuote inuocauit: Et tu non timeres? S. Gregor.
 S. Imperator Henricus, grauissimè à Dæmonibus infestatus Nyssen. in vita.
 fuit, quos in magna turba vidit, ad ipsum confluentes, 4. S. Henricus
 Eremita, tametsi turpi repulsa fugarentur. S. Elzearius, in vita.
 Comes Illustis, qui & ipse exemplo S. Henrici, cum
 coniuge, perpetuam castitatem seruauit, à malignis spi- 5. S. Elzearius
 ritibus, admodum infestatus, eos tamen viriliter supera- In vita apud
 uit: Quid tibi statuendum erit? concilia tibi, suadeo? Vir- Sur. cap. 33.
 gam illam, quæ *consurget de Israhel, percutiens Duces Moab,*
& vastans filios Seth: de qua natus est JESVS, qui vocatur
CHRISTVS.

W. Fruentes
Virginis cultores,
Diaboli insidias in extremis non metunt.

1. B. Reginaldus, lib. 1. de bono status Religiosi.

2. Iuuenis Ex ordine Carthusianorum, lib. 2. Mirac. cap. 29.

3. Mulier Imperfecte confessa, spec. de Illu-
fratibus viris
ord. Cisterc. Vi-
de spec. Tom. 1.
fol. 212.

4. Adolescens
Virgini deuotus
lib. 7. cap. 55.

Sed quid omnes illi qui virginem Dei Matrem suis a partibus staturam nouerunt? an hostes meticulose formidabunt? Minime gentium: De S. Reginaldo vno ex discipulis B. Dominici, refert Hieronymus Platus, cui in extremis iacenti, cum diceretur, vt se se ad extremam vnctionem prępararet, atque ad periculosam illam cum Dæmone luctam, obarmaret, palam asseruit: *Ego hanc luctam non reformido, quin potius expecto latus. Iam pridem enim Mater misericordie me inuexit, in qua plurimum confido, et ad quam cupide proficiscor.* Visitatus enim fuerat à Beatissima Virgine, & ad hanc pugnam, inuisibili quodam vnguento, perlitus & inunctus. Sic refert B. Petrus Cluniacensis, cum Magna Dæmonum turba, quendam iuuenem, Carthusianum ordine, vehementius infestaret, terribilemque librum, in quo omnia peccata totius vitę, scripta erant, quibus eum ad desperationem vrgebat, ostenderet, subito affuit Beatissima virgo, quam deuote tota vita coluerat, & monstrans filium suum in vlnis, consolabatur: *Ecce peccata tua, tibi per hunc Filium meum, sunt dimissa.* Et illico turba Dæmonum euauit, & æger cum magno gaudio Spiritum exhalauit. Sic imperfecte confessam, peccata sua, fœminam, & reticentem quoddam graue, & carnale peccatum, cum mortua, à Dæmonibus raptaretur ad Infernum, eripuit, petens à filio, vt sineret eam ad corpus tantisper redire, vt peccatum confessa, in gratiæ statu è vita emigraret: reuixit illa, & peccatum rite confessa, & absoluta, longe quam antea, felicius ex hac vita excessit.

Cæsarius etiam refert, de quodam, Virginis cultui admodum addicto, adolescente, qui in extremis agens, cum Dæmones circa se, in horribilibus spectris minaciter insurgentes, vidisset, Deiparam Matrem inclamare cœpit: *Sancta MARIA, Dei Mater, libera me à vilissimis istis spiritibus, qui me infestant:* Et illicò conspexit Beatissimam

Dei

Dei Matrem, aduentantem, ad cuius præsentiam insultavit ipse Dæmonibus, & sese Deiparæ commendans, placidissimè in Domino obdormiuit: Sic S. Brigitta, in spiritu rapta, vidit, quam acriter Beatissima Virgo defenderit animam, Caroli Filij sui Sueciæ Ducis: quæ cum è corpore emigratura esset, mirum in modum à Dæmonibus inpugnabatur: vehementissimè insuper accusabatur, coram Tribunali Iudicis Christi: Sed Beatissima Dei Mater, eam instanter defendebat, eò quod in bono proposito, poenitentia decessisset, ut adeò Dæmon, nullam in ea partem, poruerit inuenire. Commemoratur insuper, inter alias S. Brigittæ reuelationes factas, Dæmonem cuiusdam de functi animam, acerrimè impugnasse, qui licet varijs, in vita peccatis obnoxius exstitisset, semper nihilominus scintillam deuotionis, erga Beatissimam Virginem, in corde suo fouit & conseruauit: Varie tentabat eum Dæmon, nunc desperatione, nunc præsumptione, nunc impatientia, nunc amore huius vitæ, nunc blasphemia, nunc complacentia vltiorum flagitiorum: sed omnes eius conatus, in irritum recidebant. Anima tandem, è corpore expulsa, ducta est ad Tribunal Christi, vbi Dæmon acerrime vrgebat, suam esse, cum in grauissimis peccatis decessisset: At Beatissima Virgo, Dæmoni sese audacter opposuit, eique præcepit: *Dic maligno hosti, Nosti ne tu vniuersas hominum cogitationes!* respondit ille: *Non.* Ostendit igitur Beatissima Virgo, quod in fine vitæ vehementissimè & ex animo de sceleribus admittis doluisset: Nam ipsa hanc gratiam ei à Filio suo impetrauerat: ostenditque pariter, nullum esse tam immundum, Deoque sic exosum peccatorem, qui non possit à Deo gratiam impetrare, dum viuit. Dies me, ne dum hora, deficeret, si omnia eiusmodi Dei Matris beneficia, in historijs contenta, describere & enumerare conarer.

5. Caroli Sue-
cie Dux. lib. 7.
reuelat. S. Bri-
gitta.

6. Alim de-
functus lib. 6.
reuelat. S. Bri-
gitta.

310 *Ser. XXX. De B. V. Pat. in Ag. nostro.*

Non est auditum à saeculo, O Beatissima Dei Mater, quemquam tibi deuotum, præfertim in extremo isto certamine, à te derelictum: Tam benigna es Mater, vt tuos non deseraras Clientes; tam potens, vt possis hostem compescere & abarcere: Est quod vobis gratulemini, dilecti, qui in corde vestro singularem deuotionem erga Deiparam persentificitis, qui eam quotidie salutatis mane & vespere, laudibus eius insistitis, Rosaria persoluitis, Sabbathinis diebus, eius honori ieiunatis, Sacrum corporis Christi epulum, in eius festiuitatibus frequentatis. Dignare ergo me laudare te, Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos non solum Hereticos, honoris tui furacissimos latrones, sed & contra Infernales Prædones, nil magis, quam deuotionem tuam, passim infringere molientes, proindeque Clientibus tuis pertinaciter insidiantes. O feruentissima Seruorum tuorum tutrix & Propugnatrix, assiste mihi, contra Sathanæ insidias, in extremi certaminis colluctatione, & vel tunc in salutis meæ causa, re ipsa, & in effectu ostende: Neminem qui te ex animo diligit & honorat, damnari posse, vt te, cum Filio tuo benedicam, in sæcula sæculorum.

A M E N

*Sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia
Omnia subiecta sunt.*



